BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 F
6

1724

Philosoph
Historica
Moral

14-20-e-22

Digitized by Google

49 1

MORVM PHILOSOPHIA Hiſtorica.

EX PROBATIS SCRIptoribus collecta, iuxta Alphabeti ſeriem, SIMONIS GOVLARTII SILVANECTINI labore digeſta:

Nunc primum edita.

Acceſſit Auctorum & Titulorum INDEX.

EXCVDEBAT IACOBVS STOER.

M. D. XCIV.

12. L F. G

bonæ mentis fœtum premere diutius. fuit item fides liberanda, ne, cunctando, vanus à te meritò iudicarer. Non modò autem meæ promiſſionis, ſed altioris cogitationis ratione habita, non tam nominis euanidæ perennitati, quàm vnius & alterius vtilitati his meis collectaneis conſulere, fuit mihi animus. Tu, Nobiliſſime Domine, Sacrarum ſeculariúmque hiſtoriarum ſtudiis ingenium tuum excolere, ac me, tui nominis ſtudioſiſſimum, ſolita illa tua complecti beneuolentia perge. Ex Muſeo noſtrò, V I. Calendas Martias, Anno redemptionis per Chriſtum nobis acquiſitæ

M. D. XCIV.

***

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVCTORVM, EX QVORVM SCRIPTIS HÆC MORVM PHI-loſophia collecta eſt,

INDEX.

AGAPETVS.
Agathias.
Ælianus.
Ælius Lampridius.
Ælius Spartianus.
Æmylius Probus.
Ammianus Marcellinus.
Appianus Alexandrinus.
Arnoldus Ferronus.
Arrianus.
Ariſteas.
Bartholomæus Facius.
Cæſar.
Caſſiodorus.
Conſtantinus Manaſſes.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Criſpus Salluſtius.
Diodorus Siculus.
Dion Caſſius.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Flauius Vegetius.
Flauius Vopiſcus.
Franciſcus Guicciardinus.
Georgius Cedrenus.
Georgius Pachymerius.
Heliodorus.
Herodianus.
Herodotus.
Ioannes Xiphilinus.
Iornandes.
Iouianus Pontanus.
Iulius Capitolinus.
Iulius Florus.
Iuſtinus.
Michael Glyca.
Nicephorus Gregoras.
Nicetas Acominates.
Paulus Æmylius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iouius.
Paulus Oroſius.
Pauſanias.
Philippus Cominęus.
Plinius Iunior.
Plutarchus.
Polyænus.
Polybius.
Pomponius Lætus.
Quintus Curtius.
Sextus Aurel. Victor.
Suetonius.
Suidas.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.
Thucydides.
Valerius Maximus.
Velleius Paterculus.
Vulcatius Gallicanus.
Xenophon.
Zonaras.
Zoſimus.

MORVM

MORVM PHILOSOPHIA HISTORICA,

EX PROBATIS SCRIPTORIBVS COLLECTA, ET IVXTA Alphabeti ſeriem digeſta.

A

ABSOLVTIO.

ABSOLVI nemo poteſt, niſi qui dixerit cauſam. *Curtius, libro 7.*

ACCLAMATIONES.

Acclamationibus ſtudia ſua multitudo profitetur. *Idem eod.lib.*

ACCVSATIO.

Queri apud amicos de ipſorum erratis honeſtum eſt,accuſatio verò inimicorum eſt. *Thucyd.lib.1.*

ACIEM *inſtruere.*

In ſummis rei bellicæ artibus ea eſt quæ ordines inſtruendi rationem docet.*Plutarch in Philop.*

ACIES *rupta.*

Magnis exercitibus in primo congreſſu facilè ſolet accidere, vt acies diuellatur. *Thucyd. lib.5.*

ACQVISITIO *rerum.*

Non ſolùm Reſpublicas, ſed & priuatos homines decet, dum maximè viribus florent, ea acquirere quæ illis quandoque vſui eſſe valeant, vt quum neceſſitas ingruerit, paratum quò refugiant habeāt præſidiū.*Xenoph. de reb.geſt. Græc, libr. 6.*

ACTA.

Quæ acta ſunt, redargui magis quàm emendari queunt. *B.Facius, hiſt. libr.10.*

ACTIONES.

Eſt omnino periculoſum actiones exemplis moderari,niſi eędem rationes non in vniuerſum, ſed ſingulatim omnes concurrant: deinde niſi eadem prudentia gubernētur; & poſtremo niſi præter cætera omnia,ſuas eadem fortuna partes agat. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.1.*

ACTIONES *ciuiles qua ratione fiunt illuſtres.*

Ad prudentiam & iuſtitiam de-

Pertinet ad Bibliothecā S. Fran̄. Transtyberi.
1704.

bere potentiam & fortunam adiungi, vt ciuiles actiones pulchritudinem & magnitudinem adipiſcantur, Plato docuit. *Plutarch. in Dione.*

ACTIONES *honeſtæ.*

Actionum honeſtarum ſuum eſt tempus, ſua ætas: & verò omnino bona à turpibus ſolo modo diſcernuntur. *Plutar. in Ageſilao.*

ACTIONES *virtutis.*

Dum ſuppetit facultas & ociũ, & quandiu mentis atq; corporis ſanitatem concedit Deus, benefaciendum eſt. *Ph. Cominæus, lib. 9.*

ADMINISTRATIO *publica.*

Magiſtratus alicuius adminiſtratio & poteſtas omnes animi affectus excitat, omnéque detegit vitium. *Plutarch. in compar. Demoſth. & Ciceronis.*

ADMINISTRATIO *rerum conſtantiam requirit.*

Decet virum vita dignum non id meditari quo pacto ſocios ad pericula impellat, & ſi quid non ex animi ſententia ceſſerit, confeſtim immutari: ſed tanquam in naui labore ſe fatigare quouſque aura ſecundior flare incipiat. Id ſi minus quis fecerit, quo pacto vnquam quò tendit peruenire poterit, ſi re quapiam leui impediente, confeſtim in contrarium nauigare velit? Siquidem ſunt omnes fermè rerumpublicarũ mutationes mortiferæ. *Xenoph. de reb. geſtis Græc. libr. 2.*

ADMINISTRATIO *iuuenum.*

Lubrica eſt periculiſque expoſita adoleſcentum adminiſtratio, parúmque omnino moderationi apta, & propter rerum inſcitiam, & quòd præſentes ſolùm res ſibi ante oculos ponant, plerunque vana ſequantur & incerta conſilia, illis maximè conſultoribus credentes, qui blandiri nouerunt magis quã vera dicere. *Io. Ioui. Pontan. hiſt. libr. 1.*

ADMONITIO.

Quas res homines ſerò diſcunt, in iis mirum videri non debet, quoſdam admonitoris opera egere. Nimirum æqui boni faciẽdum eſt, ſi etiam aliorum inſtinctu viri fortes eſſe poſſint. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib. 3.*

Nulla eſt bona adeò admonitio, quæ viros alioqui non fortes, ſi eã audiant, eodem die fortes factura ſit. *Idem ibid.*

ADOLESCENTES.

Eorum animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiũtur. *Salluſt. de coniur. Catil.*

Mobiles adoleſcentium animi non ſunt præmaturis honoribus ad ſuperbiam extollendi. *Tacit. Annal. lib. 4.*

ADOPTIO *& electio principum.*

Generari & naſci à principibus, fortuitum eſt, nec vltra æſtimatur: adoptandi iudicium integrum, &, ſi velis eligere, conſenſu monſtratur. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

ADOPTIO *filij.*

Multùm intereſt, naſcatur an adoptetur filius, propterea quod is qui naſcitur, talis eſt qualem eum Deus naſci voluit: eum qui adoptatur vnuſquiſque ſibi deligit: ex quo fit vt ille ſæpe naſcatur mutilus & demens: hic (quod certo iudicio fit) integer & ſanæ mentis deligatur. *Dion in Adriano.*

ADVERSA.

Res humanæ ita ſe habent: in victoria

ctoria vel ignauis gloriari licet: aduerſæ res etiam bonos detrectant. *Salluſt. de bello Iugurth.*

Maiore animo tolerãtur aduerſa quàm relinquuntur. *Tacit. hiſtor. libr. 2.*

Aduerſa fermè ſunt intuta. *Idem, annal. lib. 12.*

In aduerſis rebus id ſolet fieri, vt alius in alium cauſam referant. *Curtius libr. 4.* non ſpecioſa dicta, ſed vſu neceſſaria in rebus aduerſis ſequenda ſunt *libr. 5.*

ADVERSARII.

Quoties res alicui eſt cum iniquis aduerſariis, ſiue multas ſiue paucas rationes ad ſui iuris defenſionem adferat, idem eſt, *Dionyſ. Halic. lib. 4.*

Ad extremorum periculorum neceſſitatem non ſunt adducendi aduerſarij: ob quam ſæpè præter omnem expectationem nonnulli audaces & ſupra vires pugnaces efficiuntur. *Idem lib. 6.*

ADVERSITAS.

Videtur mihi difficilius eſſe reperire hominem qui ſecundas, quã qui aduerſas res præclarè ferat. Nã illæ in pleriſque inſolentiam, hæ modeſtiam in omnibus excitant. *Xen. de inſtitut. Cyri, lib. 8.*

Fortuna aduerſa moderato etiã ingenio præditos vim tentare, & noui aliquid audere cogit. *Plutar. in Demetrio.*

Fortuna aduerſa nullo ſtudio corrigi poteſt: malis autem ex culpa prouenientibus voluntas facilè medetur. *Procop. de bell. Perſ. libr. 1.*

In rebus calamitoſis non eſt tẽpus iactantiæ: ſed vt repentinę mutationis exemplo homines admoneantur humanitatis ac modeſtiæ. *Appian. lib. de bel. Pun.*

Quanquam optatiſſimum eſt perpetuò fortunam quàm florentiſſimam permanere; illa tamẽ qualitas vitæ non tantum habet ſenſum, quantum quum ex ſæuis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna reuocatur. *Amm. Marcell. libr. 15.*

Siquando (*inquit Alphonſus Rex ad Ferdinandum filium*) tibi quicquã vt ſolet in bellis contingere, aduerſi acciderit, quo exiſtimare poſſis ipſum Deum tibi ſubiratum eſſe, vide ne ab eo per impatientiam atque animi perturbationem diſcedas, ſed potius ſatisfaciendo ei recõciliari ſtude. Solet enim Deus quos diligit interdum malis afficere: & quos conſtantes in aduerſis videt, rurſus in meliorem fortunam reſtituere. *B. Facius, hiſtor. libr. 10.*

Plerunque accidere videtur, vt aduerſæ res ſolæ non veniant. *Fr. Guicciard. hiſt. lib. 5.*

Ei qui diuturna felicitate ſit vſus fortunæ conuerſio magis eſt metuenda: & aduerſus rerum ſucceſſus ei longè moleſtior eſt qui omnia ritè conſtabilire potuit. *Idem libr. 16.*

ADVERSITATVM *vſus.*

Qui non ſæpe experiuntur ſecũdam fortunam ſemper plura appetunt, quia in præſentia eis aliquid præter opinionem feliciter accidit. Quibus autem variæ vices fortunæ acciderunt, diffidunt lætis ſucceſſibus. *Thucyd. l. 4.*

ADVLATIO.

Nihil dulcius quàm nulli hominum gratia ſtipendij adulari, verùm vnumquenque ſibiipſi ſufficientem ad res neceſſarias ſuppeditandas exiſtere. *Xenoph. de rebus*

geſt. Græc. libr. 5.

Ex plebis adulatione omnis tyrannus fit. *Dionyſ. Halic. lib.* 6.

Moribus corruptis adulatio perinde anceps eſt ſi nulla, quàm vbi nimia eſt. *Tacit. Annal. l* 4.

Veritati adulatio officit. *Idem, annal. lib.* 6.

Laus falſa & precibus expreſſa, perinde cohibenda quàm malitia, quam crudelitas. *Idem Annal. lib.* 15.

Plura ſæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. *Idem ibid.*

Semper magnæ fortunæ comes adeſt Adulatio. *Velleius Paterc. li.* 2.

Perpetuum malum regum adulatio. *Curt. lib.* 8.

Adulatio, vitiorum altrix. *Amm. Marcel. lib.* 20.

ADVLATIONES.

Adulationes, vetus in Republ. malum. *Tacit. Annal. l.* 2.

ADVLATOR *aulicus.*

Egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſæuitiæ principis adrepit, mox clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus, dans exemplum quod ſecuti ex pauperibus diuites, ex contentis metuendi, perniciem aliis ac poſtremò ſibi inueniunt. *Idem Annal. libr.* 1.

ADVLATORES.

Quidam adulationi libertatem veluti ſubauſterum condimentum admiſcent, quo proteruæ inter pocula loquacitati tædium dimoueant & ſatietatem, idque conſequantur, vt aſſentientes & concedentes quoties de re graui ſermo inciderit, non gratiam captare, ſed prudentia inferiores videantur. *Plutarc. in Antonio.*

Iis omnia principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt. *Tacit. annal. l.* 2.

Aulæ in perniciem ſuam alunt laudatores malorum, bonorum iuſtitiam ſimulantes. *Nicetas Andronic. lib.* 2.

Id vſu euenire ſolet, vt qui ad omnes accedunt, & res miras atque adeo fortè abſurdiores intenti hiantéſque audiuut, haud difficulter per eum fallantur, qui & ſua iactare ſit ſolitus, & ad gratiam aliena perinde ingentia explicare, quũ minus intelligitur, qualiſnam ſit, qui vel ſuas vel alienas laudes canat, & quoties ille ſit qui laudatur, vel cuius rei gratia laudetur. *Agath. hiſt. l.* 2.

Vt gutta continuò ſtillans durũ etiam ſaxum excauat, & arborum folia erucæ abſumunt: ita adſentatores ad extremum puſillis animis præditos homines abſumunt. *Conſtant. Manaſſ. annal. pag.* 117.

ADVLATORES *hiſtorici.*

Flaminius proconſul Philippum regem, & cum eo Thracas, Macedones, Illyrios, multáſque præterea gentes, quæ in auxilium ei venerant, bello ſubegit. Victi Macedones caſtra amiſerunt. Octo millia hoſtium eodem die cæſa, quinque millia capta Polybius ſcribit. Valerius dicit quadraginta millia trucidata. Claudius verò triginta duo millia interfecta commemorat. Sed hæc varietas ſcriptorum vtique fallacia eſt, fallaciæ autem cauſa, profectò adulatio eſt, dum victoris laudes accumulare, virtutémque patriæ extollere, vel præſentibus vel poſteris ſtudent: alioquin ſi inquiſitus non fuiſſet numerus,

merus, nec qualiſcunque fuiſſet expreſſus. Quod ſi glorioſum eſt Duci & patriæ, plurimos hoſtium peremiſſe, quanto magis lætum patriæ, & duci beatum poteſt videri, ſuorum, vel nullos, vel paucos perdidiſſe? Ita, lucidiſſimè patet, quod ſimili impudentia mentiendi, qua occiſorum hoſtium numero adiicitur, ſociorum quoque amiſſorũ damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur. *P. Oroſius, hiſt. libr. 4. cap. 20.*

ÆDIFICIA *publica.*

Ad vrbium ornamenta, ædificia, quæ antea nulla fuiſſent, conſtruere, ſapientum fermè virorum inuentio fuit, & ciuiliter viuere percallentium: quæ verò ad pulchritudinem extant delere, inſipientium proculdubio eſt, & quos minimè pudeat in ſuæ malignioris naturæ argumentum monumẽta poſteritati relinquere. *Beliſarius apud Procop. de bello Goth. lib. 3.*

ÆMVLATIO.

Vbi exiſtimant homines eũ qui præſtet aliis, neque præconia, neque præmia accepturum, liquidò patet inter eos nullam eſſe æmulationem. *Xenoph. de inſtit. Cyri, libr. 8.*

ÆQVALITAS.

Expedit ſtatim ab initio nullam in Republ. magnam inæqualitatẽ admittere: ſed vitæ rationibus omnium ad æqualitatem ſimilitudinémque adductus, auaritiæ, & iis quæ ab eo vitio proficiſcuntur malis occurrere atque præuertere. *Plutarc. in compar. Lycurgi & Numæ.*

Æqualitatis & nomen eſt ſpecioſum, & res iuſtiſſima. Qui enim eãdem naturam acceperunt, ex eadem gente ſunt nati, iiſdem moribus educati, iiſdem legibus inſtituti, eundem corporum animorúmque vſum patriæ exhibẽt, quî non iuſtum ſit eos cæterorum quoque omnium communitatem habere? qui non optimum ſit, neminem alteri niſi virtutis cauſa præferri? Qui enim eadem ſunt conditione nati, æqualitatem appetunt, eáque potiti gaudent, deſtituti dolent: hominéſque quum ex diis ſunt orti, & ad eos redituri, ſurſum reſpiciunt, ac neque volunt ſub vnius ſemper eſſe imperio, neque ferunt ſe laborum, periculorum, impendiorumque participes, rerum meliorum communicatione priuari: ideóque ſi cogãtur omnino aliquid huiuſmodi tolerare, eum à quo ſibi vis facta eſt, odio habent. Omnes enim habere in alios imperium cupiunt, ac propterea ipſi quoque aliqua ex parte pârêre aliis dignantur: nolunt alios ſe potiores eſſe, ideóque ipſi etiam aliis ſe vi non præferũt: gaudent honoribus ab æqualis dignitatis hominibus, laudant ſupplicia ex præſcripto legum irrogata. Qui, ſi hac ratione reſpublica adminiſtretur, communia & bona & mala ducentes, nihil aduerſi ciuium ſuorũm vlli, omnia proſpera contingere optant: ac ſiquis ipſorum virtute aliqua præditus eſt, eam & oſtendit promptè, & exercet ſtudioſè, & libentiſſimè illuſtrem facit: ſin virtutem aliquam in alio ineſſe animaduertit, eam & producere in medium paratus eſt, & omni ſtudio augmenta eius adiuuat, honoréſque ei ſummos defert: ibi ſi quis improbè quicquam agit, odio cum reliqui omnes, ſin aduerſam patitur for-

tunam, miſericordia proſequuntur: commune totius ciuitatis & damnum & dedecus quod inde accidat exiſtimantes. Hæc fiunt vbi populus in republica principatum obtinet:in vnius principatu diuerſa eueniunt omnia. Quæ ne ſingillatim perſequar, nemo certè eſt qui ſibi boni aliquid adeſſe videri velit: nàm plerunque id inimicitia eius qui ſummam rerum obtinet, ſequitur: verùm huius mores vnuſquiſque ſibi regulam vitæ ſuę proponens, ipſe etiam ea tantum exercet vnde ſine periculo priuatum lucrum ſperet: quo fit, vt plerique proprio tantùm commodo nitenti, omnes alios oderint, eorumque felicitatem ſuum damnũ, infortunia ſuum emolumẽtum putent. *Dion,lib.52.*

Æqualitas ipſa inuidiam excitat, nec alius aliis præeſſe patitur. *B.Facius,hiſt.lib.10.*

Popularis reipublicæ fundamẽtum maximè neceſſarium, æqualitas. *Fr.Guicciardin.hiſt.l.2.*

ÆQVANIMITAS.

Longè deterius eſt præſenti conditioni ſuccumbere, & ſe continere nequire, doniſque fortunæ non rectè vti, quàm aduerſis rebus impulſas aliis iniuriã inferre, hoc enim ij faciunt qui à ſuis calamitatibus etiam inuiti vtilitatis ſuæ cauſa aliquid peccare coguntur: quum illorum impotentia voluntaria ſit, ac pręter ipſorum quoque commodum ea agant. Iam qui nulla æquanimitate ſunt præditi, neque moderari oblatis ſibi bonis poſſunt, quomodo eos putandum eſt aut aliis rectè imperaturos, aut res aduerſas rectè toleraturos? *Dion,lib.52.*

ÆQVITAS.

Æquitas parens nutrixque orbis Romani. *Amm.Marcel.libr.21.*

Quod rectum eſt, nunquam cor rigitur adhibitum prauo: aut ſi adhibetur, non tamen deprauatur, ſed prauum confertur ad rectum. *G.Pachymer.hiſt.lib.5.*

AFFECTVS.

An non vides medicos, quàm rarò veniant ad vrendum & ſecandum, ne morbos efficiant grauiores: & vt eos perfuſionibus ac mitibus medicamentis curent atque molliant? Nec exiſtimare debes, inter morbos corporum & has animorum perturbationes intereſſe. Nam ea quæ corporibus accidunt, ſæpe ſolent cum animis noſtris, quamuis incorporei ſint conuenire: metu enim contrahuntur, ira turgeſcunt & tument: mœror etiam quoſdam deiicit, alios inflat audacia, ita vt corpus & animus nõ multum inter ſe differant, & ob eã cauſam egeant conſimili medicina. *Xiphilin.Cæſ.Auguſt.*

Ad omnes affectus impetu rapimur, vituperamus, laudamus, miſeremur, iraſcimur. *Curt.l.7.*

Neque philoſophia neque imperium tollit affectus. *Iul.Capitol.in Antonino Pio.*

AFFECTVVM *prauorum vis.*

His accidit qui victi perturbationibus animi officium deſerunt, vt nullam veram rationem in medium adducant, ſed inanes tantummodo ac ratione carentes cauſas ſectantur. *Polyb.li.3.*

AFFINITATES.

Regiæ affinitates ſæpe temporibus ſeruiunt. *G.Pachymer. hiſtor. libr.10.*

AFFI-

Afflictiones *quomodo conſiderandæ.*

Quod plerique interdum, cùm homines ſint, ex inſperato in grauiſſimas clades incidunt: non tam eorum qui patiuntur, quàm fortunæ, & eorum qui agunt, culpa euenit. quod verò ſponte ſeſe, & per imprudentiam nonnulli calamitatibus obiiciunt, apertus eorum qui patiuntur error eſt. Ideo ſi quos in grauiorem aliquem caſum fortunæ ſæuitia deductos intelligemus, non ſolùm miſericordia proſequimur, ſed quantum in nobis eſt veniam opémque præſtamus. Quos verò per imprudentiam aut peruerſitatem ſuorum ſibi malorum authores cognoſcimus extitiſſe, reprehendimus, culpamus, atque odio habemus. *Polyb. l. 2.*

Afflictiones *priuatæ, graues.*

Veriſſimè, vt mihi quidem videtur, Pindarus dixit vehementer ſuis vnumquenque malis affici, calamitatis verò alienæ ſenſum haud vtiquam graue percipere. *Pauſan. libr.* 10.

Conſtat ſanctos prudentéſque ſenſu mali promptiores fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus ſuis cunctos æſtimant, ſibi minus conſulere. *Sex. Aurel. Vict. Diocletian.*

Afflictionum *mitigatio.*

Non omnia in hominibus mala ſunt, ſed peſſimis interdum optima quædam miſcentur. *Conſtant. Manaſſ Annal. pag.* 82.

Afflictionum *vſus.*

Conſtat ſanctos prudentéſque ſenſu mali promptius fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus ſuis cunctos æſtimant, minus conſulere. *Aurel. Vict. libr. de Cæſarib.*

Agmen.

Agmen & ſtare paratum & ſequi: nec turba nec ſarcinis prægraue: intentum ad ducis non ſignum modò, ſed etiam nutum. *Curt. l. 3.*

Agricultura.

Eſt Elienſium regio & numero incolarum, & omnium rerum copia inter cæteras Peloponneſi regiones refertiſſima: quippe magna pars habitantium adeo agriculturæ dediti ſunt, vt ſecundam & tertiam ætatem ruri agentes, multis alioquin diuitiis præditi, nunquam ciuitatem ingrediantur. Quod ideo accidit, quia potentiores in ciuitatibus agricolas in precio habent, magnáque diligentia ac ſtudio obſeruant, ne qua re ad vitæ vſum neceſſaria careant, vel iniuriā ab aliquo patiantur. Mihi autem veteres hoc inſtituiſſe videntur, cùm quod olim multitudo agriculturam communiter exercuerat, tum potius quod olim ſacram vitam viuebant, & ex Græcorum omnium propter certamen Olympicum conceſſione, ſacram & tutiſſimam regionem habebant, omnium malorum & omnis bellici tumultus expertes. Poſtquam verò orta inter Arcades de Laſione & Piſa contentione, coacti ſunt bellum pro patriæ defenſione ſuſcipere, ac priſtinam vitæ rationem mutare, nullam amplius curam habuerunt conſequendi veterem illam, & quaſi hæreditariam à Græcis libertatem: ſed in eodem ſtatu permanſerunt, haud rectam futurarum rerum coniecturam capientes. Nam ſi quod omnes petimus, quódque vt aſſequamur omnia ſu-

ſtinemus & quod omnium confeſſione indubitatum eſt apud homines bonum, pacem videlicet atque concordiam: ſi hoc, inquam, ſeruato officio atque iuſtitia, conſequi à Græcis aliqui in perpetuum poſſint, & vel contemnant id ac pro nihilo habeant, vel aliquid pluris æſtiment, nónne ſtultiſſimi ſunt & omni ratione deſtituti. At aliquis obiiciet, ſi qui hanc viuendi rationem cuſtodiunt, inutiles erunt ad reſiſtendum, quoties bello vel alio iniuriarum genere infeſtabuntur. Illud certè perrarum eſt: quod ſi aliquando acciderit, communi Græciæ auxilio eiuſmodi homines defendi poterunt: aut ſi priuatim ab aliquo offendantur, haud difficile erit per ſe ipſos mercenarios cogere ex pecuniis, quas longa pace ac tranquillitate rerum compararint. Nunc autem id timentes quod rariſſimum eſt, & præter omnium opinionem accidit, cõtinuis bellis ac vexationibus, ſéque & regionem ſuam conficiunt. *Polybius libr.4.*

Nullum eſt ſtudium quod tam aciem támque celerem pacis amorem hominibus ingeneret, quàm victus agricultura quærendus: in quo audacia militaris, quæ in defendendis propriis rebus requiritur, permanet atque adeſt, quæ verò ad inuadenda aliorum bona cupiditati licentiam præbet, excinditur. *Plutar. in Num a.*

ALACRITAS.

Quid non facit alacritas, & animus in re mala bonus? *Nicetas Andronic. lib.2.*

AMBITIO.

Dominandi cupiditas raró bonos habet euentus. *Thucyd. l.6.*

Quotquot natura ad dominandũm propendent, & ſtudio libertatis tenentur, indeſinenter inter ſe dimicant, eo quod indiuulſo ſtudio huc contẽdunt, vt priores partes habeant. *Polyb. l.5.*

Qui captare vult gratiam populi eum quàm minimè etiam vindictæ iniuriarum eius cupidum eſſe decet: nam nimia ob non impetratum honorem indignatio naſcitur ex nimia eius honoris cupiditate. *Plutarc. in comparat. Alcibiadis & Coriolani.*

Aliena concordiæ & fera eſt ambitionis materia. *Idem in Pyrrho.*

Sapiens fuit Euripides, & ciuilium malorum gnarus, qui vitandã ambitionem & honorum cupidinẽ præcipit, tanquam peſtilentiſſimũ & nocedtiſſimum iis, qui ei obtemperant, genium. *Idem in Sylla.*

Inſanum gloriæ amorem atque ambitionem ne ſenectus quidem extinguit. *Ibid.*

Inſatiabilis eſt, illa dominandi cupiditas. *Dionyſ Halic. l.1.*

Ægerrimè homines tolerant ſibi à ſuis æqualibus ac familiaribus anteiri. *Dion. l.41.*

Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit: aliud clauſum in pectore, aliud promptũ in lingua habere: amicitias, inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſque vultum, quàm ingenium bonum habere. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Natura mortalium auida eſt imperij & præceps ad explendam animi cupidinem. *Idem de bel. Iugurt.*

Animo cupienti, nihil ſatis feſtinatur. *Idem ibid.*

Expertus es vnũquenque quod ipſe repererit, aut ſolum, aut optimum

mum ducere. *Curtius lib.7.*

Gloriæ auaritia & inſatiabilis cupido famæ nihil inuium, nihil remotum videri ſinit. *Idem lib.9.*

Sordent prima, cùm maiora quæque ſperantur *lib.10.*

Decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habet ambitio. *Tacit. Annal.lib.12.*

AMBITIO.

Cupido regni eſt fratre & filia potior. *Idem, ibid.*

Pertinax alieni cupiditas multas ſæpius addidit ſtrages. *Amm. Marcel.lib.17.*

Conſtat id longè eſſe præſtantius, ſua vt quiſque ſecurè poſſideat, quàm dum aliena nimium appetit, vel de neceſſariis admodum rebus periclitetur. *Procop. de bell. Goth.lib.2.*

Multi Imperatores ad ſacras ædes extruẽdas ambitione quadam ſunt impulſi, quæ parum abeſt à vanitate & ſuperbia. Hæ vbi eminent actionis honeſtas vacillat, veluti pomorum elegantiam vermes contaminant. Andronicus verò ſatius eſſe iudicauit, iam extructas tueri & exornare, & contra pericula vetuſtatis munire: quàm eas collabi ſinere, & alias è fundamentis ad oſtentationem extruere. Illic enim non abeſt inuidiæ ſuſpicio, in ſtructuris veterum abolendis, vt eorum vna quoque memoria & fama aboleatur, recentes verò earúmque ſtructores celebrentur: hîc verò grauitas & iudicium pollet, nullo prauo affectu deliteſcente, ſed conſcientia in Deum intenta. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr.7.*

Dominandi libido omnia humana ac diuina iura negligit. *B. Facius hiſtor. libr.1.*

Ad nefanda ſcelera dominandi ſitis peſtifera mortales impellere ſolet. *Fr. Guicciardin.hiſt.l.1.*

Vt quiſque ſuis finibus contentus viuat, ambitio non permittit. *Idem lib.3.*

Ambitione fit vt potentiores ſemper minus potentes opprimere cupiant. *Idem lib.4.*

Dominandi cupiditas & odium ad quamuis periculoſam dominationem homines vehementer impellunt. *Ibid.*

Dignitatis atque imperiorum æmulatio vel inter amiciſſimos gignere odium ſolet. *Idem l.7.*

Tot malorum, quæ ex bellis oriuntur cauſa eſt principum ambitio & cupiditas, temeritas item nimiaque inſolentia. *Idem libr.8.*

Pontificum Rom. ambitio nullum maius quàm ex ſeipſa fomentum habet. *Idem l.13.*

Omnium magnorum principũ proprium vitium eſt ambitio, atque ipſorum naturæ inſita cupiditas. *Idem l.15.*

Potentiæ æmulatio fratres inter ſe armare & committere ſolet. *Idem l.16.*

AMBITIOSI.

Quicunque potentiam affectãt, cætera omnia cupiditati ſuæ poſtponunt, ita vt amiciſſimos etiam generéq; proximos inimiciſſimorum loco habeant. *Dion l.38.*

Qui maiora expetunt, de hoc ipſo in periculum veniunt. *Idem lib. 40.*

Diuerſi ſunt animi ſenſus eorũ qui imperium affectant, & eorum qui eo iam potiti ſunt. *Idem l.42.*

Qui propria dignitate aliqua eminent, neque ſalutationes ab

aliis requirunt, neque omiſſas vitio vertunt, conſcij nimirum ſibi, non hoc coutemptu ſui fieri: at qui adſcititiis ornamentis vtuntur, ſummopere ea, tanquam ad perfectionem ſuæ dignitatis neceſſaria deſiderant: ac niſi conſequantur, tanquam probro iniuriàve affecti animis commouentur. Ideo magis huiuſmodi homines quàm ipſi ferè imperatores, ſunt obſeruandi, quòd apud hos virtutis habetur peccatorum gratiam facere: apud illos quod delinquitur, imbecillitatem ſuam arguere creditur, faceréque ad firmandam magnæ potentiæ opinionem, vt ea perſequãtur, vlciſcantúrque. *Dion, li. 58.*

Ambitioſa ingenia, aliâs ad imperia gerenda non inepta, quòd æqualibus gloriæ cauſa inuident, id non exiguo iis in rebus præclarè [illegible]ndis impedimento eſt: eos enim virtutis ſuæ aduerſarios reddunt, quibus adiutoribus vti poterant. *Plutarc. in Lyſandro.*

Quorum cupiditatẽ neque mare, neque mons, neque vaſta ſolitudo, non qui Europam ab Aſia diuidunt limites definiunt, ij vicinia ſe attingentes à maleficiis mutuo abſtinere minimè poterunt. Imò autem inſidiandi ſtudiũ inuidiámque innatam gerentes, perpetuò inuicem infenſi ſunt, belli autem & pacis nominibus veluti nomiſmate aliquo, promiſcuè, non iuris, ſed vtilitatis ratione vtuntur: quãdoquidem etiam meliores ſunt cũ apertè bellum gerunt, quàm cùm vacantem & otioſam iniuſtitiam iuſtitiæ & amicitiæ nomine afficiunt. *Idem in Pyrrho.*

Ambitioſi homines in ciuilibus certaminibus modum excedentes, plus mali quàm boni habent. *Idem in Ageſilao.*

AMBITIOSI, *auræ popularis captatores.*

Haud ab re quidam exiſtimant Ixionis fabulam aduerſus inanis gloriç ſectatores excogitatam, qui cum nebula concubuiſſe pro Iunone, atque ita Centauros procreaſſe dicitur: nã & iſti gloriam, veluti quandam virtutis vmbram amplexi, nullum ſincerum aut laude conſtanti dignum, ſed adulterina pleraque & exilia facinora edunt, aliis aliâs æmulationum & cupiditatum impetibus acti. Nam quod illi apud Sophoclem paſtores de gregibus ſuis dicunt,

Seruimus his, Domini ſimus licet, tamen
Et hos, taceant quamuis, audire cogimur:

id re vera his accidit, qui in republica verſantes cupiditatibus multitudinis obſequuntur atque ſeruiunt, vt popularium & principũ ciuitatis titulum conſequantur. Vt enim proretæ poſtquã ea quæ ante gubernatores ſunt proſpexere, ad illos reſpiciũt, & eorum iuſſa perficiunt: ſic illi multitudinis miniſtri ſunt, cùm principum nomen gerant. Etenim quo omnibus numeris abſolutus eſt bonus vir, ei gloria opus omnino non eſt, niſi quæ ei fidem conciliet, aditúmque ad res gerendas faciat: iuueni & honorum cupido concedendum eſt, vt præclaris factis nonnihil etiam ſe iactet. Virtutes enim quæ in huiuſmodi enaſcuntur & germinant ingeniis, laudatione (vt ait Theophraſtus) confirmantur, augeſcúntque, animis ſimul ſeſe efferentibus. Verum vt vbique id quod modum

excedit

excedit damnoſum eſt, ita in ambitione ciuili exitium adfert: magnam enim ea potentiam adeptos ad vecordiam manifeſtamque effert inſaniam, cùm non honeſtas actiones glorioſas haberi volunt, ſed glorioſum eſſe boni loco ducunt. Quemadmodum igitur Phocion Antipatro à ſe aliquid inhoneſtum petenti reſpondit, ſe nō poſſe ei ſimul & amicum eſſe, & adulatorem: ita, aut ſimili modo, multitudini dicendum eſt, Non poſſe eam eodem & duce & aſſecla vti. Nam quod veniſſe draconi fabula ſignificat, caudam in diſſenſione quadam à capite poſtulaſſe, vti nō ſemper ſequi cogeretur, ſed alternis ipſa quoque præiret: ſortitámque ducendi munus, & ipſam malè afflictam fuiſſe, vtpote cùm ambularet improuidè, & caput cōtra naturā coactū cæcis ſurdiſq; partib. obſequi grauiſſimè offendiſſe: id videmus multis eorū qui in gratiam populi omnia in Republ. agūt obtigiſſe. quippe cùm ſe multitudini temerariis impetibus citatę abripiēdos dediſſent, neque corrigere poſtea, neque eam confuſionem inhibere voluerunt. *Idem, in Agide.*

Nulla eſt bellua ſæuior homine poteſtate ad exequendum quod perturbato animo decreuit armato. *Idem in Cicer.*

Libidinem dominandi cauſſam belli habent: maximam gloriam in maximo imperio putant. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Inuiti, non ambientes, ſunt in Republ. collocandi. *Et Lamprid. in Al. Seuero.*

Quærit dæmon ambitioni homines deditos ſummorum honorum ſpe deludere, qui præſertim conſtanti natura ſeu propoſito nō ſunt. *Procop. de bello Perſ. l. 2.*

Ferè omnes in magnis imperiis concupiſcunt omnium partes corripere atque complecti. *Æmil. Probus in Eumene.*

Tanta eſt in ambitioſis imperandi auiditas, vt qui pręeſſe cupit, & ad id faſtigiū legi, vrbes & prouincias ſine diſcrimine donet. *Pōp. Letus in Gallo.*

Omnes imperium affectant: nec quiſquam eſt, qui hîc iniuſtus eſſe vereatur, quamuis in rebus aliis ſe iuſtum ac moderatum declaret. *Cōſtantin. Manaſſ. Annal. pag. 83.*

AMICI.

Plerumque in calamitate ex amicis inimici exiſtunt. *Cæſar libr. 3. de bel. ciuil.*

Amicorum neque nobis, neque cuiquam hominum ſatis fuit. *Salluſ. de bel. Iugurth.*

Sinceræ fidei amici præcipuè in aduerſis rebus cognoſcuntur: in quibus quicquid præſtatur, totum à conſtanti beneuolentia proficiſcitur. Felicitatis cultus, maiore ex parte adulationi quam charitati erogatus, certè ſuſpectus eſt: perinde ac ſi plus ſemper petat quàm impendat. Accedit huc, quod infractæ fortunæ homines magis animorum ſtudia deſiderant, vel præſidij vel ſolatij gratia. Nam læta quidem, & proſpera negotia, vtpote cùm diuina ſuffragatione foueantur, humana minus indigent. Tenacius igitur eorū nomina poſteritatis memoria apprehendit, qui aduerſos amicorum caſus non deſeruerunt, quàm qui proſperum vitæ curſum comitati ſunt. Nemo de Sardanapali familiaribus loqui-

tur. Oreſtes Pylade penè amico, quàm Agamemnone patre notior eſt. Siquidem illorum amicitia in conſortione deliciarum & luxuriȩ contabuit: horum, duræ atque aſperæ cõditionis ſolatium, ipſarum miſeriarum experimento enituit. *Valer. Max. l.4. c.7.*

Graue damnum eſt homini fraudem amicis facere. *Xiphilin. Caracal.*

Quos viceris amicos tibi eſſe caue credas: nec tibi amico opus eſt de cuius beneuolentia dubites. *Curtius l. 7.*

Amicis ineſt adulatio. *Tacit. Annal. l.2.*

Non hoc pręcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo quæſtu: ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandauerit exequi. *Idem, eod. l.1.*

Nullum maius boni imperij inſtrumentum quàm boni amici. *Tacit. hiſt. l.4.*

AMICI *certi.*

Qui apud amicos proximè deſident, non eos maximè in tuto locant: ſed qui hoſtes quàm longiſſimè repellunt, ij tutiores amicos reddunt. *Xenoph. de inſtitut. Cyri, lib.4.*

AMICI *incerti.*

Qui præſentia interuertere habent in animo, in amicos vehemẽter cauſas excitant. quibus enim amicitię ius minimè placet, leues & nullius momenti occaſiones commentari conantur. *Procop. de bell. Perſ. l.2.*

AMICI *principum.*

Non aureum ſceptrum eſt quod regnum principibus cõſeruet, ſed amici fideles regibus & veriſſimũ & tutiſſimum ſceptrum ſunt. *Xenoph de inſtitut. Cyri, libr.8.*

Principũ amici quum ſe mereri omnia præſumant, ſi quicquam nõ extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus. *Sex. Aurel. Vict. Nerua.*

AMICI *tyrannorum.*

Amicorum tyranni quanto quis clarior, minus fidus. *Tacit. hiſtor. libr.3.*

AMICORVM *beneficentia.*

Amicorum propenſio ſi commodè fiat magnum adfert emolumentum: ſi verò coacta ſit, & tandem tarda ac deficiens, vanum habet ſubſidium. *Polyb. hiſt. l.9.*

AMICITIA.

Adminiſtratio & cura Reipublicæ ad patricios pertinet, amicitia & pax ad bonos ciues. *Dionyſ. Halic. lib.6.*

Potens & præualidum eſt amicitiæ vinculum, neque vlla ex parte ſanguinis viribus inferius. Hoc etiam certius & exploratius, quod illud naſcendi ſors, fortuitum opus, hoc vniuſcuiuſque ſolido iudicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius eſt ſine reprehenſione propinquum auertere, quàm amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera vtique leuitatis crimini ſubiecta eſt. Cùm enim deſerta ſit futura vita hominis nullius amicitiæ cincta præſidio, tam neceſſarium ſubſidium temerè aſſumi non debet: ſemel autem rectè apprehenſum ſperni non conuenit. *Valer. Max. l.4. c.7.*

Non magnitudine munerum, ſed conſtantia morum continetur amicitia. *Tacit. hiſt. l.3.*

Firmiſſima eſt inter pares amicitia. *Curt. l.7.*

Plus in amicitia valet ſimilitudo

do morum quàm affinitas. *Cornel. Nepos in vita Pomp. Attici.*

Prudentius & facilius conſilium eſt amicitiam cum eo qui tibi inimicus ſit ſtabilire, quam cum eo qui nunquam amicus eſſe poſſit contrahere. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr.16.*

AMICITIA *conſtans.*

In felicitate fidem ſeruare nihil arduum eſſe videtur: verum quum quiſpiam in amici calamitate conſtans permanet, id verò in ſempiternum memoria tenetur. *Xen. de reb. geſt. Græc. l.4.*

AMICITIA *principis.*

Sæpe mentionem faciebat Vitellius veterum ſodalium, eóſque habebat in honore. Neque enim turpe aut ſe indignum putabat, ſi aliquem ex iis agnoſcere videretur: quod plerique faciũt, qui elati maximis & inſperatis honoribus, oderunt eos, à quibus ſe intelligunt humiles antea & abiectos cognitos fuiſſe. *Xiphilin. Vitel.*

AMICITIA *etiam ex oculis ſublata deſideratur.*

Temporis diuturnitas rei fortaſſe faſtidium parit: magnam tamen familiarium animis affectionem imprimit, quæ illo abeunte manet, & recẽs animis pacatis obuerſatur veterum inimicitiarum abſterſa macula. *Niceph. Gregoras, hiſt. l.10.*

AMICITIA *inter principes.*

Ægrè conſiſtit inter principes amicitia, propter diuerſitatem eorum, quæ ſingulis propè momentis ad ipſos deferuntur. Cauere igitur debent, ne in colloquutionem ipſi veniant, ſed per legatos, viros prudentes, qui quod vtrinque peccatum eſt, ſanare poſſent, ſua negotia conficiant. *Ph. Cominæus libro 2.*

Eſt ſanè difficile admodum, vt qui ſunt æquali potentia principes, diuturnam colant amicitiam, niſi maiori alicuius authoritate cohibeantur. Eius rei multa ipſe vidi & cognoui documenta. Sic enim eſt inter homines comparatum, vt facilè ſuſcipiant inimicitias, neque reſpiciant ad eum, qui ferè comitari ſolet, triſtem & luctuoſum exitum. Mea ſic eſt ſententia, vt exiſtimem eum qui ſolus habet in poteſtate decem hominum millia, magis eſſe metuendum quàm decem confœderatos, qui ſinguli ſenis millibus præſunt. Nam quia nullius hîc præcipua vel ſingularis authoritas, multa quotidie in diſceptationem incidunt, & antequam aliquid conſtituatur, prætereunt ferè occaſiones. *Ph. Cominæus, lib.2.*

AMICITIÆ *comparandæ rationes.*

Plerique cum aliis pro potentia eorum, aut ſuis ipſorum commodis, amicitias inimicitiáſque ſuſcipiunt. *Dion, l.37.*

AMICITIÆ *confuſio.*

Pompeius exiſtimabat duas eſſe res quæ amicitias confunderent, metum ſcilicet & inuidiam: idque ibi demũ fieri quum vel de gloria vel de potentia certamen initur. Nam quandiu ea vtrinque æqualia ſint, amicitiam quoque valere, vbi alter alterum excellat, ibi & inferiorem inuidia permotum, odio ſuperiorem proſequi: & potentiorem contemptu imbecillioris elatum, contumeliam ei inferre. Ita accidere vt quum alter indignetur ſe inferiores ferre, alter præſtantia

ſua ſeſe extollat, ex priſtina amicitia ad diſcordias ac bella deueniatur. *Idem, lib.* 39.

AMICITIÆ *regum.*

Multum inuidiæ atque malitiæ regum tyrannorúmque amicitias comitatur: quas tamẽ pleriq́ue appetunt, magnóque amoris feruore contrahunt. *Plutar. in Arato.*

AMICVS.

Firmior eſt amicus qui dat beneficium, ſtudens retinere beneuolentiam apud eum cui benefecerit. Sed qui debet reddere gratiam ſegnior eſt, quia ſcit debitum non exiſtimari beneficium, cùm viciſſim benefacit, nec magis mouemur noſtra vtilitatę, quàm fide & liberalitate, vt ſine metu aliis benefaciamus. *Thucyd. l.* 2.

Nullus amicus firmus eſſe poteſt ei cui eſt exoſus. *Dionyſ. Halic. libr.* 3.

Amicus ab hoſte neque ipſis faciei notis neque hominis impoſitione diſcernitur, ſed vſu & factis. *Idem, l.* 8.

AMICVS *inimicus.*

Quicunque ſub amici nomine alterum fallit, is, meo iudicio, multò eſt quàm qui fallitur turpior. *Xen. de exped. Cyri, l.* 7.

AMOR.

Inter tumultus ciuiles nuſquam fides aut amor: metu ac neceſſitate huc illuc mutantur. *Tacit. hiſtor. libr.* 1.

Fieri non poteſt, vt cœptus amor augeatur, niſi redameris. *G. Pachy. hiſt. l.* 4.

AMOR *cognatorum.*

Natura fert, vt cognatis, maior charitas & honos tribuatur. *Nicet. Alex. Ang. l.* 2.

AMOR *impurus.*

Multæ & magnæ ſolent ex amore hominibus exiſtere calamitates. *Panſan. l.* 1.

In amore inſunt ira, iurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio, & pars tenebrarum libidine ſepoſita. *Tacit. Annal. l.* 13.

AMOR *liberorum.*

Quum Solon ad Thaletem Miletum veniſſet, mirum ſibi videri oſtendit, quòd tantus vir omnino coniugij procreationíſque liberorum nullam rationem habuiſſet. Paucis poſt diebus Thales peregrinum ſubornauit qui Soloni verbis confictis deluſo renuntiaret filiũ eius Athenis fuiſſe tumulo illatũ: quo nuntio audito Solon affectu naturali raptus ad ea prolapſus eſt dicenda & facienda quę ſolent, qui graui aliquo dolore ſunt perculſi. At Thales rem confictam eſſe tunc faſſus eſt, vt Solonem à dolore reuocaret. Verum enimuero ineptus ſit abiectíque ingenij homo, qui metu amittendi à parandis rebus neceſſariis abſtineat. Ita enim neque diuitias, neque gloriam, neque ſapientiam præſentem quiſpiam gratam habebit, quòd priuatum ex ſe iri timeat: quando ipſam etiam virtutem, qua nihil neque maius neque iucundius poſſidemus, morbis & medicamentis auferri videmus. Neque verò Thales eò ſe omnis metus ſecurum præſtitit, quòd coniugium vitauit: niſi fortè & amicos, & neceſſarios, & patriam omnino nullam habuit: quin etiam adoptaſſe ſibi filium ſororis Cybiſthum traditur. Quippe cùm in animo hominis inſit quiddam, quod ad diligendum nos incitet, vtque vis ſentiendi, cogitandi, memorandíque

dique, ita etiam amandi in ea ſit inſita: fit vt qui nihil domeſticum atque proprium habeant quod ament, iis aliquid externum ſe inſinuet, ſibique eos deuinciat. Itaque huiuſmodi animum, tanquam domum aut agrum legitimis heredibus carentem, alieni & non genuini ſubeunt demerendo, occupántque & efficiunt, vt is ſimul cum amore, curam quoque ſolicitudinémque pro ipſis ſuſcipiat. Eſtque adeo videre homines, qui cum obſirmato admodum animo de coniugio & ſuſcipienda prole diſſerant: mox vernarum liberis aut pellicum ægrotantibus moriẽtibúſve, deſiderio eorum ſuccumbant, vocéſque ſe indignas emittant. quidam mortẽ canum aut equorum ita tulerunt, vt turpiter in poſterum tulerint, vitam ipſam præ dolore acerbam ſibi habentes. Contrà, inuenti ſunt qui amiſſis egregiis liberis, nihil turpe aut indignum in ſe admiſerunt: ſed vitæ reliquum ritè & prudenter exegerunt. Non enim beneuolentia, ſed animi imbecillitas, mœrores fine carentes metúſque incutit hominibus ad ferendam fortunam ratione non exercitatis, quod futurorum timor tantis doloribus ac trepidationibus ſolicitudinibúſq; affiictat: dum ſe ea quæ habent, amiſſuros metuunt, vt præſentibus iis, quæ expetebant, nulla adficiantur delectatione. At verò non paupertate pecuniæ, non ſolitudine amicorum, non cœlibatu, liberorum amiſſio effugienda eſt: ſed cõtra hæc omnia conſilio animus obfirmandus. *Plutarc. in Solone.*

AMOR *noſtri.*

Quæ volumus, & credimus libenter: & quæ ſentimus ipſi reliquos ſentire ſperamus. *Cæſar l. 2. de bel. ciuil.*

Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere, & inuidiam rerum non ad cauſam ſed ad voluntatem perſonáſque dirigere. *Velleius Paterc. l. 2.*

Vnuſquiſque quod ipſe reperit, aut ſolum, aut optimum ducit. *Curtius l. 7.*

Natura nobis quodãmodo charitas erga res noſtras eſt inſita, qua deuincti & remolleſcentes, malis affectibus & actionibus tã noſtris, quàm chariſſimorum ſegniùs reſiſtimus. Quo fit, vt veluti ſurdis auribus eorum verba prætereamus, qui noſtrorum improba facta commemorant. *Nicet. Iſaac. Angel. libr. 3.*

ANIMI *humani conflictus corporeis incommodis, longè grauiores.*

Norunt omnes quantum animus corpori præſtat, tanto maiores etiam conflictus & fluctus illius eſſe, quos tempus veluti hoſtilem aciem inſtruit atque adducit. Nam illic quidẽ multa vndecunque auxilia præſto ſunt, clypeus ac galea, & haſta, ſæpe iudicum certaminis ſententiam occupantia, interdum crimina contegunt. Hic verò animi fortitudo ſola in certamen deſcendens, & veluti firmæ crepidini conſilij & prudentiæ inſiſtens, & nudos atque inermes pedes obfirmans, fortiſſimè reſiſtere atque obniti cuiuis doloris fluctui poteſt, velut inconcuſſum promontoriũ inſanienti pelago. *Niceph. Gregor. hiſt. l. 10.*

ANIMI *immortalitas.*

Nonne animaduertiſtis, quos terrores illorum animi, qui vim &

iniuriam paſſi ſunt, homicidis incutiant? quos ſcelerum vindices nefariis immittant? Anne duraturos fuiſſe putatis extinctorum honores, ſi nihil eorum animis iuris ac poteſtatis reliquum eſſet? Equidem nequaquam perſuaderi mihi vnquam paſſus ſum, animum quādiu mortali corpore contineatur, viuere: poſtea quam ab eo diremtus ſit, mori. Nam animum video his morti obnoxiis corporibus, quandiu in eis degat, vitam impertiri. Ne id quidem perſuaderi poſſum, non ſapere animum, poſteaquam ab hoc inſipiente corpore ſeparatur: ſed quum à corpore ſecreta eſt pura mens & integra, tum eam ſapientiſſimam eſſe, vero maximè conſentaneū fuerit. Quū diſſoluitur homo, non eſt obſcurū ad res ſui generis ſingula commigrare, extra vnum animum, qui neque dum abeſt, neque dum diſcedit, cernitur. Animaduertiſtis nihil eſſe morti hominis ſimilius ſomno. At per ſomnum maximè hominis animus diuinitatē ſuam declarat, atque etiam futura proſpicit: quippe qui tum (vti quidem apparet) maximè ſit liber. *Xen. de inſtitut. Cyri, l. 8.*

ANIMI *magnitudo.*

Non turpe eſt accipere aliquid pro geſto imperio: ſed præclarius tamen eſt, non accipere: & abundantia virtutis oſtēditur, vbi quod licet accipere non curare ſe quis demonſtrat. Quemadmodum autē corpus id robuſtius habetur, quod & frigus & æſtum tolerare poteſt, & ad vtranque mutationem ſe rendam natura aptum eſt: ſic virtutis integra vis cenſetur, quam neque ſecundę res plus iuſto afficiūt, ſegnémque reddunt, neque aduerſæ deiiciunt. *Plutarc. in compar. Timoleontis & P. Æmilij.*

ANIMI *moderatio.*

Nihil eſt tam præclarum aut tā magnificum, quod non moderatione temperari deſideret. *Valer. Max. l. 4. c. 1.*

Vitæ noſtrę ſaluberrima pars eſt animi moderatio, quæ mentes noſtras impotenti temeritatis incurſu tranſuerſas ferri non patitur. Quo euenit, vt reprehēſionis morſu ſit vacua, & laudis quæſtu opulentiſſima: itaque effectus ſuos in claris viris recognoſcat. *Idem ibid.*

ANIMVS *nobilitas vera.*

Animus magnus ſpernit ſceptrū, quod alij per ignes ferrumque peterent. *Curt. l. 4.*

ANIMI *pabulum.*

Nihil eſt animo iucundius, quā id videre & audire quod deſideres. *Niceph. Gregoras, hiſt. l. 5.*

ANIMI *humani pernicacia.*

Non modò in hominum corporibus vlcera ita interdum crudeſcunt, vt ſanari nullo modo poſſint: ſed id longè magis humanis animis accidit. Quemadmodum enim in vlceribus euenit, vt ſi illis medicamētum curandi gratia adhibeas, vlcus ipſum vi medicaminis refricatum augeſcit: ſi verò curam eius negligas, longè magis ſua ipſius natura extenditur: neque prius deſinit, quàm omne ſubiectum corpus corruptum labefactatúmque ſit. Ita animis humanis cōſimiles interdum morbi ac tabes accidunt, vt nullum ex reliquis animalibus homine atrocius atque efferacius fiat: cui ſi interdum veniam aut impunitatem aliquam conceſſeris, aut aliter benignitate

cum

cum fueris profecutus,id omne do lum fraudémque exiſtimans dete- rior fit, & erga beneficum longè magis infidus. Si verò te contra op- poſueris, nihil eſt adeo durum, crudele, nefarium, quod non facilè aggrediatur: laudem ſibi eam teme ritatem exiſtimans, donec ad ex- tremum omnino efferatus animus humanam naturam exuit. Quarũ rerum initium ac ſanè maiorem partem mali mores afferunt, & deprauata à teneris annis educatio. Additamenta poſtea multa ſunt, ſed imprimis auaritia ducum atq; crudelitas. *Polyb.l.1.*

ANIMI *humani præſtantia.*

Dux atque Imperator vitæ mor talium, animus eſt: qui vbi ad glo- riam virtutis via graſſatur, abundè pollens, poténſque & clarus eſt, ne- que fortuna eget: quippe quæ pro- bitatem, induſtriam, cæteraſque bonas artes neque dare, neque eri- pere cuiquã poteſt. Sin captus pra- uis cupidinibus, ad inertiam & vo luptates corporis peſſundatus eſt, perniciosa libidine paulisper vſus: vbi per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturæ infir- mitas accuſatur: ſuam quippe cul- pam actores ad negotia transferũt. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

ANIMI *robur.*

Vires corporis conſeneſcunt, ſed animi robur probis in viris ſene- ctutem pati non poteſt. *Xen. orat. de Ageſilai laudibus.*

ANIMI *viſa nocturna.*

Solutis corporeis nexibus, ani- mus ſemper vigens motibus inde- feſſis, & cogitationibus ſubiectus & curis, quæ mortalium ſolicitant mẽtes, colligit viſa nocturna, quas phantaſias nos appellamus. *Amm. Marcel. lib.14.*

ANIMI *voluptas.*

Cuiuſuis hominis animus, dum verbis ad ipſas res quaſi manũ du- citur, & dum non ſolùm audit quę dicuntur, verùm etiam quę gerun- tur videt, voluptate afficitur. *Dio- nyſ. Halyc. l.11.*

ANNALES.

Præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes ſileantur, vtque prauis dictis factíſque ex poſteri- tate & infamia metus ſit. *Tacit. An- nal. l.3.*

Nemo annales noſtros (*inquit Tacitus*) cum ſcriptura eorũm cõ- tẽderit, qui veteres populi Roma- ni res compoſuere. Ingentia illi bella, expugnationes vrbium, fuſos captóſque reges, aut ſi quando ad interna præuerterent, diſcordias conſulum aduerſus tribunos, agra- rias frumentariáſque leges, plebis & optimatium certamina, libero egreſſu memorabant. Nobis in ar- cto & inglorius labor. Immota quip pe aut modicè laceſſita pax, mœſtę vrbis res, & princeps proferendi imperij incurioſus erat. Non tamẽ ſine vſu fuerit, introſpicere illa pri mò adſpectu leuia, ex quîs magna- rum ſæpe rerum motus oriun- tur. Nam cunctas nationes & vrbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt. Delecta ex his & conſtitu- ta Reip. forma, laudari facilius quã euenire: vel ſi euenit, haud diutur- na eſſe poteſt. Igitur vt olim plebe valida, vel cùm patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, ſe- natúſque & Optimatium ingenia qui maximè perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credeban-

tur: ſic conuerſo ſtatu, hæc conquiri tradique in rem fuerit. quia pauci prudentiã, honeſta ab deterioribus, vtilia ab noxiis diſcernũt: plures aliorum euentis docentur. cæterùm vt profutura, ita minimũ oblectationis adferunt. Nam ſitus gentium, varietates præliorum, clari ducum exitus, retinent ac redintegrant legentium animum: nos ſæua iuſſa, continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſſas coniungimus obuia rerum ſimilitudine & ſatietate. Antiquis ſcriptoribus rarus obtrectator, at multorum qui noſtro ſeculo pœnam vel infamiam ſubiere poſteri manent qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta ſibi obiectari putant: etiam gloria ac virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens. *Libr.* 4. *Annal.*

ANNONÆ *caritas.*

Inopia non ſolùm præſentis, ſed etiam futuri temporis timore ingraueſcẽte Annona conſueuit. *Caſ. l.* 1. *de bel. ciuil.*

ANXIETAS.

Ludouicus Sforcia in periculo imminenti à Comite Calatino, cui plurimùm confidebat deſertus, aulico cuidam qui defectionem comitis renunciauerat, non poſſe ſibi tantam ingratitudinem perſuadere reſpondit: quæ ſi tamen vera foret, quanam ratione ſibi cauendũ eſſet, ſi vel ab intimis, plurimiſque beneficiis affectis proderetur, cui amplius fidere poſſet ignorare, ſe non minorem minùſve pernicioſam calamitatem exiſtimare, vana ſuſpicione ſe fidorum hominum opera priuare, quàm incauta incredulitate illorum ſe fidei committere, qui ſuſpecti eſſe debebãt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 4.

APOSTASIA.

Imperator violata religione Deo inuiſus eſt, qui nulla alia re contra homines concitatur, quàm ab initio recepti ſui cultus mutatione. *G. Pachymer. hiſt. l.* 5.

APOSTATA.

Fidem homini non ſeruabit, qui Deo non ſeruarit. *Zonar. in Anaſt.*

AQVA.

Malæ aquæ potus, veneno ſimilis, peſtilentiam bibentibus generat. *Veget. l.* 3. *c.* 2.

ARCANA.

Illud maximè caſtrorum ſincerũ eſt, literas occultè recitare. *Tacit. Annal. l.* 1.

ARCANA *tacenda.*

Arcanum, pluribus auribus quã vni commiſſum, multifariam erũpit: amiſſoque arcani nomine fama celebris dici debet, tota caſtra, tam amicorum quã hoſtium permeans. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr.* 4.

ARISTOCRATIÆ *amor quid efficiat.*

Qui ingenio eo ſunt, vt Optimatum in Republica principatui ſtudeant, ij pauca in gratiam multitudinis agunt dicuntque: ideo cũ corruptos & peruerſos ciues corrigere vehementius contendunt, perinde moleſti iis ſunt, vt medicorum vincula corpori, quibus luxatos artus in ſuam redigunt ſedem. *Plutarch. in comparat. Cimonis & Luculli.*

Plures facilius munia Reipublicæ ſocietatis laboribus exequũtur. *Tacit. Annal. l.* 1.

ARMA.

ARMA.

Quæ oratione dirimi non poſſunt, de his decerni ſolet armis. *Dionyſ. Halyc. l. 3.*

Nullum ius profectò plus poteſt quàm arma. *Xiphil. in Nero.*

Arma, quæ fortibus honeſta, eadem etiam ignauis tutiſſima ſunt. *Tacit. in vita Agric.*

Arma & leges duo ſunt quæ ad reſpublicas gubernandas aptiſſima putantur. *B. Facius hiſt. l. 10.*

ARMA *iniuſta.*

Fieri non poteſt, vt qui vel iniuriam fecerit, vel vim forte intulerit, in certaminibus ipſis probè ſe gerat, quandoquidem pro ſingulorum vitę conditione regitur & belli fortuna. *Procop. de bell. Goth. libro 3.*

ARMA *iuſta fauorem Dei obtinent.*

Cauſa eorum Numini eſt magis accepta, qui fines ſuos defendunt, & hoſtes nulla laceſſerunt iniuria. *Pauſan. l. 4.*

ARMORVM *ornamenta vtilia.*

Cæteris in ſpectaculis luxus ad luxuriam inuitat, animóſque intuentiũ emollit cũ ſenſuum quaſi punctione & titillatione animus frangitur. At in bello armorum quę inaurantur vel argento & aliis ornamentis obducuntur obtutus animum confirmat augétque: ſicuti Homerus Achillem inducit propoſitis ante oculos nouis armis, ardore quodam inflammatum ad vſum eorum ſe concitare. *Plutarch. in Philopœmene.*

ARMA *qualia eſſe conueniat.*

Plurimum, inquiebat Philopœmen, ad terrorem hoſtium armorum ſplendor confert, at idoneus armorum apparatus plurimum facit ad neceſſitatem. Tum autem fiet quod conuenit, ſi diligentiam & curam quam nunc veſtimentis milites impendunt, transferant ad ſtudium armorum, & præteritam armorum negligentiam conferant ad veſtimenta. Sic enim ſimul & priuatæ vitæ conſulere, & Rempublicam indubitanter ſeruare poterunt. Quapropter, nõ oportet eum qui ad vſum armorum vel ad militiam confert, quando ocreas induit, videre quomodo concinnæ ſint, & religacula ac crepidæ niteant: quando verò ſcutum, & thoracẽ, & galeã vſurpat, circumſpicere ac curare, vt chlamys & tunica nitidiores ſint ac precioſiores. Etenim mox vltro manifeſtũ eſt, quid apud eos ſit in periculis expectandum, qui magis externam apparentiam, quàm res neceſſarias curant & affectant. In ſumma petebat vt conſiderarent, ſtudium illud veſtimentis ſeſe ornandi mulieris eſſe, idque non admodum pudicæ: armorum verò ſumptum, & ſerium ſtudium, bonorum virorum qui ſe & patriam ſeruare cupiunt. *Polyb. hiſt. l. 11.*

ARMORVM *ſplendor.*

Plurimum terroris hoſtibus armorum ſplendor importat. Quis credat militem bellicoſum, cuius diſſimulatione, ſitu, ac rubigine arma fœdantur? *Veget. lib. 2. cap. 14.*

ARMORVM *vis.*

Ab armis omnia pendent: quibus qui præualet, eius legibus omnes neceſſariò obtemperent. *Dion, libr. 37.*

ARROGANTES.

Rerumpubl. principes qui arrogantes fuerunt, vnà cum cæteris viris bonis ipſi ſe quoque perdi-

derunt. *Dionyſ. Halicarn. lib. 6.*

ARROGANTIA.

Arrogantia victoriam ſæpe comitari ſolet. *Dionyſ. Halic. l. 6.*

Arrogantia ſolitudinis eſt ſocia. *Plutar. in Dione.*

Vacuitas arrogantiæ magnum eſt ad ciuilem manſuetudinem viaticum: contra arrogantia moleſta, plurimumque inuidiæ procreans. *Plutar. in compar. Ariſt. & Catonis M.*

Plerumque hominibus nimiâ pertinaciâ atque arrogantiâ accidere ſolet, vti eò recurrant, & id cupidiſſimè petant, quod paulò ante contempſerunt. *Cæſar, libr. 1. de bell. ciuil.*

Auaritia & arrogantia ſunt præcipua validiorum vitia. *Tacit. hiſtor. libr. 1.*

ARS.

Perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, fiducia iuſta non exuitur: quámque ſcit ſe laudem mereri, eā etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam iudicio refert. *Valer. Max. l. 3. c. 7.*

ARS *bellica.*

Non longitudo ætatis aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio. *Veget. l. 2. ca. 23.*

Lacedæmoniis præcipua fuit cura bellorum. Primi námque experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem prœliorum ſcripſiſſe firmantur vſque eò, vt rem militarem, quę virtute ſola, vel certè felicitate creditur contineri, ad diſciplinam peritiæque ſtudia reuocarint: ac magiſtros armorum (quos τακτικοὺς appellauerunt) iuuentutem ſuam vſum varietatémque pugnandi præceperint edoceri. O viros ſumma admiratione laudandos, qui eam præcipuè artem ediſcere voluerunt, ſine qua aliæ artes eſſe non poſſunt. *Idem lib. 3. præfat.*

Qui deſiderat pacem, præparet bellum. Qui victoriam cupit milites imbuat diligenter. Qui ſecundos optat euentus, dimicet arte nō caſu. Nemo prouocare, nemo audet offendere, quem intelligit ſuperiorem eſſe pugnaturum. *Ibid.*

ARTIS *bellicæ præſtantia.*

Omnes artes, omniaque opera quotidiano vſu & iugi exercitatione proficiunt. Quod ſi in paruis verum eſt, quanto magis decet in maximis cuſtodiri? Quis autem dubitat artem bellicam rebus omnibus eſſe potiorem: per quam libertas retinetur, & dignitas propagatur, prouinciæ conſeruantur, & imperium? Hanc quondam relictis doctrinis omnibus Lacedæmonij, & poſt coluere Romani. Hanc ſolam hodie Barbari putant eſſe ſeruandam: cætera aut in hac arte conſiſtere, aut per hanc aſſequi ſe poſſe confidunt. Hæc dimicaturis eſt neceſſaria, per quam vitam retineant, & victoriā conſequantur. *Veget. l. 3. c. 10.*

ARS *Oratoria.*

Pericles homo vnicè natus ad tractandos eos animorum motus atque impetus, quos omnis generis exiſtere in hominum multitudine tantam dominationem poſſidente conſentaneum eſt, præſertim ferociam & languorē ſpe metúque ſubinde iniecto tanquam gubernaculis temperans illámque reprimens, hunc mulcens laxando, atque conſolans, oſtendit Oratoriam artem eſſe (vt eſt à Platone nomina-

nominata)facultatem animos hominum ducendi, maximámque eius partẽ verſari in ratione ac via affectus humanos cùm quietiores, tum incitatiores regendi: qui cum ſint tanquam nerui ac ſoni quidam animi, concinnè admodum pulſari tractaríque voluut. *Plut. ch. in Pericle.*

Ars *præſtantiſſima.*

Arte parendi & imperandi nulla eſt præſtantior. *Plutarch. in Ageſilao.*

Artes.

Artes bonorum fontes eſſe aiũt. *Xen. de inſtit. Cyri, l. 7.*

Fieri certè non poteſt, vt qui multas artes exercet, multa præclarè faciat. *Idem l. 8.*

Neceſſe eſt eum qui opere breuiſſimo occupatur, etiam id quam optimè efficere. *Ibid.*

Antiqua eſt prudénſque ſententia, Omnes artes in meditatione cõſiſtere. *Veget. l. 2. c. 24.*

Artes *aulicæ.*

Rapere non accipere ſciunt agentes in rebus. *Ammon. Marcell. libr. 16.*

Artes *liberales.*

Omnium magnarum artium, ſicut arborum, magnitudo nos delectat, radices ſtirpéſque non item. *Ibidem.*

Artium *& ſenſuum comparatio.*

Qui primum artes ſenſuum ſimiles eſſe cenſuerunt, ad vim in iudicando vtriuſque præcipuè reſpexiſſe mihi videntur. Eſt enim id ſenſibus cum artibus commune, vt contraria apprehendant atque diiudicent: in eorum autem quæ diſcreuerunt accommodatione ad finem differunt. Quod enim ſenſus inter alba & nigra, dulcia & amara, mollia ac dura diſcernit, id ipſius nihil intereſt, cùm nihilominus à quolibet eorum obiecto moueatur, atque afficiatur, & vt affectus eſt, ita quod percepit ad interiores ſenſus referat. At verò artes cum ratione ad delectum, & eorũ quæ ipſis conueniant, apprehẽſionem reiectionémq; alueorum accedentes, conſultò ea quæ ipſis cõmoda & vtilia ſunt, obiter autem & vt cognita vitare poſſint contraria contemplantur. Accidit enim medicinæ, vt morbi, muſicæ, vt diſſonantiæ naturam conſideret: nimirum vt diuerſa horum rectius poſſint efficere. Et quidem omnium artium perfectiſſimæ, tẽperantia, iuſticia, & prudentia, non honeſta modò, iuſta & vtilia, ſed & turpia, iniuſta, atque noxia diiudicantes, eam vitiorum vacuitatẽ, quæ imperitia malarum rerum ſe vendicat minimè laudant: quinimo ſtoliditatem & ignorationem nominant eorum quæ rectè victuris cognitu ſint apprimè neceſſaria. *Plutar. in Demet.*

Artifices.

Sapientiſſimi artis ſuæ profeſſores ſunt, à quibus & propria ſtudia verecundè, & aliena callidè æſtimentur. *Valer. Maxim. libr. 8. cap. 12.*

Artificia *humana.*

Mortalium varia excogitantũ artificioſæ manus, parũ abeſt, quin ipſa cum natura, res viuas producente, in certamen deſcendant. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 126.*

Aſſiduitas.

Nullius rei initium paruum eſt putandum, quaſi non id aſſiduitate magna incrementa, idque bre-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ui temporis ſpacio facere poſſit: cùm quidem eò quòd neglectui ſit & contemptui habitum, abſque vllo impedimento augeſcat. *Plutar. in Caſare.*

Nihil eſt tam graue quod nõ aſſidua meditatio leue& facillimum reddat. *Veget.l.1.c.19.*

ASSENTATIO.

Regum opes ſæpius aſſentatio quàm hoſtis euertit. *Curt.l.8.*

AVARI.

Ingenia pluris habendi cupiditati dedita, ſi à conſuetis exercitiis probibeautur, difficile tolerari poſſunt. *Dionyſ Halic.l.8.*

Qui vi violantur, læduntur quidem, ſed aliis haud iniurij eſſe videntur: at qui pecuniis corrumpuntur, ij & læduntur, & infamiam incurrunt. *Xenoph. de rebus geſtis Græc.l.7.*

AVARI *ingenium.*

Auarus & ſordidus animus leges amoris mutui non reueretur, oculos Dei non metuit, principis nulla verecundia ducitur, coarctationẽ & compreſſionem adflicti cordis non miſeratur. *Conſt. Manaſſ. Annal. pag. 85.*

AVARITIA.

Quemadmodum hydropicorũ deſideria nunquã externo humore adhibito ſaturãtur ac tollũtur, niſi interna corporis diſpoſitio curetur: ſic concupiſcẽtia illa plura habendi nunquam exaturatur, niſi vitium quod in animo eſt aliqua ratione corrigatur. *Polyb.hiſt.l.13.*

Turpe eſt homini ob rerum alienarum cupiditatem bellum non neceſſarium ſuſtinere, in quo & omnes ſuas fortunas in periculum ſit adducturus. *Dionyſ. Halicarn. libr. 8.*

Auaritia potentiæ innatum malum. *Plutarch.in Pyrrho.*

Auaritia fidem, probitatem, cæteraſque artes bonas ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. *Salluſt.de coniurat. Catil.*

Animus æger auaritiâ facilè cõuertitur. *Idem de bell. Iugurth.*

Auaritia, bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quò intendit, oppida, agros, fana, atque domos vaſtat: diuina cum humanis permiſcet: neque exercitus neque mœnia obſtant, quo minus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales ſpoliat. Verùm ſi pecuniæ decus ademeris, magna illa vis auaritiæ facilè bonis moribus vincetur. *Idem in fragm.hiſt.*

Ex pecuniæ cupiditate factiones diſſenſionéſque naſcuntur. *Cæſar l. 6. de bel. Gall.*

Cupido & odium multos exercitus in diſcordiam egerunt. *Tacit. hiſtor. libr. 1.*

Auaritiæ nihil nefas eſt. *Curt.l.4.* inſatiabilis auaritiæ eſt, adhuc implere velle quod iam circumfluit. *Idem.*

In Imperatore auaritia eſt acerbiſſimum malum. *Vlcat. Gallic. in Auidio Caſſio.*

Maxime fœdum atque deteſtabile animorum malum auaritia eſt, vt quæ ſacra profanaque in æquo ponat, rapiẽdi licentiam ſummum ius ducat, nullum Dei metũ, nullum honeſti reſpectum habeat, id demum decere, faſque eſſe exiſtimans, parto quouis abundare plurimùm. *Io. Iouian. Pontan. hiſtor. libr. 4.*

Auaritia hominum non facilè

con-

conquieſcit,dum conatibus fortuna reſpondet. *Niceph. Gregoras, hiſt. libr.* 4.

Lucri cupiditate cęci,tutis rationibus neglectis in pericula ruunt. *G. Pachymer. hiſt. l.* 9.

Nullum bonum parat auaritia: mater autem omnium malorum conſiſtit. *P. Diacon. in Mauricio.*

Hodie paſſim plus auri vis quàm honeſti ratio poteſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 8.

AVARITIÆ *& contentionis omnis procul arcendæ ratio.*

Apud veteres Scythas argẽtum, aurum,margaritæ,cæteræque gemmæ, non pluris fiebant quàm puluis. Nulli inter eos ſolennes ludi, nulla ambitioſa ſpectacula, nullæ diſceptationes de naualibus, trierarchiis & legibus agrariis: ſed, quòd ad hæc quidem attinet, pacata omnia, & vita ſeditionum expers. Vt enim febres quæ humana corpora infeſtant, è materia oriuntur, ac tandiu vigent, quandiu illa præſto eſt: cùm verò & inedia diuturna & potionibus medicorum praui humores conſumpti fuerint, ſtatim & febris deſinit, & vires corporis paulatim redeunt: ſic etiam apud illam gentem, cùm eæ res non eſſent, è quibus lites & contentiones oriuntur, mutuæque inſidiæ & cædes ſuſcipiuntur, neque iudiciis, neque curiis, neque legum recitationibus opus erat: ac ne eloquentia quidem verborúmque argutiæ ac perplexæ inuentiones locum habebant: ſed innata quędam iuſtitia illos regebat, & haud inuidenda libertas. *Niceph. Gregoras, hiſtor. lib.* 2.

AVARITIÆ *exſecratio.*

Chaganus, ſeu Scytharum Septẽtrionalium rex quum Romanorum caſtella inuaſiſſet, primo impetu quaſdam munitas vrbes cœpiſſet, omnem Iſtro vicinam regionẽ populatus fuiſſet, amnis ipſius flumina ſanguine interfectorum tinxiſſet, ſuorum haſtas & enſes cruore abluiſſet: tandem magna captiuorum multitudine coacta, quæ virorum ad 12. M. contineret, ad Mauricium Imperatorem mittit, atque captiuos redimat hortatur. Verùm neque Scythicæ crudelitatis extremus furor, neque barbari regis immanitas, neq; luctus, eiulationes, lacrymæ captiuorum flectere durum Imperatoris animum poterant, qui ab auaritia totus occupatus erat. Rurſus ergo Chaganus, ſuis ad Mauricium miſſis, moderatius & æquius agi cum eo iubet, magna de pretio ſumma deducta. Quum autem Imperator aſpidem imitans, aures obturaret, nec vocem excantantium admittere vellet: excandeſcit Chaganus tigridis inſtar, morti tot captiuos addicit, tantam (heu) multitudinẽ gladiis interficit, totam regionis ſuperficiem cadaueribus operit, campos ſanguine cruentat, aceruis interfectorum ad pinei ſtipitis altitudinem conſtratos. O Aurum, (auri amor) tyranne crudelis, hominum perſequutor, audaciſſime, fraudulente, arx malorum omniũ, caſtellum perniciei, vaſtator vrbium, propugnaculorum euerſor, murorum dilacerator, opidorum propugnator, ædium ſuccuſſor, qualibus malis mortales diuexas? Nulla res in hominum vita tecum in certamen deſcendere poteſt: nulla res terrena tecum poteſt in comparationem venire: durum emol-

lis,mollem induras: linguam mutam ſoluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac viciſſim de tardo volucrem:corda inflammas & voluptate quadã demulces: ſenſus illecebris ineuitabilibus, ceu præſtigiis quibuſdam excantas: quum interim venuſtas illa tua non minùs veneno ſuo quàm vipera noceat: leges & iura proculcas,verecundiam & pudorem abigis, ſepulchra violas,parietes perforas,nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum friuolum quiddam eſt, ac fabula mera,vulgo quod dicitur,adamantem ſolum ſanguine molliri.Quid enim eſſe te poſſit efficacius, etiã in ſaxis molliendis? *Conſtãt.Manaſſ. Annal.pag.94.*

AVDACES *Deus iuuat.*

Illud mihi in mentem venire ſolet, eos plerunque turpiter ac miſerè mori, qui quouis modo, vt viuere liceat,ab hoſtibus impetrãt. Contra verò, quicunque moriendi omnibus communem ac neceſſariam legem eſſe animo reputãtes, neque certamine, neque periculo vllo propoſito, honeſtam mortem deprecantur, eos ego ad ſenectutem peruenire video, & quoad viuant, beatioris multò vitæ muneribus fungi. *Xenoph. de Cyri exped. libr.3.*

Nihil audentibus eſt inexpugnabile,nihil ſatis munitum aduerſus animoſos. *Plutar in Alexandro.*

AVDACIA *in prælio.*

Omnia certamina cum vicinis ad tuendam libertatem pertinent: cum his verò qui non tantum vicinos, ſed & remotiores, in ſeruitutem redigere conantur, cur vel cum extremo periculo dimicare dubitemus? *Thucyd.libr.4.*

AVDACIA.

In periculis non par audacia ſolet eſſe in iis, qui pro ſuis fortunis dimicant, & iis qui alienas inuadunt. Niſi enim iſtis res feliciter ſuccedat, leuem cladem accipiũt: illis verò ſi rem malè gerant, nihil fit reliqui. Atque hinc potiſſimum fit vt ſæpe maiores copiæ a minoribus, & præſtãtiores à deterioribus clade afficiantur. Vehemens enim eſt neceſſitas, & extremum periculum poteſt audaciam inſerere vel in eo in quo antea innata non erat. *Dionyſ.Halic.l.8.*

Quanta cuiuſque animo audacia natura, aut moribus ineſt,tanta in bello patere ſolet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere: timor animi auribus officit. *Salluſt.de coniurat.Catil.*

Vbi audacia priores pàrtes habet, ibi probitatẽ laborare neceſſe eſt. *Dion,l.41.*

Inſulſa audacia in exitium ducit: prudens verò cunctatio ſeruare ſatis eſt apta. *Procop.de bel.Perſ. libr.2.*

A fortitudine ſecernitur audacia:harum altera cuicunque acceſſerit,dedecus ac diſcrimẽ inducit: altera, virtutis opinionem. *Idem, de bel.Goth.l.1.*

Qui de omnibus decertat, vitæ finem ſimul cum malis omnibus in exitu belli commemorat. *Idem, de bel.Vand.lib.2.*

AVDACIA *impia.*

Qui humanis rationibus ea inueſtigat quæ humani ingenij captum ſuperant, inexpiabili crimine ſeipſum imprudens obſtringit. *G.Pachymer.hiſt.l.6.*

Nimia

Nimia eſt eius audacia qui im menſum Theologiæ pelagus exigua ſcapha mentis humanæ tranſmittere conari non dubitat. *Idem, eod. lib.*

Avditio.

Eius qui grata audit, corpus vo luptate perfunditur: quam his diuerſa, moleſtia afficitur. *Herodot. libr. 7.*

Avlici.

Quam parua temporis interualla homines in excelſo faſtigio collocant? & eoſdem rurſus ad extremam miſeriam & calamitatem redigunt? eos autem maximè qui in aulis principum agunt vitam. Hi enim ſimiles ſunt ſuffragiis quæ in publicis conſiliis dari ſolent. Nam vt illic, pro eorum qui conſulunt voluntate, quæ modò ænea fuerunt, mox aurea dantur: ita qui principum aulas ſequuntur, pro principis voluntate nunc beati, mox miſeri fiunt. *Polyb. l. 5.*

Puniendi ſunt rerum atrocium miniſtri, vbi pretia ſcelerum adepti ſcelera ipſa aliis delegāt. *Tacit. Annal. l. 13.*

Libentius cum fortuna principis quàm cum principe loquuntur. *Idem hiſt l. 1.*

Quicunque enormibus tyrannorum atque immenſis largitionibus inſuerunt, ſi frugalius paulò aut continentius ex pecuniæ inopia agere inſtituas, non tam ij moderatæ cuidam diſpenſationi prudentíque attribuunt, quàm auaritiam continuò tibi & ſordes exprobrant: neque autem cogitant, neminem poſſe cuiuis magna dilargiri qui ſe à vi atque rapinis abſtineat. *Herod. in Pertinace.*

Mihi ſi quis eſſet apud aliquem Principē amicus aut propinquus, huic ſuaſerim, ita ſe cōparet, vt diligatur, non autem vt metuatur. Nam qui diuerſam rationem ingrediuntur, vt periculum tandem & calamitatem euadant, fieri non poteſt, eiúſque rei multa proferre liceat documenta, non ex Galliis modò, verumetiam ex Hiſpaniis & Anglia: ferè autem fit, vt qui bonā & fidelem operam præſtiterunt ar bitrentur ſibi aliquanto plus quàm aliis licere. Principes contrà longè aliter ſentiunt, & æquius eſſe ducunt, vt qui ſe ipſorum clientelæ & miniſterio tradiderunt, officio fungantur. Memini, quo tempore in hanc ſententiam Ludouicus XI. rex mecum loqueretur, affirmaſſe fieri aliquando, vt egregiæ operæ minus liberaliter remunerentur, idque non tam ingratitudine principum, quàm eorum vitio qui operam præſtiterunt: dum elati quadā confidentia, propter rem bene adminiſtratam, inſolenter & proteruè multa faciunt. Aiebat præterea, feliciter agi, ſua quidem ſententia, cum eo, cui nullo ſuo magno merito Princeps benefacit: & vt quis beneficiò ſit obſtrictus Principi, id multò præſtare, quàm vt Princeps clienti aut famulo alicui ſuo multum debeat: eóque ſe ingenio eſſe dicebat, vt qui ſibi ob aliquam beneficentiam deberent, eos plus diligeret quàm alios, quibus debere ſe aliquid ipſe putaret. Tam eſt difficile in omni genere vitæ accommodare ſe & ita gerere, ne quid erres. Magnum igitur eſt Dei beneficium, valere ſenſu communi, & iudicio naturali. *Ph. Comineus, libr. 5.*

AVLICVS *callidus.*

Ita eſt compoſitus vt ex euentu rerum aduerſa abnuat, vel proſpera agnoſcat. *Tacit. hiſt. l.3.*

Iniquum eſt publicis poſſeſſionibus multorum præſtantium virorum ſudoribus & ſanguine partis vnum ſpadonem perfrui. *Zonar. in Io. Ziniſco, tom.3.*

AVRIS.

Magis incredulæ ſunt hominibus aures quàm oculi. *Herodotus lib.1.*

AVXILIATORES.

Qui auxilium ferre debent non ponunt ſpem præſidij in beneuolentia eorum à quib. accerſuntur: ſed in virium robore, quibus illi ad aliquid gerẽdum inſtructi ſunt. *Thucyd. l.5.*

AVXILIVM.

A nobis qui procul habitant frigidum quoddam fuerit eis auxiliũ: nam priuſquam noſtrum quiſquã audiat, poſſunt occupati ab hoſtibus ſæpe expugnari. *Herodotus libro 6.*

Facile eſt petere defenſionem ab illis qui antea beneficium acceperunt, aut cum quibus eſt vetus ſocietas. Sed hæc vbi deſunt, oſtendendũ eſt ſocietatẽ fore vtilem iis à quibus defenſio petitur, aut certè non damnoſam. Deinde defenſos etiam firmam gratiam habituros eſſe. Hęc ſi quis nõ demonſtret, non grauiter ferat, ſi nihil impetrat. *Thucyd. l.1.*

Auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

AVXILIVM *Dei.*

Diuinum auxilium præſto eſt illis qui fortiter pugnant, & iis qui totas ſuas vires omni animi alacritate exerunt, vt victoriam adipiſcantur: non iis qui pericula fugiũt, ſed iis qui pro ſalute ſua quæuis mala perpeti non dubitant. *Dionyſ. Halic. lib.6.*

Nihil intereſt ſpectata quenquã eſſe virtute, ſi eius conſiliis fortuna non reſpondeat. *Pauſan. l.1.*

Dei auxilio omnia bona conficiuntur. *Zonar. in Alex. Comm. tom.3.*

Omne corporum robur, omnis equitatus, armorúmque apparatus, Deo non adiuuante, ab agmine formicarum prorſus nihil differt. *Niceph. Gregoras, hiſt. l.3.*

Gigas immenſo robore ſalutem ſuam non tuetur, nec princeps potentis populi viribus ſe defendit. Nam ſi Deus ædium fundamenta non iecerit, ſi valido ſepto domus non obduxerit, omnes artis machinationes atque labores inutiles ſunt. *Conſtant. Manaſſ. Ann. pag.101.*

Vana ſunt hominum conſilia, ni Deus annuat & iuuet. *Idem, pag. 102.*

Ni Deus munitam turribus firmis ciuitatem cuſtodiat, fruſtra laborat cuſtos murorum eius. *Idẽ, pag.110.*

Quiſquis Dei manibus cuſtoditur, gigantes non formidabit, belluas non metuet, non ferrum, non os ardentis camini timebit. Magis enim habet opitulatorem Deum, quàm Pautarbes lapis, vel ferarum ad Tigridem perſequutor ille Midas. *Idem pag.164.*

B.

BARBARI.

Barbaris præter auri copiam nihil adeſt boni. *Plut. in Lyſand.*

Impetum Barbarorum, vel magnitudinem corporum, clamorémque reformidare non debemus. Nunquam enim vox hominem interfecit. *Dion, l.38.*

Barbaris, pro legibus ſemper dominorum imperia fuerunt. *Liuius, Decad.4.l.7.*

Barbaris fluxa eſt fides. *Tacit. hiſtor. libr.3.*

Barbaris, quanto quis audacia promtus, tanto magis fidus rebúſque motis potior habetur. *Taci. Annal. lib.1.*

Nihil tam ignarum Barbaris, quàm machinamenta & aſtus oppugnationum. *Tacit. Annal. libro duodecimo.*

BARBARVS.

Omnis barbarus auarus eſt, & pecuniæ cauſa pleraque, ne dicam omnia, & dicit & facit. *Nicet. Iſa. Angel. l.2.*

A rebus naturæ contrariis Barbari nulla reuerentia, nullo metu deterrentur. *Idem in Baldu. Flandro.*

BEATVS.

Non beatior eſt qui magnis opibus præditus eſt, eo qui viuit in diem: niſi eidem omnibus bonis prædito fortuna conceſſerit bene vita defungi. Etenim complures homines ſunt perquam locupletes, minimè tamen beati: complures item mediocria habentes patrimonia, fortunati. Quorum is qui diuitiis affluit, ſed non beatus eſt, duabus tantum rebus antecellit fortunatum: at hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas, & ad grandem quæ incidat offenſam ſuperandam validior eſt: hic, & ſi illo inferior eſt in his duobus quæ bene illi à fortuna denegantur, tamẽ excellit quod illorum inexpertus eſt, quod proſpera fruitur valetudine, quod malorum expers, quod felix ſobole & formoſus eſt. Quod ſi præter hæc, diem quoque ſuum rectè obierit, is dignus eſt qui vocetur beatus: prius tamen quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus appellãdus, ſed fortunatus. Sed hæc omnia cõſequi hominem impoſſibile eſt: ſicut nec vna regio cuncta ſibiipſi ſuppeditat: ſed aliud habens alio indiget: quæ tamen habet plurima, ea eſt optima: quemadmodum etiam hominis corpus vnum aliquod non eſt conſummatum, quia aliud habet, alio caret. Sed quiſquis horum plurima conſtanter habuerit, & poſtea placido animo vita exceſſerit, is dignus eſt, qui nomen illud ferat. Omnis autem rei oportet inſpicere exitum, quò ſit euaſura: quoniam multos Deus quibus fortunas ſuppeditauerat, radicitus euertit. *Herodot. l.1.*

BELLA.

Anceps conditio èſt bellorum, & ex paruo fiunt multa, & cum indignatione confligitur. Ac ſæpe minor manus dum metuit, maiorem præ contemptu parum inſtructam profligauit. *Thucyd. l.2.*

Bella plerunque pecuniarum copia ſuſtentantur. *Dionyſ. Halicarn. libr.6.*

Facillimum cuiuis eſt verbis bella adminiſtrare. *Idem l.9.*

Tantò honeſtius olim bella gerebantur, quàm nunc amicitiæ coluntur. *Iuſtin. hiſt. l.15.*

Felicia ideo bella veſtra (*dictum Rhodij legati ad S. P. Q. R.*) quia iuſta ſunt: nec tam exitu eorum quòd vindicatis, quàm principiis,

quòd nõ ſine cauſa ſuſcipiatis,gloriamini.*Liu.Decad.5.l.5.*

Bellorum primi euentus metũ hoſtibus aut fiduciam gignunt. *Tacit.Annal. l.12.*

Multa bella impetu valida, per tædia & moras euanuerunt. *Tacit. hiſt. l. 2.*

Ferro bella geruntur, non auro: viris,non vrbium tectis: omnia ſequuntur armatos.*Curtius l.5.*

Non omnia eſt operæpretium credere fortunæ, neque bella putare cuncta bene ſuccedere, quum nihil omnino inter res humanas, præterquam hominis propoſitum, calamitate careat. Cuncta enim ſibi proſpera futura pollicẽtes, ſpes non ex voto poſtea ſuccedens,magis exulcerat. *Procop. de bell. Perſ. libr.1.*

Bella, nihil aliud dicenda ſunt, niſi vergentia in alterutrum mala. Mala autem huiuſmodi quæ iam olim fuerunt, ſicut & nunc ſunt, in quãtum ſunt,ſine dubio aut manifeſta peccata ſunt, aut occultæ punitiones peccatorum. *P. Oroſ. hiſt.l.1.c.1.*

Rarò vnquã niſi ſceleribus bella aut incipiunt, aut etiam terminantur.*P. Diaconus,hiſt.l.4.*

Humilis conditionis homines nonnunquam grauiſſimas turbas excitant. *Ph. Comnæus lib. 1.de bell. Neapol.*

Bellorum quæ à multis principibus contra vnum geruntur terror periculo maior eſſe ſolet: citò primi impetus deferuent citò ſententiarum varietate inter eos exorta fides debilitatur. *Fr. Guicciardin.hiſt.l.8.*

Militum armis, *inquit Triuultius,* & ducum conſilio bella geruntur, in acie pugnando,non figuris quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur, vel digito ſeu virga in puluere deſcribuntur. *Idem,l.9.*

Ex leuibus cauſis & euentis ſæpe in bellis maximi momenti res immutantur. *Idem,l.13.*

BELLA *ciuilia.*

Grauem cladem nos accepturos arbitramur,ſi ſanguine & cæde cõtrouerſias inter cognatos ortas dirimere ac finire cogamur. *Dionyſ. Halic.l.3.*

Nihil ciuili bello eſt peius: in quo victos ſequitur miſeria,victores iniuſtè faciunt:& accidit illis quidem vt ab amiciſſimis perdantur, iſtis verò vt amiciſſimos perdant. *Idem,l.6.*

Qui nunquam experti ſunt calamitates bellorum ciuilium, mirum non eſt,ſi nec præteritis malis offenduntur,nec futura multo ante prouideant. *Idem,l.7.*

Omnibus rebus dij adſunt, præcipuè verò bellicis,idque tantò magis quantò hæ rebus aliis ſunt maiores, & quantò harum alea incertior & periculoſior eſſe ſolet.*Idē, libr.8.*

In ciuilibus diſcordiis haud dubiè ab vtraque parte Reſpublica detrimentum capit.*Dion,l.41.*

In bellis ciuilibus, vtrinque,ſeu vincentes,ſeu victi, patriam iniuria afficiunt, cui damno eſt victoris bonum.*Plutarc.in Othone.*

Conditionibus iniquis potius ſtandum eſt,quàm impias inter ciues conſerere manus. *Liu.Decad. 1.lib.7.*

Pomponius Atticus in Republica ita eſt verſatus, vt ſemper optimarum partium & eſſet, & exiſtimaretur:

maretur: neque tamen ſe ciuilibus fluctibus committeret, quòd non magis eos in poteſtate eorum hominum qui ſe his dediſſent eſſe exiſtimaret, quàm qui maritimis iactarentur. *Cornel. Nepos in vita Pōp. Attici.*

Arma ciuilia neque parari poſſunt, neque haberi per bonas artes. *Tacit. Annal. l.1.*

Ciuilibus bellis plus militibus quàm ducibus licet. *Tacit. hiſtor. libr.2.*

Publicæ priuatęque opes & immenſa pecunia inter ciuiles diſcordias ferro validior. *Idem, ibid.*

Initia bellorū ciuilium fortunæ permittenda: victoria conſiliis & ratione perficitur. *Tacit. hiſtor. libro 3.*

Reſpublica in bellis ciuilibus neceſſariò vtrinque lethales plagas accipit. *Zoſimus in Val.* 11. *& Theod.*

BELLORVM *ciuilium origo & progeſſus.*

Vetus ac iampridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperij magnitudine adoleuit erupitque. Nam rebus modicis ęqualitas facilè habebatur. Sed vbi ſubacto orbe, & æmulis vrbibus regibúſque exciſis, ſecuras opes concupiſcere vacuum fuit, prima inter patres plebémque certamina exarſere. Modò turbulenti tribuni, modò conſules prævalidi, & in vrbe ac foro tentamenta ciuilium bellorum. Mox è plebe infima C. Marius, & nobilium ſæuiſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationē verterunt. Poſt quos Gn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquā poſtea niſi de principatu quæſitum. Non diſceſſere ab armis in Pharſalia ac Philippis ciuium legiones, nedum Othonis ac Vitellij exercitus ſponte poſituri bellum fuerint. Eadem ſcelerum ira, eadem hominum rabies, eædem ſcelerum cauſæ in diſcordiā egere. Quòd ſingulis velut ictibus tranſacta ſunt bella, ignauia principum factum eſt. *Tacit. hiſtor. libro ſecundo.*

BELLORVM *ciuilium cauſa.*

Duorum principum electio bellorum ciuilium cauſa. *G. Pachymer. hiſt. lib.2.*

BELLORVM *ciuilium finis.*

Gręciæ ciuitates, dum imperare ſingulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt: & dum in mutuum exitium ſine modo ruunt, omnibus perire, quod ſingulæ amitterent, oppreſſæ demum ſeruientéſque ſenſerunt: quarum dum inſanas concurſationes Philippus veluti è ſpecula obſeruaret, auxiliúmque ſemper inferioribus ſuggerendo, contentiones, bellorum fomites, callidus belli artifex foueret, victos ſibi pariter victoréſque ſubiecit. *P. Oroſius, hiſtor. libro tertio, capit.12.*

BELLORVM *ciuilium ſemen & initium.*

Medeam illam fabulæ ferunt, dētes quoſdam occiſi ſeuiſſe ſerpentis, è quibus quaſi competens ſemini ſeges armati homines terra emerſerint, ſeſéque mox inuicem pugnando proſtrauerint. Et quidē hoc poetarum commenta finxerunt. Roma autem Cæſare occiſo, quanta de cineribus eius agmina armata parturiit? Quanta bella in teſtimonium miſeræ fecunditatis, non legenda pueris, ſed ſpectanda populis excitauit? & tamen horū

omnium malorum initium ſuperbia eſt. Inde exarſerunt bella ciuilia, inde iterum pullularunt. Non ergo iniuſta cædes eſt eorum qui eam iniuſtè conſectantur, ſi ambitionis æmulatio per ipſos atque in ipſis & agitur & punitur, donec qui detrectauere collegium, diſcāt ferre dominatum: ſummáque imperij totius ad vnum redacta longè aliud omnes homines viuendi genus ſubeant, vt omnes humiliter placere ſtudeant, non inſolenter offendere. *P. Oroſius, hiſtor. libr. 6. cap. 17.*

BELLA *externa.*

In obſidione vrbis Faleriorum Camillo ciues ſuos detinere viſum eſt, ne domi per ocium deſidentes orationibus turbulentorum hominum ad ſeditionem concitarētur. Hoc enim remedio aptè vſi ſunt ſemper Romani, imitatione medicorum, qui ea quæ tumultibus in corpore mouendis faciunt, foras auertunt. *Plutar. in Camil.*

BELLA *iniuſta.*

Iniuſtitia & erga Deum impietas, vt fugienda permaximè ſunt, Ita & prodeſſe nihil poterunt, in ipſo præſertim bello. Nam patriæ opem ferre, ac patrias leges tueri, & has deuaſtantibus ſe minus permittere, ſed enixius hos impugnare, æquum procul dubio fuerit & generoſum. Qui verò lucri & auaritiæ gratia odiíque, nulla ratione ſubnixi, quum nullum criminandi ius habeant, ſi velint in aliena irrumpere, & eos inceſſere, qui iniuriæ nihil intulerint, profectò inſolentes hi ſunt & planè inſaniunt, neque quid ius fáſque ſit norunt: nec magni id faciunt, quod maleficos planè aduerſatur Deus. *Agat. hiſtor. lib. 2.*

BELLORVM *cauſæ.*

Aurum & opes præcipuæ bellorum cauſæ. *Tacit. hiſt. l. 4.*

Deum eſſe præliorum & cædiū ducem non conuenit. eum nāmque qui & ſummæ ſit bonitatis, & malorum abactor homicidam eſſe, & præliis delectari, nec affirmanti quidem fidem ſum præbiturus. Sed in cupiditates & iniuſtitias animi hominum ſponte labuntur, diſcordiíſque & perturbationibus omnia complent. Hinc nimirum pernicies affatim occurrit, nationéſque diripiuntur mortalium, & mortes infinitæ exoriuntur. *Agath. hiſtor. libr. 1.*

BELLORVM *conditio.*

Iniquiſſima hæc bellorum conditio eſt, proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa vni imputantur. *Tacit. in vita Agric.*

BELLORVM *deteſtatio.*

Auguſtus Cæſar iactantis eſſe ingenij & leuiſſimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimē, per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium præcipitare. Neque imperatori bono quidquam minus quàm temeritatē cōgruere. Satis celeriter fieri quidquid commodè geritur: armáque, niſi maioris emolumenti cauſa, nequaquam mouenda eſſe: ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria, ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti amiſſíque detrimentum, nullo capturæ lucro penſari poteſt. *Aurel. Vict. hiſtor. Auguſt.*

BELLORVM *diſcrimina.*

Omnia in bellis obſcura ſunt, & ex

ex paruo multa exiſtunt. Sæpè ex iracundia fiunt conflictus, ſæpè minor multitudo, quæ propter metū cauta eſt, fortius depulit plures, qui contemptu hoſtium fuerunt imparati. *Thucyd.l.2.*

Bellorvm *finis.*

Nec qui bella gerunt, nec qui de bellis iudicant finem bellorum ſtatuunt ipſam victoriam, nec vt imperio ſuo cuncta ſubiiciant. Neque enim prudens quiſpiam idcirco cum finitimis bellum gerit, vt fuſos profligatoſque inſpiciat hoſtes, neque multa maria nauigat duntaxat transfretandi gratia, neque artes & diſciplinas illarum tātummodo cauſa ſectatur: ſed omnes ad hoc mouemur ob id, quod ſequi exinde cernimus vel iucundum, vel vtile, vel honeſtum. *Polyb.lib.3.*

Bellorvm *fulcra.*

Bella magis ſuſtinentur præſenti copia quàm violentis collationibus. Ac operarij homines libentius militant corporibus quàm pecuniam conferunt, quia ſperant corpora ex periculis euaſura eſſe, pecunias verò ante belli finem perire vident, præſertim ſi bellum ſit diuturnum. *Thucyd.l.1.*

Bellorvm *miſeria.*

Experiebatur ipſa re, armis eorum beneuolentiam, quos iniuria affeciſſet, parare ſe ſibi non poſſe: ſed poſſe quidem omnes qui non obtemperaſſent ipſi, armis ad interitum adigi: cogi verò armis, vt eum quem nollet, amaret, neminē poſſe. *Dion,l.48.*

Bellorvm *ſucceſſus.*

Ab autoritate atque exiſtimatione magnam partem (quod ignorat nemo) bellorum ſucceſſus pendent: quæ vbi inclinat, ſimul etiam inclinat militum virtus, imminuitur populorum fides, deficiunt ad bellum ſuſtinendum impoſita tributa: contrà, hoſtibus creſcit animus, dubij alienantur, in infinitum difficultates augentur. *Fr. Guicciardin. hiſt.l.2.*

Si quis non temerè & caſu agere velit, eum oportet hoſtem è ſuis caſtris, aut quopiam ſuperiore occupato loco, aut intercluſo commeatu depellere. *Ibidem.*

Bellatores.

Hi non ſunt boni bellatores, qui & ſi ſagittandi, iaculandi, equitandique artem teneant, vbi tamen bellandum fuerit, officio ſuo deſunt: ſunt enim rudes, quod ad labores attinet. *Xenoph. de pedia Cyri, libr.1.*

Solent homines rerum ſucceſſu & virium potentia ferociēres, quē vicinos inuadunt, audacius adoriri quieſcentes, & tantùm ſua in terra repugnantes: ſed in eum qui etiam extra fines ſuos hoſti occurrere & bello laceſſere audet, non ita facilè impetum faciunt. *Thucydid. libro 4.*

Prelium apud Tegyras, in quo Thebani Spartanos antea inuictos fuderunt, Græcis documento fuit, viros bellicoſos non apud Eurotā tantùm naſci: ſed vbicunque iuuenes exiſtant, qui turpitudinem fugiant, in rebus honeſtis audere velint, magiſque ignominiam quàm pericula timeant, eos maximum hoſtibus terrorem incutere. *Plutar. in Pelopida.*

Belli cupidum dicimus qui ſecuræ vitæ cupiditatem maiorum rerum præpoſuit: bellicoſum qui

bello tantum ſe præſtitit. *Plutarc. in Sertorio.*

BELLATORES *optimi.*

Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantum celerius ſed etiam perfectius imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris. Deinde militaris alacritatis ſaltus & curſus ante tentandus eſt, quàm corpus ætate pigreſcat. Velocitas enim eſt, quæ percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem. Adoleſcentes legendi ſunt, ſicut ait Salluſtius. *Iam primum iuuentus ſimul belli patiens erat, in caſtris per laboris vſum militiam diſcebat.* Melius enim eſt, vt exercitatus iuuenis cauſetur ætatem nondum adueniſſe pugnandi, quàm doleat præteriiſſe. Habeat etiam ſpacium vniuerſa diſcendi. Neque enim pœna aut leuis ars videtur armorum, ſiue equitem, ſiue peditē velis imbuere ne locum deſerat, ne ordines turbet, &c. Rectè inſtituto tyroni, pugnare aduerſum quoſlibet hoſtes in acie formido non erit, ſed voluptas. *Veget. libr.* 1. *capit.* 4.

Sit adoleſcens Martio operi deputandus vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis: ventre modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperflua carne diſtentis, ſed neruorum duritia collectis. Cùm hæc in tyrone ſigna deprehenderis, proceritatem non magnopere deſideres. Vtilius eſt enim fortes milites eſſe, quàm grandes. *Capit.* 16.

Omnes qui aliquid tractaſſe videbuntur, ad gynæcea pertinens, longè arbitror pellendos à caſtris. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, & ceruorum aprorúmque venatores, conuenit ſociare militiæ. Et hoc eſt, in quo totius Reipublicæ ſalus vertitur, vt tyrones non tantùm corporibus, ſed etiam animis præſtantiſſimi deligantur. Iuuentus enim, cui defenſio prouinciarum, cui bellorum committenda fortuna eſt, & genera (ſi copia ſuppetat) & moribus debet excellere. Honeſtas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit eſſe victorē. Quid enim prodeſt, ſi exerceatur ignauus? ſi pluribus ſtipēdiis moretur in caſtris. Nunquam exercitus profecit tempore, cuius in probandis tyronibus claudicarit electio. Et quanto vſu experimentiſque cognouimus, hinc tot vbique ab hoſtibus illatæ ſunt clades, dum longa pax militem neglīgentius incurioſiúſque legit: dum honeſtiores quique ciuilia ſectantur officia, dum poſſeſſionibus inducti tyrones, per gratiam aut diſſimulationem probantium tales ſociantur armis, quales domini habere faſtidiunt. A magnis ergo viris magna diligentia idoneos eligī conuenit iuniores. *Cap.* 8.

Velocitas in tyrone requirenda videtur & robur, & vtrum armorum diſciplinam ediſcere valeat, vtrum habeat confidentiam militarem. Plerique enim quanuis non improbabiles videantur in ſpecie, tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi ergo minus vtiles, & in locum eorum ſtrenuiſſimi ſubrogandi ſunt. In omni enim conflictu non tam prodeſt multitudo quàm virtus. Signatis dein tyronibus per quotidiana exercitia

ercitia armorum eſt demonſtranda doctrina. *Cap.9.*

BELLVM.

Sapientis eſt à bello abſtinere, etiam ſi graues belli cauſas habeat. *Xenoph. de reb. geſt Graec. lib.6.*

Vt modeſtia eſt quieſcere, ſi non afficiaris iniuria : ita iuſtitia eſt, cùm iniuria afficimur, bellum paci anteferre, & repreſſa iniuria poſt bellum rurſus pacē facere, nec aut ſucceſſu in bellis elatos plura appetere, nec pati iniurias mollitie & amore ocij. Nam & qui propter voluptatem quieſcit, citò ea priuabitur, & qui propter ſucceſſus in bellis fit inſolentior, non cogitat ſe efferri cœca ferocia, quæ non erit diuturna. Sæpe enim etiam ſtulta conſilia, cùm alij agunt ſtultius, habent bonos euentus, ac multò ſæpius ea quæ bene deliberata videbantur, ſecus cadunt, cùm alij vigilant. Nemo enim opus exequitur, vt confidenter cogitat. Nam in deliberando homines ſecuri, poſtea in agēdo fiunt trepidi. *Thucyd. lib.1.*

Non opus eſt longa oratione apud ſcientes commemorare quàm calamitoſa res ſit bellum. Non paucos impellit imperitia vt bellum gerant, neque reprimit eos metus, cū ſpe magni commodi animus incitatur. Sed videntur aliquibus lucra difficultatibus eſſe maiora: aliqui malunt ſuſtinere pericula, quā in præſentia leuem iacturam facere. *Idem, l.4.*

Quemadmodum ſi quis ſyluam ſemel accēderit, non amplius ad ipſius arbitrium incendium fertur, ſed depaſcitur quicquid apprehenderit, ventiſque regitur & ſubiectę ſyluæ conſumptione, ac ſæpenumero ipſum incenſorem cum primis præter expectationem arripit: ita bellum ſi ſemel à nonnullis excitatum exarſerit, tum quidem illos primū perdit, poſtea verò temere fertur obuia quæque depaſcens, audacia agitatum, & ab ignorantia accedentium, veluti a vētis accenſum. *Polyb. hiſt. l.11.*

Præclarum eſt etiam cū periculo profligare bellum alienæ & barbaræ gētis, quæ eum victoriæ finē ſtatuit, vt ignis in morē victos aboleat. *Plutar. in Camil.*

Ea omnium bellorum peſſima & moleſtiſſima ducebat quæ homines coacti contra cognatos & amicos ſuſcipiunt: atque aliqua æquitate potius quàm ſummo iure hæc finiēda exiſtimabat. *Diony. Hal. l.6.*

Omne bellū ſumitur facilè, cæterum ægerrimè deſinit: non in eiuſdē poteſtate initiū eius & finis eſt. Incipere cuiuis, etiam ignauo, licet: deponi, cùm victores velint. *Sall. de bel. Iugurt.*

Sæpe in bello paruis momentis magni caſus intercedunt. *Cæſar, l.1. de bel. ciuil.*

In bello paruæ res magnum in vtramque partem momentum habent. *Idem, l.3. de bel. ciuil.*

In nouo genere belli nouæ ab vtriſque bellandi rationes reperiuntur. *Eod. lib.*

Belli neceſſitates non expectant humana conſilia. *Liu. Decad.1. l.4.*

Sunt & belli, ſicut pacis iura. *Idē lib.5.*

Plurimum in bello pollere videtur militū copia & virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas, potens. *Idem, l.9.*

Iuſtum eſt bellum, quib. neceſſarium: & pia arma, quib. nulla niſi

C

in armis relinquitur ſpes. *Eod. libr.*

Stultitia eſt, ſedẽdo aut votis debellari credere poſſe: armari copias oportet, deducẽdas in æquũ, vt vir cũ viro cõgrediaris. *Decad.3.l.2.*

In ſecũdis rebus, bellũ ſegniter ocioſéque geritur. *Decad.3.l.3.*

Plus animi eſt inferẽti periculũ, quàm propulſanti. *Decad.3.l.8.*

Rarò permittitur in bello tẽpora eligere. *Curt.l.7.*

Belli fortuna artem victos quoque docet. *Eod.lib.*

Naturę iura bellum in contrarium mutat. *libr.9.*

Spẽ gratiæ ciuib. citò abrũpere, ad bellũ ciuile properantiũ eſt. *l.10.*

Si bellũ ſuſcipiendum eſt auio itinere, importuoſo mari, inter reges feroces, vagos populos, vbi ſit ſolum frugũ egẽs, tũ tædiũ ex mora, pericula ex properãtia, vnde modica vectorib. laus, ac multũ infamię ſi pellãtur: pax oblata, arripienda videtur. *Tacit. Annal. libr.12.*

Boni maliq; cauſis diuerſis, ſtudio pari, bellũ oẽs cupiũt. *Tacit. hiſt. l.2.*

Sumitur bellum etiam ab ignauis, ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geritur. *idem lib.4.*

Turpe eſt in re militari dicere, Non putabã: videlicet quia explorato & excuſſo conſilio quæ ferro aguntur adminiſtrari oportet. Inemendabilis enim eſt error, qui violentia Martis committitur. *Valer. Max. lib.7. cap.2.*

Bellicis artibus prioribus ſeculis Romani homines magni atque illuſtres euaſerunt. *Herodian. in Commodo.*

Belli fortuna ita plerunque anceps eſt & dubia, vt magnus numerus à pauciſſimis, & qui potentiores credũtur ab iis qui habẽtur imbecilliores ſuperantur. *Herod. in Maxim.*

Virtute faciendum eſt quicquid in rebus bellicis eſt gerendum. *Fl. Vopiſc. in Aureliano.*

In bello mortem oppetere virum fortem, vel nuſquam decet. *Xiphilin. Caracal.*

Cum Dei hoſte ſocietas belli non eſt coeunda. *Zonar. in Gratiano.*

Principi arma non capienda ſunt, dum pacem agere licet. *Zonar. in Marciano.*

Præceptum illud in omnium animis eſſe debet, Nihil in bello oportere contemni. *Æmil. Probus in Thraſibulo.*

Bellum & regnum omnium inter homines maxima eſſe palam eſt. *Procop. de bello Perſ. lib.1.*

Bellum, præter cætera, ſana ac diligenti conſultatione adminiſtratum, feliciter ſuccedere ſolet. *Procop. de bello Perſ. lib.2.*

Neque hominum multitudine, neque arborum proceritate, ſed animorum virtute rem bellicam metiri ac expendere fas eſt. *Procop. de bello Vand. lib.2.*

Non pro hoſtium voluntate bella gerere homines conſueuerunt, ſed ſua quiſque lege diſponit, quæ optima factu illi ſunt viſa. *Procop. de bello Goth. lib.1.*

Bellum non temeraria ſolet celeritate geri, ſed optimè conſulendo & prouidendo temporum momenta metimur. *Procop. de bello Goth. lib.2.*

Vbi Dei iacturam non facimus, pax colenda eſt: rurſus vbi religio periclitatur, tunc bellum gerendũ. *G. Pachymer. hiſt. lib.5.*

Nullum bellum dixerim graue, niſi quod cauſa debilitat, quando nil

nil triſte pauet cui maieſtas arriſerit. *Iornand.lib.de reb.Getic.*

BELLVM.

Qui feliciter bellũ gerit, ad eum redit omnis honos rerum geſtarũ. *Ph.Cominaeus,lib.5.*

Ex aduerſis expeditionum initiis animus cum exiſtimatione amittitur. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.1.*

Multæ & inopinatæ difficultates ac pericula in rebus bellicis accidunt. *Idem lib.4.*

Magno incommodo bellum geritur cum iis, qui quod amittant nõ habent. *lib.5.*

Ex leuibus ſæpe momentis maximæ res in bello pendent. *lib.4.*

Tot malorum & nefariorum facinorum in bello commiſſorũ qui ſciens volens cauſa eſt, veniam nullam ſperare poteſt à Deo: qui verò ea neceſſitate committit, niſi ſaltem, vbi primùm facultas ei data fuerit, ea ſibi omnino corrigenda ſtatuit, is excuſatione dignus non eſt *lib.16.*

Conſenſu omnium mortalium iuſtiſſima eſt belli cauſa propulſare iniurias, & tueri armis ſocios, liberos, coniuges. *P.Iouius hiſt.lib.11.*

BELLVM *aduerſus Turcas.*

Bella habẽt fortaſſe aliquid quod non omnes ęquè probent: quoniam non ſine Chriſtianorum ſanguine confecta ſint: hoc autem veram, ſolidam & conſtantem, omnium opinione, gloriam in ſe habet, quòd contra Barbaras gentes, contra religionis noſtrę hoſtes atrociſſimos ſuſcipitur ac geritur: in quo qui Interficitur, magnum pietatis locum ſibi apud Deum immortalem vendicat. *B.Facius,hiſt.lib.10.*

BELLVM *bella gignit.*

Bella minimè procedunt ex præſcripto, ſed multa alia bellum ex ſe ſe, præter ea quæ ex præſentibus occaſionibus inſtituuntur, obiicit. *Thucyd.lib.1.*

BELLVM *difficile.*

Contra hoſtes, quorum terra longius diſtat, qui exercitatiſſimi ſunt in mari & aliis rebus omnibus, optimè inſtructi pecunia publica & priuata, nauibus, equis, armis, multitudine, & qui ſocios multos habent tributarios, non eſt facilè gerere bellum. *Thucyd.lib.1.*

BELLVM *dulce inexpertis.*

Cùm ſint incerti exitus belli, prius conſiderate quid agẽdum ſit quàm bellum inferatis. Nam poſtquàm illatum eſt, diuturnitas efficit varias vices, à quibus vicibus vtrique adhuc abſumus, & nõdum proſpicimus exitum. Inferentes verò bellum ante iudicia, vi rẽ agunt: poſtea acceptis detrimentis, quærunt tractationes & iudicia. *Thucyd.lib.1.*

BELLVM *iniuſtum.*

Hominum multitudo non ex lege, ſed per iniuſtitiam & ſcelus cõgregata ſtrenuè quicquam in bello agere non poteſt, quum nullo modo virtus cum iniquitate congredi aut conuenire valeat, verùm a nefariis abſiſtens eos ſecundum ordinem rei militaris aut diſciplinam agere non ſinit. *Procop.de bello Vandilico,lib.2.*

BELLVM *non facilè deponitur.*

Accuſationes publicæ & priuatę extingui poſſunt. Bellum verò motum ab vniuerſis, cuius exitus incertus eſt, non facilè deponi poteſt. *Thucyd.lib.1.*

BELLVM *periculoſum.*

Quid magis infidum quàm vicinus hoſtis? aut quid barbarico bello periculoſius? *Polyb.lib.4.*

BELLVM *inter potentes principes.*

Facile & procliuè quidem eſt,vt inter potentes principes bellum ex ſuſcitetur: ſed ob diuerſitatem rerum incidentium, magna difficultate componitur. Nocere enim quiſque ſtudet aduerſario ſuo,quãtum poteſt, & celeres plerumque ſunt in eiuſmodi rebus animorum motus, qui poſteaquam ſemel in actionem tranſierunt, ſiſti non poſſunt aut reuocari.*Ph. Cominæus lib.3.*

BELLVM *quando neceſſarium.*

Stultum eſt,mouere bellum,ſi florẽte ſtatu liceat retinere pacẽ. Sin autẽ neceſſe eſt,aut cedentes imperata facere,aut pericula adire libertatis retinendæ cauſa,magis reprehendendus eſt is qui fugit pericula,quàm qui ſuſtinet.*Thucyd.lib.2.*

BELLVM *quomodò gerendum.*

Grauis eſt res bellum,inquit Camillus,vt quæ multis iniuſtis multiſque violentis factis conficiatur: & tamen apud bonos viros habentur etiam quædam belli leges: neque tantopere victoria expetenda eſt,vt non fugienda ſint officia,quę per ſcelus ac malitiam offeruntur. Magnum enim imperatorem ſuæ virtutis non alienę improbitatis fiducia conuenit bellum gerere.*Plutarch.in Camillo.*

BELLVM *ſeruile.*

In hoc ſeruilis tumultus excitatio,quanto rarior extat cæteris,tanto truculentior eſt, quia qua intentione commouetur libera,multitudo vt patriam augeat, ea ſeruilis vt perdat.*P.Diacon.hiſt.lib.4.*

BELLVM *turpiſſimum.*

Cùm turpe ſit in expeditione manſiſſe diu vacuúmque reuerti: multò turpius eſt, manſiſſe diu, ac non modò nihil geſſiſſe, ſed etiam ad inimicorum portas interfici.*Niceph.Gregoras hiſt.lib.10.*

BELLI *aleadubia.*

Plurima in bellis geſta experientiam rerum,rurſus imperitiam generaut. Magnum quidem eſt,eum, qui victorię principium nactus eſt, illud in conſequentiam extendere: multò autem maius eſt, eum cui priores conatus non ſucceſſerunt, apud ſe manere, & conſiderare infelicium vęcordiam,illorúmque errata diligenter obſeruare.Eſt enim ſæpe numero videre eos qui primas conſequuti videntur,paulò poſt omnibus in vniuerſum fruſtrari;rurſus qui initio prolapſi videbantur, vice verſa cuncta ſibi propria reſtituiſſe induſtria.*Polyb.hiſt.lib.11.*

Interdum communis eſt belli fortuna, magis quàm pro eximio partium diſſidentium robore & copiarum numero *Thucyd.lib.5.*

Regem vel ciuitatem quampiam ſuſcepto bello malè rẽ gerere fortunæ vitio ſæpius contigit. *Pauſan.lib.7,*

Errant quicunquè in bello omnes ſecundos expectant euentus. *Cæſ de bello Gall.lib.7.*

Quo ſæpius Cæſar viciſſet, hoc minus experiendos caſus opinabatur, nihílque ſe tantum acquiſiturum victoria, quantum auferre calamitas poſſet. *Sueto.in Iulio.cap.60.*

Belli fortuna non in tuto ſemper conſiſtit:nam & multos ſpes ea fefellit,quod ad ſe eſſet victoria peruentura: & qui rem malè geſſiſſe plerunque ſunt viſi,ſuperaſſe ex inſperato hoſtem iam contigit. *Procop.de bello Goth.lib.2.*

BELLI *deteſtatio.*

Adeo turbas, bella, ſimultates, Auguſtus Cæſar execratus eſt, vt niſi iuſtis de cauſis, nunquam genti cuiquam bellum intulerit: iactantiſque eſſe ingenij & leuiſſimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos euentus certaminum ſecuritatem ciuium præcipitare: neque Imperatori bono quicquam minus quàm temeritatem congruere: ſatis celeriter fieri, quicquid commodè gereretur: armáque niſi maioris emolumenti ſpe, nequaquam mouenda eſſe, ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti amiſſique detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt. *P. Diacon. in Auguſto, hiſt. libr. 6.*

BELLI *duces.*

Familiari re pauperes, belli duces (Fabricij & alij) rexere bella grauiſſima, gloria locupletes. *Amm. Marcel. l. 24.*

BELLI *dux.*

Vide, Imperator.

BELLI *effectus in mente hominum.*

Primores ſenatus ætate inualidi & lōga pace deſides, ſegnis & oblita bellorū nobilitas, ignarus militiæ eques, quanto magis occultare ac abdere pauorem nitebantur, manifeſtius pauidi. Nec deerant è contrario, qui ambitione ſtolida, conſpicua arma, inſignes equos, quidā luxurioſos apparatus conuiuiorū, & incitamenta libidinum, vt inſtrumenta belli mercarentur. Sapientib. quietis & Reip. cura. leuiſſimus quiſq; & futuri improuidus ſpe vana tumēs. Multis afflicta fides in pace, ac turbatis reb. alacres, & per incerta tutiſſimi. Sed vulg⁹, & magnitudine nimia communiū curarum expers populus, ſentire paulatim belli mala, conuerſa in militum vſum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis. *Tacit. hiſt. libr. 1.*

BELLI *euentus.*

Duces belli deum aliquem ſpōſorem non habēt vitæ eorū omniū qui ſunt pugnaturi: nec certis conditionibus verbiſque cōceptis imperia accepimus vt omnes hoſtes deuincamus & nullos de noſtris amittamus. Quis enim mortaliū omnes tam conſilij quàm fortunæ euentus in ſeipſum recipere auderet? Sed ſemper magna facinora magnis emimus periculis. *Dionyſ. Halic. l. 9.*

Plerique dum belli euentū oppeiuntur, eluſi ſunt demum in rebus maximis. *Procop. de bel. Got. l. 1.*

In incerto poſitus eſt belli euentus: nec mortalium quiſpiam fortunæ prænoſſe ſententiam queat. *Idem, eod. lib.*

BELLI *finis.*

Bellorū egregij fines ſunt, quoties ignoſcendo tranſiguntur. *Tacit. Ann. li. 12.*

BELLI *gerendi quædam rationes, prolixius deſcripta.*

Admodum neceſſe eſt, vtque circa belli gerendi ſtudium accidunt, diligenter inſpiciantur. poteſt autem fieri, vt in ſingulis circunſtantiis rectè collimetur, ſi quis animo præſenti quod proponitur faciat. Quòd verò in bellicis rebus minoris ſint momenti, quę manifeſtè & cum violentia perficiuntur, quam quæ cum dolo & opportunè fiunt, facilè poteſt, ſi quiſquam velit, ex

illis quæ iam facta ſunt, cognoſci. Deinde quòd in illis quæ opportunè geruntur plura ſint per errorem quàm rectè facta, ne id quidem ex his quæ contingunt, difficile fuerit intelligere. Etenim nemo dubitat plurima errata per Imperatorum committi ignorantiam & ſocordiam. Itaque quid ſit eiuſce cōſtitutionis modus, iam eſt conſiderandum. Quæ ſine certo propoſito in rebus bellicis accidunt, haudquaquam conuenit vt geſta dicantur, ſed magis fortuiti euentus & caſus. Illa, propterea quòd certa ratione non nituntur, relinquenda ſunt: declaranda verò, quæ deſtinato geruntur propoſito. De his nunc loquimur. Quoniam verò quodcunque factum determinatū habet tempus, ſpatium & locum, eſtque occultatione & certis conſtitutionibus, denique refert per quos, cū quibus, & quo pacto fiat: manifeſtum eſt, quòd qui ſingula hæc rectè conſiderat, à ſcopo non aberret: ſi verò ex illis aliquid neglexerit, vniuerſo propoſito fraudetur. Sic enim natura, ad infortunium conſiliorum cauſandum, ex ſingulis partibus vnam, eamque vulgarem & quamlibet, ſi negligatur, efficacem reddit: ad hoc verò vt quid rectè perficiatur, vix cunctæ illius partes adhibitæ ſufficiūt. Quapropter non debent imperatores aliquid ex huiuſmodi conatibus & conſiliis negligere. Principium autē eorum quæ diximus, *ſilentium* eſt: vt neque propter gaudium, ſi ſpes quædam inopina affulgeat, neque propter metum, neque ex conſuetudine, vel amico affectu, cuipiam extero, ſed ſolis illis de conatu ſuo communicent, ſine quibus quod propoſitum eſt ad finem perducere non poterūt: & his quoque nonniſi dum vniuſcuiuſque neceſſitas cogit. Silendū autē eſt, non lingua tantùm, ſed multò magis & animo. Etenim multis hoc accidit, vt conſilia ſua quæ voce celarunt, aliquando demonſtratione indiciorum, nonnunquam & factis aperuerint. Deinde neceſſe eſt, vt nocturna & diurna *itinera*, & quomodo illa nō modò per terras, ſed & per mare conficiantur non ignorent. Tertium & maximum eſt, vt *opportunitatem temporis* ex circūſtantiis cognoſcant, poſſintque illam iudicioſe conicere. Quin neque *modus agendi*, modici faciendus eſt. Per hunc enim plerunque accidit, vt quæ impoſſibilia videntur, poſſibilia, & quæ poſſibilia eſſe ſolent, impoſſibilia fiant. Poſtremò contēni non debent *pacta*, & quæ pactis ſunt annexa, & *delectus*, per quæ & cum quibus quod decretū eſt perficitur.

Prædictorū verò alia exercitio, alia ex hiſtoriis, alia per experientiā rectè diſpoſitam conſiderantur. Optimum quoque fuerit & *vias*, & *locum*, quò proficiſcendum ſit, denique & loci naturam non ignorare. Præterea *per quos*, & *cum quibus* ſit *agendum*: deinde & accuratè *rē ipſam videre*, nec quibuſlibet credere. Hi verò qui ducuntur ac reguntur, in eiuſmodi negotiis ſemper illis fidem adhibere debent, à quibus ducuntur. Opus eſt item cognitione mathematum ac theorematū, maximè verò aſtrologiæ & geometriæ: quarum opus quidem haud multum ad hunc vſum confert, vſus verò magnoperè & magnificè ad prædictas rerum mutationes coo-

cooperari poteſt.

Summa autem illius neceſſitas, circa nocturnas & diurnas meditationes verſatur. Etenim ſi illas perpetuò pares eſſe contigiſſet, nihil prorſus negotij res iſta poſtularet, ſed omnibus communis eſſet illius ſcientia. Verùm quoniā prædicta non modò inter ſe, ſed & in ſeipſis differentiam habent, neceſſarium eſſe liquet, vt vtrinque quæ ſint incrementa & quæ diminutiones cognoſcatur. Etenim quomodo profectiones, & tam nocturnæ quàm diurnæ adimpletiones cognoſci poterunt, niſi prædictorum differentia conſideretur? Atqui nihil ex his quæ temporis momenta concernunt quiſquam aſſequi poterit, ſine horum experientia: ſed neceſſe eſt vt iam tardius, iam citius quàm par ſit, agat. Maiorem autem defectum habet, in hiſce duntaxat rebus, citius quàm tardius rē aggredi. Etenim qui determinatum tempus excedit, ſpe quidem ſua fraudatur: at quod factum eſt, poſt aliquod interuallum cognoſcens, adhibita cautione reſarcire poteſt: qui verò tempus opportunum præuenit accedens & innoteſcens, non ſolum non conſequitur quod volebat, ſed & de tota rei ſumma periclitatur. Dominatur quidē occaſio in cunctis rebus humanis, maximè verò bellicis. Debet igitur dux exercitus perſpicuè cognoſcere ſolſtitium æſtiuale, æquinoctia, & intermedias dierum ac noctium tam auctiones quàm diminutiones. Sic enim duntaxat ſecundum rationem commenſurare poteſt, quæ tam mari quàm terra perficienda veniunt, &c. *Polyb. hiſt. l. 9.*

Alexandri ſucceſſores & horum poſteri ad Pyrrhum vſque hoc vſi ſunt propoſito, vt contra hoſtes manifeſta dimicatione alacriter pugnarent, & cuncta facerent, quæ pertinerent ad armatorum conflictum: ciuitatibus verò pepercisſe, propterea quod expugnatores & victores illarum, potius victi eſſent: & quòd hac benignitate apud victos in pretio haberentur. Etenim ea diſperdere quorum gratia bellum inſtituitur, & bellum ipſum relinquere, incurabilis eſt inſaniæ opus. *Polyb. hiſtor. libr. 17.*

BELLI *initia.*

Vt initia belli proueniunt, fama in cætera eſt. *Tacit. hiſt. l. 2.*

BELLI *iniuſtitia.*

In pace cauſſæ & merita ſpectantur: vbi bellum ingruit, innocentes ac noxij iuxta cadunt. *Tacit. Annal. l. 1.*

BELLI *iura & leges.*

In hoſtes ſæuire, eorúmque caſtella, portus, ciuitates, villas, naues, fructus, deuaſtare, aliáque his ſimilia facere, per quæ hoſtium vires debilitentur, propriæ confirmentur atque augeantur, leges ac iura belli permittunt: ea verò deſtruere quæ nec propriis rebus emolumenti aliquid afferunt, nec hoſtibus detrimenti, vt ſunt templa, porticus, ſtatuæ, aliáque huiuſmodi, rabioſi hominis eſt, ac planè furentis. Neque enim ad internecionem vſque pugnare cum hoſtibus bonum virum decet, ſed quoad eorum qui deliquerunt, malefacta purgata ſunt atq; correcta: neque vna cum iniuſtis eas exſtir-

pare quæ nihil læſerunt, & ſimul cum hoſtibus debere eos velle, qui nullam iniuriam inferre videntur. *Polyb.l.5.*

Quæcunque quis ſua virtute hoſtibus ademit, & ſibi comparauit, eas ſuis poſteris tanquam res proprias relinquit. *Dionyſ. Halicarn. libr. 6.*

BELLI *miſeria ſumma.*

In turbas & diſcordias peſſimo cuique plurima vis, pax & quies bonis artibus indigent. *Tacit. hiſtor. libr.4.*

BELLI *nerui.*

Belli dona(*nerui*)ſunt, vrbes & pecuniæ. *G. Pachymer. hiſt. lib.5.*

BELLI *& pacis artes oppoſitæ.*

Qui re bellica magni ſunt facti, & in ordinem ſeſe cogi haud facilè ferunt, iis in toga viuētibus procliuis eſt ad ignominiam lapſus. Ipſi enim vt militiæ, ita domi etiam primas ſibi vindicant: at verò qui in bello poſteriori loco ſunt, nullo modo ferre poſſunt, ſi ne in toga quidē plus aliis poſſint. Ideò ſi quē rebus geſtis & triumphis ſplendidum virum in foro deprehendunt, opprimunt eum ſuámque in poteſtatem redigunt: rebus autem vrbanis ſeſe abſtinenti, gloria & potentia bellica inuidiæ ſecura permanet. *Plutarch. in Pompeio.*

BELLI *præmia.*

Ego quidē maius vobis huius belli præmium propoſitum eſſe nullū dixerim, quàm vt dignitatē maiorū conſeruetis vt magnanimitatē veſtram tueamini: vt eos qui à nobis defecerūt, vlciſcamini vt vindictam ab iis qui iniuriis vos affecēre, ſumatis, vt victores omnibus hominibus imperetis: vt ne patiamini vllā mulierē viris æquari, *Dion, lib.50.*

BELLI *ratio.*

Neceſſaria glorioſis præponēda ſunt, neque tutū videtur abdito in interiora exercitu vacuam vicino hoſti relinquere patriam. *Velleius Paterc. lib.2.*

BELLI *viciſſitudines.*

Quis ignorat belli viciſſitudines non certa neceſſitate accidere, nec eos qui nunc forte falluntur eandē ſemper ſortiri fortunam, ſed aliter lōgè, vt pleraque euenire: ſiquidem compertum iam eſt ad victos ſæpe redire victoriā, & calamitoſos plerumque à fortuna iuuari. *Agat. hiſt. lib.3.*

BENEFICENTIA.

Officium tempore præſtitum ingratorum nomen mutare cōſueuit. *Procop. de bello Vandilico. lib.2.*

Inexhauſta opulentia eſt beneficentia. *G. Pachymer. hiſt. lib.4.*

Qui calamitoſorum vicem ex animo dolet, idem etiam illis, quoad poteſt, ex animo fert opem. *Idem hiſt. lib.11.*

BENEFICI.

Qui amicos beneficiis afficere conituntur, nullo pacto ſunt per hos incuſandi. vel ſi per ea, quæ nōnunquam iniucūda forſitan ſunt, his gratiam facere videantur. *Procop. de bello Goth. lib.3.*

BENEFICIA.

Beneficia nō ſunt exprobranda apud memores. *Liuius, decad.1. lib.5.*

Beneficiorum gratia ſempiterna eſt. *Curtius. lib.8.*

Beneficia eò vſque læta ſunt dum videntur exſolui poſſe: vbi multum anteuenere, pro gratia odium habetur. *Tacit. annal. lib.4.*

Beneficia à malis hominibus profecta ſapientes grata non habent. *Dion, lib.37.*

Di-

Diuerſo modo à plerìſque mortalium iniuriæ atque beneficia accipiuntur. Nam iniuriæ quidem, vel inuiti memoriam retinent, memoriam autem beneficiorum vltro proiiciunt: hoc, quòd ij videri nolunt, qui tãquam imbecilliores ab aliis ſint adiuti: illud, quia nolunt ſuſpicionem timiditatis de ſe præbere, ſi quidem iniurias ſibi illatas non vlciſcantur. *Idem libro 46.*

Vt tenax eſt iniuriarum memoria (quod enim offendit nunquam obliteratur) ſic beneficia in ipſo excidunt vſu. *Herodianus in Pertinace.*

Arduum imprimis eſt, magnis acceptis beneficiis paria referre. Nam in beneficiorum viciſſitudine, ſi magnam gratiam referat qui paruam debuerat, nõ tam facilitas remunerandi expenditur quàm in ipſo grati animi argumentum cõmendatur. Sed quum prior quiſpiam eximia in te quædam contulerit, tum ſi illum parũ amplè demerearis, non tam deeſſe quod reponas, quàm ipſe inops ſenſuum ac plane integrauſſimus videare. *Idem, ibid.*

BENEFICIA *ingrata.*

Beneficia in eos collata qui ſe innumeras iniurias à benefactore accepiſſe exiſtimant, ex tam malè affectis & exulceratis animis, offenſionum memoriam, præſertim cũ beneficium eiuſmodi tempore fit, vt magis vi expreſſum quàm à libera voluntate profectum videatur, delere non poſſunt. *Fr. Guicciar din. hiſt. l. 16.*

BENEFICIORVM *amor.*

Homines ſuapte natura ciuium ſuorum beneficiis ornati, ſeſe in his oſtentant. *Dion, l. 36.*

BENEFICIVM.

Beneficium hominibus ex eadẽ impenſa nullum eſt gratius, quàm cibi potúſque cõmunicatio. *Xen. de inſtitut. Cyri, l. 8.*

Non numero, quantum quis det vel accipiat, ſed hominis ipſius facultate metiendum eſt. *Idem, de expedit. Cyri, l. 7.*

Poſtremum beneficium opportune collatum, etiam ſi minus, tamen abolere priorem poteſt offenſionem. *Thucyd. l. 1.*

BENEFICIVM *Dei.*

Eſt profectò magnum Dei beneficiũ, agnoſcere quod vitioſum eſt, ac mẽtem ad meliora conuertere. *Ph. Comineus, l. 1.*

BENEVOLENTIA.

Quibus rebus amicitia violatur? nempe his maximè duabus, ſi ſocios meos pro hoſtibus habeas, ſi cum hoſtibus te coniungas. *Liuius, Decad. 4. l. 4.*

Proni ſtudij certius indiciũ eſt ſupra vires niti, quàm viribus ex facili vti. Alter enim quod præſtat poteſt, alter etiam plus quam poteſt. *Valer. Maxim. libro quarto, c. 8.*

Violentię præſtat beneuolentia. *G. Pachymer. hiſt. l. 9.*

BENEVOLENTIA *principis.*

Hominibus princeps imperat, non belluis: nec alio pacto verè poteſt eorum animos ad beneuolentiam allicere, atque id pariter omnibus perſuadere, quàm ſi nemini volens inuitúſue iniuriam fecerit. Et ſi enim vt alterum metuat, cogi aliquis poteſt, tamen vt amet id ei perſuaderi neceſſe eſt. Quum igitur videt in ſe, atque in alios beneficia conferri, facilè perſuadetur: quum verò putat quempiam

non iure cæſum eſſe, mox ne idem ſibi eueniat, timet, cogiturque eũ qui id fecerit penitus odiſſe. Odio autem eſſe ſubditis, præterquam quod bonum non eſt, damnũ quoque adfert & detrimentum maximum. Nam plerique arbitrantur neceſſe eſſe reliquis hominib. eos vlciſci à quibus vel minimam iniuriam acceperint, ne contemni aut ſuperari videantur: principes oportere tantùm in eos animaduertere qui contra Rempubl. committunt: eos verò qui in ſe peccant toleranter ferre. Non enim eis iniuriam fieri, propterea quòd contempti atque abiecti ſint: ſiquidem ſunt magnis multiſque præſidiis & cuſtodiis muniti. *Xiphilin. Caſ. Aug.*

BENEVOLENTIA *quibus artibus captanda.*

Quibus rationibus cæteri reges hominum beneuolentiam venentur, pecuniæ ſcilicet & munerum corruptela, eas & iniuſtas & artis vacuas Cleomenes cenſebat: pulcherrimum autem & maximè regium iudicabat eos quibus cum ageret oratione ac conſuetudine grata & fide digna ſibi deuincire: idque vnum inter amicum & mercenarium intereſſe, quod ille moribus & ſermone, hic pecunia paratur. *Plutar. in Cleomene.*

BENIGNITAS.

Mihi videtur multò plura corrigi poſſe humanitate & benignitate, quàm vlla crudelitate. Etenim ij qui veniam dant, nòn ſolùm chari ſunt iis quibus ſe miſericordes præbuerunt, ita vt illi ſtudeant his meritam & debitam referre gratiam, ſed etiam apud cæteros omnes ſummo in honore ſunt, & coluntur ab omnibus, ita vt iis iniuriam facere audeat nemo. *Xiphili. Caſ. Aug.*

BLANDITIÆ.

Blanditiæ, peſſimum veri affectus venenum. *Tacit. hiſt. l. 1.*

BONA.

Voluptates magnæ & ingentia bona nonniſi obedientia, tolerantia, & opportunis laboribus periculiſque proficiſcuntur. *Xen. de inſtit. Cyri, l. 3.*

BONA *animi.*

Vti genus hominum compoſitum è corpore, & anima eſt: ita res cunctæ, ſtudiaque omnia noſtra, corporis alia, alia animi naturam ſequuntur. Igitur præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hoc vis corporis, & alia huiuſcemodi omnia breui dilabuntur. at ingenij egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. poſtremò, corporis & fortunæ bonorum, vti initium, ſic finis eſt, omniaque orta occidunt, & aucta ſeneſcunt: animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque ipſe habetur. quo magis prauitas eorũ admiranda eſt, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignauiam ætatem agunt: cæterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu atque ſocordia torpeſcere ſinunt: cùm præſertim tam multæ variæ ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paratur. *Salluſt. de bell. Iugurth.*

Quæ domicilio mentis bona incluſa ſunt, nec mortalium nec deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus præſto ſunt, ita fugientes non deſerunt. *Valer. Maxim. l. 7. c. 2.*

Fides, libertas, amicitia, precipua ani-

animi bona, conſtantia retinentur, obſequio & adulatione imminuũtur. *Tacit. hiſt. l. 1.*

BONA *caduca.*

Caduca hæc & fragilia, puerilibúſque conſentanea crepundiis ſunt, quæ vires atque opes humanę vocantur. Affluũt ſubitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo curſu deſtitutos, profundo cladiũ miſerabiliter immergunt. Itaque neque exiſtimari neque dici debẽt bona quę vt inflictorum malorum amaritudine deſiderium ſui duplicent, propẽſiore fauore primò delinitos, maiore poſteà malorum æmulo opprimere ſolent. *Valer. Maxim. l. 6. c. 9.*

BONA *vera.*

Vera bona in virtutibus ſita sũt. *Tacit. in vita Agric.*

BONITAS *ſeuera eſt.*

Mirari quidem poſſit non nemo quomodo ita ſeuerus & durus Phocion cognomẽ Boni inuenerit. Sed arbitror vt difficile eſſe, ita tamen fieri poſſe, vti idem homo (ſicut & vinum) dulcis ſimul & auſterus ſit: quemadmodum contrà nonnulli cùm ſuaues videantur, acerbiſſimi ſunt vtentibus, & plurimum nocent. *Plut. in Phocione.*

BONI *viri ſemper beati.*

Nihil à lamentatione longius abeſt, quàm & vita glorioſa, & ſpecioſa mors. *Xenoph. Orat. de Ageſilai laudib.*

BONORVM *amiſſio.*

Dolorem adfert priuatio non eorum bonorum quæ non habituri eramus, ſed eorum quæ habui mus. *Thucydid. li b. 2.*

BONVM *publicum.*

In pleriſq; ue negotiis bonũ publicum à priuata gratia deuincitur. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Vbi bonum publicum, etiam priuatim vſui eſt, id verò dubitare aggredi, ſocordiæ atque ignauiæ duco. *Salluſt. in Fragm.*

Priuatio vſui bonum publicum poſtponitur. *Tacit. Annal. l. 6.*

BREVITAS.

Tunc laudanda eſt breuitas quũ moras rumpens intempeſtiuas, nihil ſubtrahit cognitioni iuſtorum. *Amm. Marcell. hiſt. l. 15.*

C.

CÆDIS *initium.*

Initio cædis orto, difficilis modus. *Tacit. hiſt. l. 1.*

CALAMITAS.

Incerta calamitas aliquando etiam non immeritis accidit. *Thucyd. lib. 3.*

Ipſa calamitas omniſque laudis conuenientis priuatio, quamuis nihil aliud accedat præterea, bellidu cibus eſt magna & grauis mulcta. *Dionyſ. Halic. l. 9.*

Sæpè calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam. *Curtil. l. 4.*

Calamitas querula eſt, & ſuperba felicitas. *lib. 5.*

Maligna calamitas & verè noxia, quum quis ſuo ſupplicio acquieſcit, pro alia aru ciatus. *lib. 6.*

Sunt molles in calamitate mortalium animi. *Tacit. Annal. l. 4.*

CALAMITATES.

Recordatio propriarum calamitatum, quaſi irritatio quædam eſt

ad odio proſequendum illarum au thores. *Polyb. hiſt. l. 9.*

Scimus magnas calamitates audaciam primùm afferre attonitis, quam procedente tempore ſeruire ſubigat neceſſitas. *Appian. lib. de bel. Punic.*

Si diuina prouidentia (quæ ſicut bona, ita pia & iuſta eſt) agitur mũdus & homo: hominem autem qui conuertibilitate naturæ & libertate licentiæ infirmus & contumax eſt, ſicut piè gubernari egenum opis oportet, ita iuſtè corripi immoderatum libertatis neceſſe eſt: iura ab initio hominis per bona maláque alternantia, exerceri hunc mũdum ſentit quiſquis per ſe atque in ſe humanum genus videt. *P. Oroſ. hiſt. l. 1. c. 1.*

Parua domus haud temerè magnam, nec magna paruam calamitatem capit. *G. Pachymer. hiſtor. libro 3.*

Afflictis in rebus & ad extremã penè deſperationem redactis homines ad ea remedia confugiunt, quibus periculi potius magnitudinem omnibus notam faciũt, quàm fructum aliquem conſequantur. *F. Guicciardin. hiſt. l. 4.*

CALAMITATES *domeſticæ quo modo ferendæ.*

Quod domeſticam calamitatẽ, nempe filiæ mortẽ deflendam mulieribus Demoſthenes reliquit, ipſe ea quæ è Republ. eſſe crederet agenda ſuſcipiens, id laudo, profectúmque à forti animo, ciuilique iudicio, cuius officium eſt ſemper Reipublicæ intentum eſſe, eique res caſuſque domeſticos poſtponere, ſempérque dignitatem ſuam tueri, multò magis quàm in ſcenis hiſtriones faciunt regis aut tyranni perſonam agentes: quod ipſos videmus non vt ipſis libitum eſt ridere vel plorare, ſed vt ratio propoſiti ad agendum argumenti requirit. Iam ſi contra officium eſt, ictum aliquem infortunio negligere, patique vt is omnis expers conſolationis mœrore ſe ſuo conficiat: ſed & leuandus verbis eius dolor eſt, & abducendus ad rerum lætiorum cogitationem animus (quomodo ex oculis laborantes à contuitu rerum ſplẽdidarum, ſuóque fulgore eos ferientium deflectere adſpectum in virides & molles colores iubemus) quod tandem patriæ lugenti melius conſolandi genus adhibeat aliquis, quàm ſi domeſticas calamitates cum publicis temperans, melioribus deteriora obſcuret? *Plutar. in Demoſthene.*

CALAMITATVM *ingenium effectus.*

Frangunt animos res ſubitæ, & inexpectatæ, quæ præter opinionem accidunt. *Thucyd. li. 2.*

CALAMITATVM *ſenſus & recordatio.*

Dixiſſe Æneam Virgilius refert, cùm poſt pericula ſua ſuorúmque naufragia reſiduos ægrè ſocios ſolaretur, forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Hæc ſententia ſemel aptè ficta: ſemper vim ſui triplicẽ diuerſiſſimis affectibus refert: cum & præterita tanto gratiora habentur in verbis, quanto grauiora referuntur in geſtis: & futura dum deſiderabilia faſtidio præſentium fiunt, ſemper meliora creduntur: ipſius autem præſentibus ob hoc nulla in parte miſeriarum iuſta cõparatio adhiberi poteſt, quia multo maiore afficiunt, quantulacunque ſint iſta quæ ſunt, quàm illa quæ,

quæ,ſiue tranſacta, ſiue ventura,& ſi magna dicuntur, interim omnino tunc non ſunt,veluti ſi quis nocturnis pulicibus titillatus, atque ex eo vigiliis anxius, alias fortè, quas aliquando ex ardentiſſimis febribus diu ſuſtinuit,vigilias recordetur, procul dubio impatientius feret iſtarum inquietudinē, quàm illarum recordationem.Sed quamuis apud omnium ſenſus pro captu temporum ita videri queat,nūquid tamen aliquis exiſtet,qui vel in ipſa anxietate,pronuntiet grauiores eſſe pulices quàm febres?aut acerbius accipiat,ſe vigilare ſanū, quā dormire non potuiſſe moriturum? Quæ cum ita ſint, delicatis iſtis & querulis noſtris vtcunque cōcedo, vt hæc quibus nunc(quia ſic expedit)interdum admonemur, ſentiēdo grauia putent.Non tamen cohibeo,vt etiam adferant grauiora cō parando. Quemadmodum ſi quis molliſſimis è ſtratis cubiculóque percommodo matutinus egrediēs, nocturno gelu lacunarium dorſa obriguiſſe herbáſq; incanuiſſe proſpiceret,& inopinato viſu admonitus diceret,frigus eſt hodie, hic mihi nequaquam reprehendendus videretur,quia vel communi vſu vel proprio ſenſu locut⁹ eſſet.At ſi trepidus in cubiculum recurrens,ſtratiſque ſe adoperiens,vel magis abdēs,clamaret tantū omnino frigus eſſe,quantum nec in Apennino aliquando fuerit,cùm Annibal,elephātos,equos,plurimúmque exercitus ſui partē,niuibus clauſus atque oppreſſus amiſit,hunc ego puerilibus licentiis nauſeantem,nō modò dicentem iſta non ferrem, ſed etiam ab ipſis ſtratis, otij ſui teſtibus, in populum publicúmque protraherem:eíque foras producto,infantes in eo atque ex eo gelu ludentes,iucundantes,ſudantéſque monſtrarē, vt verboſa nugacitas delicatis vitiata nutrimentis,non in tēpore violētiam,ſed in ſe eſſe ſegnitiem doceretur:& in comparatione rerum diiudicanda,non maiores parua toleraſſe, ſed ſe nec parua tolerare poſſe probaretur. *P.Oroſius,hiſt.l.4. in præfat.*

CALAMITOSI.

Res ſecundæ in libidinem mortalibus exundant,vt nullum cupiditatibus modum ſtatuant: contrà calamitatibus preſſos ſenſus malorum exagitat,vt quū non cōfeſtim perierint,vlciſci eos à quibus afflicti ſunt concupiſcant, donec animum ſuum exatient. *Dion,l.* 44.

CALONES.

Calonum Lixarúmque amplior armato milite numerus, & in libidinē ac ſæuitiam corruptior. *Tacit. hiſt.lib.*3.

CALVMNIA.

Apelles aulicus inſignis Arati ſeculo,Taurionem, qui Peloponneſiacis rebus præfectus fuerat,magiſtratu deiecit, non incuſans eū, ſed laudans, ac dicens aptiſſimum eſſe, qui cum rege Philippo in caſtris verſaretur, volens ipſe alium Peloponneſiis præficere. Nouus quippe modus calumniæ inuentus eſt,non vituperando, ſed laudādo, famæ ac commodis hominum inſidiari. Quod vitium in aulis principum ortum adeo inoleuit, vt ea loca tanquam proprias quaſdā ſedes ſibi ſelegiſſe videatur. *Polyb.libro* 4.

Nihil tam ſanctum eſt,quód calumnia tentare non audeat,& omnes ad nocendum procliuiores eſ-

ſe conſtat. *Nicet. Manu. Comment. lib. 2.*

Pro ſalute deliberantem ſimul & conſilium dantem minimè fas eſt calumniam timere. *Procop. de bel. Vandil. l. 1.*

CALVMNIÆ *moleſtos & prudentes non decent.*

Non decet homines prudentes & modeſtos calumnias inter ſe dicere, vel cùm dicuntur libẽter accipere. Sed hoc magis decet, conſiderare ea quæ nunciantur, vt pro ſe quiſque ciuium priuatim, & tota ciuitas publicè ita parati ſimus, vt hoſtem nos inuadentem quàm facilimè depellere poſſimus. *Thucyd. l. 6.*

CALVMNIÆ, *delationes, ſuſpiciones in aulis principum.*

Dici non poteſt quàm infirmas ac tenues plerunque ſui mœroris cauſas principes & reges habeant. Magna enim ex parte nituntur ſuſpicionibus & calumniis. Atque hic eſt morbus occultus, qui in familiis principum regnat, & plurimis incommodis materiam ſubminiſtrat, in Gallia quidem adeo frequens, vt à Carolo magno vix pauci Galliæ reges annum ætatis ſexageſimum exceſſerint, collecta ſæpe ægritudine ex ſuſpicionibus & iis quæ clanculum ac falsò eſſent delata.

Ludouicus vndecimus, paulò antequam decederet, cum ſuſpicionibus nimium indulgeret, nulli prorſus homini fidebat, & omnes inſidiari ſibi putabat. Eius pater cũ decumberet ægrotus, perſuaſum habebat, paratum ſibi eſſe venenũ, ideóque ab omni cibo abſtinuit. Caroli ſexti eò deterior fuit conditio, quòd deliraret ac mẽte captus eſſet, dum iis quæ deferebantur, prius quam oportebat, crederet.

Prudẽter ergo facturi ſunt principes, cum aliquid ad ipſos occultè defertur, ſi delatorem ſiſtant, & fidem ſibi fieri iubeãt, eius quod ſit delatum: hac enim ratione multò viuent tranquillius, quando nullus eò ſit progreſſus amentiæ, vt quod probare non poſſit, de eo ſit alicui facturus calumniam. Sed ſunt ex ipſis nonnulli adeo ſtolidi & ignaui, vt etiam iureiurãdo promittãt, ſe nihil enunciaturos, atque interim anguntur in animis & ab impuris ſæpe hominibus perſuaſi, incipiunt illos odiſſe, quo pro eorum virtute & merito debebant amore ac beneuolẽtia ſumma complecti. *Ph. Comin. l. 5. de bel. Neapol.*

CALVMNIATORES.

Multi ſunt qui dedita opera meliores crebris ac vanis dictis proſcindunt, vt eos ad contentionem ſtimulent, vtque hi eiuſmodi regerentes opprobria, ipſorum ſimiles habeantur. *Dion, l. 38.*

Homines inuidia impellente, vltro mendaciis aliorum famam cõtaminant. *G. Pachymer. hiſtor. libro 8.*

CANDOR.

Iuſtus ſine mendacio candor, apud bonos crimini haud eſt. *Vell. Paterc. l. 2.*

Celſiores fortunas idem loqui decet atque ſentire. *Amm. Marcel. libr. 17.*

CAPTIVI.

Chriſtianorum leges non permittũt vt is qui in bello captus eſt in perpetuo carcere detineatur: quòd ea nefariorum hominum pœna, non autem ad eorum qui fortunæ acerbitate afflicti ſunt ſupplicium

cium ſit inuenta. & quæ vi à captiuis promittuntur, nullam vim habere omnibus notum eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 17.*

CASTITAS.

Abſque liberis Dei regnum adipiſci licet: at ſine caſtitate Deũ nemo conſpecturus eſt. *Mich. Glyca, Ann. par. 4.*

CASTRA.

Caſtra ſunt victori receptaculũ, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus proſpera pugnæ fortuna fuit, intra vallum cõpulſi, tempore ſuo, interdum momento poſt, eruptione facta victorem hoſtem pepulerunt? Patria altera eſt, militaris hęc ſedes vallúmque pro mœnibus: & tentoriũ ſuũ cuique militi domus ac pœnates ſunt. *Liu. Decad. 5. l. 4.*

CASTRORVM *metatio.*

Quid habet Caſtrorum metatio, niſi turpem fugam, & deſperationem omnium, & alienationem exercitus? *Cæſar, lib. 2. de bel. ciuil.*

CASVS.

Humanum eſt humanis caſibus ingemiſcere: multóque magis miſericordiam prouocant quæ oculis vſurpantur. *Herodian. in Commo.*

CASVVM *ſimilitudines.*

Mirum fortaſſis non eſt, ſi infinito temporis curſu, tantaque fortunæ inconſtantia, iidem ſæpenumero caſus reuoluuntur. Nam ſiue infinitæ ſunt ei ſubiectæ res, ipſa materiæ copia ſatis cauſæ eſſe poteſt: cur ſimiles aliquando effectus producãtur: ſiue certo numero res naturales adſtrictæ ſunt, neceſſe eſt ſæpe ab iiſdem cauſis eoſdem effectus proficiſci. Sunt qui hac euentuum ſimilitudine oblectati, ex hiſtoriis & fama exempla eorum colligant, quæ ita fortuitò acciderunt, vt conſilium vel prouidentiam cauſam habuiſſe videantur. Verbi cauſa, duo Atties illuſtres cum fuerint, vnus Syrus, alter Arcas, vterque ab Apro eſt interfectus. ex duobus Actæonibus vnus à canibus eſt, alter ab Amatoribus diſcerptus. Duo Scipiones fuerunt, quorum prior Carthagi-nienſes debellauit, poſterior excidit. Ilium captum eſt primum ab Hercule, ob Laomedontis equos, deinde ab Agamemnone lignei equi opera, tertiò à Charidemo, cũ equus portæ illapſus eam celeriter claudendi impedimento ciuibus fuit. De duarum vrbium, quæ à ſuaueolentiſſimis plantis, viola & myrrha, nomen habent, Ios nimirum & Smyrna, altera natales, altera mortem Homeri ſuſcepiſſe dicitur. Ex præſtantiſſimis bello ducibus, & qui maximas res dolo & calliditate geſſerunt, altero oculo caruerunt Philippus, Antigonus, Annibal & Sertorius. *Plutarch. in Sertorio.*

CAVSA.

Sine cauſa nihil eorum quæ ratione fiunt, aut eorum quæ præter rationem agi videntur, perfici poteſt. *Polyb. l. 2.*

CAVSÆ *æquitas.*

Cauſæ æquitatem multum in bello valere compertum eſt. *B. Facius hiſt. l. 2.*

CAVSÆ *rerum.*

Vnuſquiſq; dũ audit res nouas & inauditas, cauſam ſcire cupit, & in

hac ſola fidem ſuam collocat. *Dionyſ. Halic. lib. 7.*

CAVSAE *rerum inueſtigandæ.*

Quemadmodum medici nihil prodeſſe ægrotantibus poſſunt, ſi morborum cauſas ignorant: ita qui circa res geſtas verſatur omni prorſus vtilitate carent, niſi & loci, & temporis, & cauſarum, & occaſionum omnium ratio conſtet. Nam nec illi corpora ægrota competenter curare, nec iſti quicquam ex rebus gerendis rectè obire poterunt, niſi adſit eorum cognitio, de quibus loquitur. Nihil igitur vel magis neceſſarium, vel tantopere quęrendum, quàm cauſas rerum omnium quę accidunt noſſe. Siquidem ex opportunitate maximæ interdũ res oriri ſolẽt: facilimúmque eſt cuilibet rei in ipſo introitu obſiſtere. *Polyb. lib. 3.*

CAVSAE *quomodo à rerum principiis differunt.*

Multum inter principia rerum ac cauſas intereſt. Cauſæ omnibus in rebus primæ ſunt, principia verò vltima cauſarum. Exiſtimo principia dici primas hominum actiones in rebus quæ iudicatæ ac deliberatæ ſunt: cauſas verò quæ iudicium deliberationémque præcedũt, quę que efficiunt vt ita iudicemus deliberemúſve, vt cogitationes, conſilia, ratiocinationes, cęteráque huiuſmodi. *Polyb. lib. 3.*

CELERITAS.

Celeritate ad bellum opus eſt. *Liuius Decad. 1. lib. 6.*

Cæſar vnum communis ſalutis auxiliũ in celeritate ponebat. *Cæſ. lib. 5. de bello Gall.*

In rebus bellicis celeritas amplius ſolet prodeſſe, quàm virtus, *Veget. lib. 4. cap. 31.*

Oportet, vbi velis ſociorum ſaluti ac dignitati tuæ conſulere, celeritati ſeruias, quę cùm cęteris in rebus, tum maximè in re militari plurimum valet. Fruſtrà enim, vbi ſemel opportunitas è manibus elapſa eſt, Dei immortalis auxilium implores. *B. Facius, hiſt. li. 10.*

CENSORES *inepti in bello, perſtricti.*

L. Æmylius quum imperator exercitus Romani ad bellum Perſeo Macedonum regi inferendum eſſet delectus, in curia in cõcionem procedens, inter cætera, leues cenſuras otioſorum hominum perſtrinxit grauiter, dicens, Vos quæ ſcripſero Senatui aut vobis, credite: rumores credulitate veſtra ne alatis, quorũ author nemo extabit. Nã nunc quidem quod vulgo fieri hoc præcipuè bello animaduerti, nemo tam famæ contemptor eſt, cuius non debilitari animus poſſit. In omnibus circulis atque etiam (ſi diis placet) in conuiuiis ſunt, qui exercitum in Macedoniam ducant, vbi caſtra locanda ſint ſciant, quæ loca prędidiis occupanda, quando aut quo ſaltu intrãda Macedonia, vbi horrea ponenda, qua terra mari ſubuchantur commeatus, quando cum hoſte manus conſerendæ, quando quieſcendum ſit. Nec quid melius faciẽdum ſit modò ſtatuunt, ſed quicquid aliter quàm ipſi cenſuere, factum eſt, conſulem veluti dicta die accuſant. Hæc magna impedimenta res gerentibus ſunt. *Liuius, Decad. 5. lib. 4.*

Si quis eſt, qui quod è Republica ſit ſuadere ſe mihi in eo bello, quod geſturus ſum, confidat, ne deneget operam Reipublicæ, & in Macedoniam mecum veniat, naue, equo, tabernaculo, viatico etiam à me iuuabitur. Si quem id facere piget

get, otium vrbanum militiæ laboribus præoptat, è terra ne gubernauerit. Sermonum ſatis ipſa præbet vrbs loquacitatem ſuam contineat: nos caſtrenſibus conſiliis contentos futuros eſſe ſciat. *Ibid.*

CENSVRA.

Viuorum vt magna admiratio, ita cenſura difficilis eſt. *Velleius Paterc. lib. 2.*

CERTITVDO *rerum.*

Rei certitudo animum reddit intrepidum. *G. Pachymer. hiſt. lib. 6.*

CIVES.

In vrbium obſidione nullum firmius ciuium beneuolentia munimentum eſt. *Io. Iouian. Pontan. hiſt. lib. 4.*

CIVES *optimi.*

Ibi ciues optimi fiunt, vbi præmia virtuti maxima propoſita ſunt. *Thucyd. lib. 2.*

CIVIS *bonus.*

Bonus ciuis etiam ſuæ ſaluti & fortunæ conſulere debet, maximè verò ſaluti communi. *Thucyd. lib. 6.*

Boni ciuis eæ ſunt partes vt gratis atque nullo precio inductus nô bona tãtùm, ſed & exiſtimationem patriæ vendendam præbeat. *Plutarch. in Ariſtide.*

Boni ciuis proprium eſt ſententiam ſuam liberè explicare: inutilis enim eſt & ciuis & Senator is, qui quauis de cauſa ab eo quod ipſe Reipub. commodum eſſe ducit, a liis ſuadendo remouetur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 15.*

CIVIS *inutilis.*

Ciuem non participem communium laborum, non tranquillitatis ſtudioſum, ſed inutilem cenſemus. *Thucyd. lib. 2.*

CIVIS *malus.*

Qui ſui commodi gratia cuncta agere, nec honeſtatis aut amicorũ vllam habere rationem deprehenditur, non video cur ei parcendum ſit. *Xenophon. de rebus geſt. Græc. lib. 2.*

CIVITAS.

Viri, non mœnia, & naues ſine viris, ciuitas ſunt. *Thucyd. lib. 7.*

Naturâ inimica ſunt inter ſe libera ciuitas & rex. *Liuius Decad. 5. lib. 4.*

Omnem ciuitatem, quæ ex multis familiis conſtat veriſimile eſt tunc florere quum priuatorum res florent: & contrà magnis tempeſtatibus agitari, quum res vniuſcuiuſque priuati ſe malè habent: & oportet eum qui mente ſit præditus pericuſque Reipublicæ adminiſtrãdæ, ſiue is ſit legiſlator, ſiue rex, eas leges ferre quæ iuſtam & temperantem priuatorum vitam efficiãt. *Dionyſ. Halic. lib. 2.*

Nulla alia re æquè ac hominem frequentia opus eſt illi ciuitati quæ ad imperium aſpirat: & quę res magnas affectat. *Dionyſ. Halic. lib. 4.*

Optimè adminiſtratur Ciuitas quæ ſe pro rerum ſtatu fortunę accommodat. *Idem.*

CIVITAS.

Viris ciuitas conſtat non ædificiis. *Appian. lib. 2. de bell. ciuil.*

CIVITAS *diſcors.*

In ciuitate diſcordi, & ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, paruæ res magnis motibus aguntur. *Tacit. hiſt. lib. 2.*

CIVITAS *infelix.*

Pudor, modeſtia, iuſtitia, quibus omnis ciuilis ſocietas conſeruatur, ab ciuitate exulant in qua pauper-

dine animis, leuem ex comparatione priorum ducere recẽtem equitum iacturam. pars non id quod acciderat per ſe æſtimare: ſed vt in affecto corpore quamuis leuis cauſa, magis quàm valido, grauior ſentiretur, ita tum ægræ & affectæ ciuitati quodcunque aduerſi inciderit, non rerum magnitudine, ſed viribus extenuatis, quæ nihil quod aggrauaret pati poſſent, æſtimandum eſſe cenſebant. *Liuius, Decad. 3. lib 2.*

CLASSES *bellicæ.*

Pauciſſimæ magnæ claſſes procul à patria profectæ, habuerunt proſperos ſucceſſus. Non enim ſuperant numero vniuerſam illius regionis & vicinorũ multitudinem ad quam oppugnandam accedunt. Quia omnia oppida ſe communi metu cõiungunt: cúmque defectu rerum neceſſariarum cedere coguntur, quãquam propria penuria fuit cauſa fugæ, tamen gloriam victoriæ hoſtibus relinquunt. *Thucy. lib. 6.*

CLEMENTIA.

Ea vera Clementia eſt, conſulere ne immerito ciues patria expellantur, retinere ab ſtultitia & falſis voluptatibus, pacem concordiamque ſtabilire: non, ſi flagitiis obſecutus magiſtratus, delicta perpeſſus, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſerit. *Salluſt. in Fragm.*

Regum ducumque clementia, non in ipſorum modò, ſed in illorum qui parent ingeniis ſita eſt. *Curt. lib. 8.*

Ea virtus non in eo conſpicitur, ſi quis bonis & amicis ſe æquũ præbeat: ſed ſi quis iniuria affectus placabilem ſe & benignum peccantibus exhibeat. *Plutar. in Dione.*

Nouum imperium inchoantib., vtilis Clementiæ fama. *Tacit. hiſt. libr. 4.*

Imperatorem mitiſſimi animi legibus præſtare cęteris decet. *Amm. Marcel. l. 16.*

Ignoſci interdum debet armis ſuperato rectori, quã iuſtum quid ſit ignoranti. *Idem, l. 30.*

Æquius eſſe mortem ſubire, Nerua dicebat, quã autoritatem imperij fœdare, proditis potentiæ ſumẽdæ autoribus. *Sex. Aurel. Vict.*

Antonius Pius Scipionis ſententiam repetebat, Malle ſe vnum ciuem ſeruare quàm mille hoſtes occidere. *Iul. Capitol.*

Nihil eſt, quod Imperatorẽ melius commendet gẽtibus quàm clemẽtia. *Wlcat. Gallic. in Auidio Caſſio.*

Piè mauſuetéque geri admodum lętamur: exilio autem proſcriptioni atque etiam ſuppliciis & cædib. modum fieri. *Sex. Aurel. Vict. Diocl.*

Clemẽtia & liberalitas, potiſſima dos in principe. *Põp. Latus in Diocl.*

Præteritorum pœnitẽtia his qui errauerunt clemẽtes reddere ſolet iniuriam paſſos. *Procop. de bel. Vandalico, l. 2.*

Alexander & Cæſar in iniuriis condonandis liberales fuerunt, at non tamen vt ſeipſi in eas difficultates & pericula, quæ iam ſuperauerant, rurſum inducerent præcipites. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 16.*

CLEMENTIA *principis.*

Vt omnem hominem, ita & quidem maximè principem reputare decet, gladium non eſſe omnia ſibi confecturum. Etenim magna eſſet eius vtilitas atque commoditas, ſi is poſſet homines prudentes facere, perſuadere, cogeréque vt

verè aliquem diligant. At is profectò dum corpus duntaxat alicuius occidit, à nobis reliquorum animos alienat, nec ſunt homines amiciores cuiquam propter aliorũ ſupplicia: ſed, quòd timent, infeſti atque inimici fiunt, ídque certum eſt & exploratum. Si autem homines veniam conſequuti ſint, pœnitentia atque pudore adducti, non modò non audent iis à quibus beneficium acceperunt iniuriam facere, ſed etiam plerunque beneficium remunerantur, quòd ſperant ſe multò maiora accepturos. Etenim qui eſt ſaluus & incolumis ſeruatus ab eo, cui ipſe iniuriam intulit, putat eundem accepto ab ſe beneficio nihil omninò ſibi eſſe negaturum. *Xiphilin. Cæſ. Auguſt.*

Multùm eſt profectò magnificentius atque glorioſius multos ciues conſeruare poſſe, quàm occidere. Quamobrem ij ſunt inſtituẽdi continendíque legibus, beneficiis, admonitionibus, vt modeſti ſint & prudentes, tum verò vſque adeo diligenter obſeruandi, & cuſtodiendi, vt ſi maximè iniuſti eſſe cupiant, tamen non poſſint: qui verò infirmi ſunt atque imbecilles, ſanari debent quodammodo & reſtitui, ne omnino corrumpantur. *Xiphil. Cæſ. Auguſt.*

Magnificus triumphus (*dictum Theodorici ad Clodoueum*) ac dignus te eſt, multitudinem inſontem, cui fortuna belli ac Numen pepercit, tibi ſupplicare, téque illi ſalutem ac incolumitatem concedere: vt ſecundum ſuperos nullús ſit cui plus ſe acceptum referre ipſi prædicent. Tu quoque cæteras virtutes tuas hac clementiæ palma, ac condonandæ vitæ laude cumulare ſtatuas, qua vna re quamproximè potes ad Deum Optim. Maximum accedere, vt te & ſibi natum, & regnare ſeculum noſtrum lætetur, glorietúrque ſe cum veterum felicitate certare. *P. Æmyl. l. 1.*

Cogitationes.

Hominum cogitationes lubricę ſunt: Dei verò conſilium non eſt irritum nec mutabile. *Nicet. Ioann. Comment.*

Hominum cogitationes incertæ ſunt atque fallaces, ac nonnulli ſequuntur ea quæ aſſequi nequeãt, & fruſtrà ſuis nituntur conſiliis ac conatibus, diuino auxilio non ſuffragante. *Idem, Manuel. Comment. lib. 4.*

Cognatio.

Cognationis deſiderium multũ valet: ac tametſi nepos ille nonnihil laxatus fuerit, facilè tamen denuò adſtringitur: ac priſtina erga eam charitate inuiolata conſeruata, bona fide in gratiam redit: ſecus quàm potentes ſolent, qui iram tegunt ac diſſimulant, dum vlciſcendi occaſio detur. *Nicet. in Ioan. Comneno.*

Collegæ *adlectio.*

Vt ſapientes definiunt, non modò imperio, vbi pericula maxima ſunt & creberrima, verùm etiam in priuatis quotidianíſque rationibus, alium ad amicitiam quum iudicauerit quiſquam prudens, adiũgere, ſibi debebit: non, quum adiunxerit, iudicare. *Amm. Marcel. libro 26.*

Colloquutiones.

Colloquutiones belli tempore non vacant periculo, ei præſertim cuius infirmiores videntur eſſe partes, magnum ſæpe detrimẽtum adferunt. Sic enim inter homines com-

comparatum eſt, vt & augeſcere cupiant, & ſua tueri: eóque facilè fit, vt ſeſe potentiorib. adiungãt, & quum in principem liberalem incidunt idoneúmque comparandis hominum gratiis, leui momento traducuntur aliò. *Ph. Comnaeus, li. r. 1.*

Imprudenter faciunt Principes, æquali potentia præditi, meo quidem iudicio, quòd in colloquutionem ipſi deſcendunt: niſi fortè ea ſint ætate, vt præter iocos & ludũ nihil ſpectent aliud. Nam poſteaquam grandiores euaſerunt, & æmulatio aliqua cœpit inter ipſos oriri, quod ferè fit, non eſt conſultum, vt ipſi congrediantur, ac longè præſtat, vt controuerſias, & quicquid eſt negotiorum, curent per legatos, viros bonos atque prudentes componi. *Idem, l.3.*

Exiſtimo debere Principes, à congreſſibus abſtinere, modò ſaluam eſſe velint & integram amicitiam. Fieri enim non poteſt, quin ipſarum familiares de rebus anteactis loquantur, non abſque moleſtia & fremitu alterius partis. Alij ſunt aliis elegantius veſtiti, naſcitur ex eo ludibrium & iocus, atque ita fieri neceſſe eſt, præſertim inter eos, qui lingua, ſermone & moribus differunt. Ex ipſis quoque Principibus, alij aliis ſunt decentiores, & aſpectu magis honeſto. Iis iucundum eſt prædicari à multis, neque id fieri poteſt abſque alterius, qui deformior eſt, vituperatione. Dimiſſo conuentu, paſſim ab omnibus iſta iactantur, initio quidem tacitè & ſubmiſsè, poſtea verò palam & clarè. Nihil enim propemodum eſt ita ſecretũ, quod non efferatur aliquando. *Idem, eo. li.*

COMITAS.

Comitas nulli eſt inuiſa. *Tacit. Annal. l.11.*

COMMEATVS.

Ea vos ſubeat cogitatio velim, maximum in bello momentum, bellique apparatum commeatus copiam eſſe: nam qui neceſſariis ad vitam rebus indigent, vt ab hoſte vincantur, neceſſe eſt. Non enim fames ipſa ſat nouit cum virtute cohabitare, quum eſurire & ſtrenuè agere humana natura nil ferat. *Ioan. bell. præfect. in Procop. de bel. Goth. l.3.*

Qui frumentum neceſſariúmque commeatum nõ præparat, vincitur ſine ferro. *Veget. l.3. c.26.*

Magna diſpoſitio eſt, hoſtem famæ magis vrgere, quàm ferro. *Ibid.*

Sæpius penuria quàm pugna cõſumit exercitum, & ferro ſæuior fames eſt. Reliquis caſibus poteſt in tempore ſubueniri. pabulatio & annona in neceſſitate, remedium non habent, niſi ante condantur. In omni expeditione vnum eſt, & maximum conſilium, vt tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia. Antequam igitur inchoetur bellum, de copiis expenſiſque ſolers debet eſſe tractatus, vt pabula, frumentum cæteræque annonariæ ſpecies, quas à prouincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam ac munitiſſimis locis, amplior ſemper modus, quàm ſufficit aggregetur. Quòd ſi tributa deficiunt, prærogato auro comparanda ſunt omnia. Neque enim diuitiarum ſecura poſſeſſio eſt, niſi armorum defenſione ſeruetur. Frequenter autem neceſſitas geminatur, & obſidio ſæpe fit longior quàm pu-

taris, cùm aduerſarij etiam ipſi eſurientes circumſidere non deſinant, quos fame ſperant vincendos.

Sed fidelis horreorum cuſtodia, & erogatio moderata, conſueuit ſufficere pro copia, maximè ſi ab initio procurentur. Cæterùm ſera parſimonia eſt, tum ſeruare cùm deficit.

Præcipuè cauendum videtur, ne aduerſariorum dolo atque periuriis decipiatur prouincialium incauta ſimplicitas. Frequẽtius enim commerciorum, pacíſque ſimulatio credulis, quam arma nocuerũt. Qua ratione famem collecti patiũtur hoſtes, diſperſi verò crebris ſuperuentibus facilè vincuntur. *Veget.lib.3.cap.3.*

COMMODA.

Difficile eſt propria commoda negligere. *Fr.Guicciardin hiſt.lib.2.*

CONATVS.

Quod principi formidoloſum eſt, etiam ſi egregium, plerumque conatus honeſtos prohibet. *Tacit. Annal.lib.13.*

Mortalium conatus vacui à fortuna caſsíque ſunt. *Aurel. Vict.de Cæſarib.*

CONCORDIA.

In externis bellis ipſa armorum potentia, quæ audacia & exercitatione comparatur, vrbes ſeruat & magnas ex paruis facit. At in ciuilibus perturbationibus, ciuium concordia. *Dionyſ.Halic.lib.2.*

Concordia eſt infirmis potentiæ cauſa. *Idem lib.4.*

Regnum vobis trado firmũ, (inquit *Micipſa ad filios*) ſi boni eritis: ſin mali, imbecillum. Nam concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. *Salluſt.de bello Iugurth.*

Cõcordia res coaleſcere poſſunt. *Liuius.Decad.1 lib.1.*

Equitem, ſagittas, ſaltus impeditos, auia commeatibus loca, grauis armis miles timere poteſt. mille acies grauiores quàm Macedonum atque Alexãdri auertit auertétque: modò ſit perpetuus pacis amor, & ciuilis cura concordiæ. *Liuius, Decad.1.lib.9.*

T. Tatius & Romulus in cuius vrbis medio foro acie hoſtes concurrerant, ibi concordes regnarũt. Non modò ſimultates, ſed bella quoque finiuntur. ex infeſtis hoſtibus plerunque ſocij fideles, interdum etiam ciues fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti ſunt: Latini, Sabini, in ciuitatem accepti. Vulgatum illud, quia verum erat in prouerbium venit, Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere. *Liuius, Decad. 4. libr.10.*

Sociabilis conſortio inter binos Lacedæmoniorum reges, ſalutaris per multa ſecula ipſis patriæque extitit. *Idem eod.lib.*

Rerum acerbitates iam conclamatas & perditas, concordia viciſſim ſibi cedentium principum meliorem reuocauit in ſtatum. 204. Studendum eſt Concordiæ viribus totis, per quam res quoque minimæ conualeſcunt. *Amm. Marcell. lib.26.*

Imperia difficilè concordiam cuſtodiunt. *Aurel.vict.hiſt.Aug.*

Imperia difficilè concordiam cuſtodiunt. *P. Diacon. hiſt.libr.11.in Conſtantino.*

Nulla prævalida armis gens, inter ſe conſentiens, vinci ab externo hoſte, quamuis feroci, opibúſque præſtante, poteſt. *P.Æmil.lib 1.*

CONCORDIA *diſcors.*

Difficillimum eſt ea concordia cui diſcordia atque ambitio permixta eſt ad optatum finem peruenire. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.*15.

CONCORDIA *hominibus exoſa.*

Athenienſes ſuis malis edocti, concordia item minimas res creſcere, diſcordia maximas labi, cunctáque vel bona vel etiã mala quæ foris geruntur internis eſſe radicata &emiſſa principiis, domi abſter ſere odia, & foris bella preſſerunt reliqueruntque poſteris ſuis de ruina ſui exemplum, de reparatione conſilium: ſi tamen ob infirmiſſimam humanæ mentis mutabilitatem, quod in afflictis rebus conſulitur, in proſperis rebus ſeruaretur. *P.Oroſius hiſt.lib.*2.*cap.*17.

CONCORDIA *militum.*

Eſt conſentaneum concordibus animis in pugna ſubſtituros eos, qui mutuo ſibi fidunt: qui verò diffidunt, hos neceſſe eſt conſultare, quo pacto ſinguli quamprimùm, ſeſe poſſint ſubducere. *Xenophon. de inſtitut.Cyri.lib.*6.

CONCORDIA *publica.*

Si membra Regni partéſque inter ſe conſentient cõſtabúntq;, corpus vniuerſũ ſalubre erit. Publica ſalus priuatorum res ægras ſuſtentat. Moribunda & affecta Reſpublica priuatas res vel validiſſimas ſecum trahit in excidium. Si communis omnium res ſuum vnum ſenſum conſiliúmque, ac vnum animum haberet, non indicerentur gẽtium conuentus. Concordia aurium eſt ac adamantinum vitæ vinculum, regina heráque: omnia in pace, vita, feſtiuitate tenet. *P. Æmylius, lib.*3.

CONCORDIA *rerumpub.*

Exiſtimabat Aratus vrbes ſingulatim imbecilles mutuo ſeruari, tanquam illigatas publico commodo. ac quemadmodum membra corporis viuentia & conſpirantia, propterea quòd inuicem innata ſibi hærent, ſi quod eorum auellatur & à cæteris ſeparetur, non alitur amplius, ſed tabeſcit: ita vrbes cenſebat ab iis quæ Rempub. diuellerent, perdi, augeri autem vnam ab alia & omnes mutuò, cum veluti magni alicuius corporis partes cõmunem haberent procurationem. *Plutarch.in Arato.*

CONCVPISCENTIA.

Res mala eſt, multa cõcupiſcere. *Herodot.lib.*7.

CONCVPISCENTIA *vana.*

Inutiliter aliquid concupiſcere, & in eo perſeueranter morari, exitio vicina dulcedo eſt. *Valer.Max. lib.*7.*cap.*2.

CONDIMENTA.

Nihil aliud ſunt condimenta niſi ventris faſtidium, & appetitus irritamenta. *Nicet. Alex. Angel. lib.*3.

CONIVGIA *imparia.*

In ciuitatibus nequaquam toleranda eſt ea confuſio, vt connubia huiuſmodi iungantur ætate à nuptiis aliena, & in quibus neque gratia, neque actio, neque finis coniugij ſit futurus. *Plutarch in Solone.*

CONIVGII *commoda.*

Bella planè accinctis ſunt obeũda: ſed reuertentibus poſt laborem, nihil honeſtius eſt quàm vxorium leuamentum. *Tacitus, annal.lib.*3.

CONIVGVM *diſcordiæ.*

Occultæ quandoque moleſtię, & morum diuerſitas aliis incognita, coniugum animos prorſus à ſe in-

uicem abalienarunt. *Plutarch. in Æmyl. Paulo.*

CONIVRATIO.

Coniurationis & factionis crimẽ, etiam ciuilibus legibus vbique eſt interdictum: quãto magis id in Dei Eccleſia eſt prohibendum? *Niceph. Gregoras hiſt. lib. 9.*

CONSCIENTIA.

Conſcientiæ curatio vel imprimis neceſſaria eſt. *G. Pachymer. hiſt. libr. 9.*

CONSCIENTIA *mala.*

Os hominis malefici libertate loquendi deſtituitur. *Conſtant. Manaſſ. Annal pag. 91.*

Quæ ſibi euenire quiſque deſiderat iis ſe potiturum opinatur: adeóque cuncti mente concipiunt ea, quæ voluntate appetunt. Sed enim eo nihil eſt ærumnoſius homine, qui hoſtes domeſticos & eiuſdẽ tecti participes habet. Si domi aduerſarios alas, non te periculis eripere muri Babylonis queant, non Semiramidis turres, non pyramidũ craſſities. Si proditor animus magno cum malo tuo tecum viuat, etiamſi cum illo degas in caſtello quopiam inexpugnabili, nihilo tamen minus & munimentum illud occupabitur, & vrbs quantumuis inſtructa defendi non poterit. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 170.*

Pudor & conſcientia, potentiſſima ſunt certiſſimáq; facinoroſorum hominum flagella. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 4.*

CONSCIENTIA *ſecura.*

Contrahitur quidem animus noſter vtilitatis ſpecie: ſed vbi certũ eſt vitium rei adiunctum quæ ſpeciem vtilitatis adfert, continuo arripiendum honeſtum, ſecernenda abiiciendáque eſt vtilitas: atque ita exiſtimandum, conſcientiam mentis noſtræ quam à Deo accepimus, a nobis diuelli nõ debere: habeoque vnam teſtem optimorum nobis conſiliorum viuis, fatóque functis futuram. *Ar. Ferron. lib. 1.*

CONSERVATIO *dominij acquiſiti.*

Magnum equidem opus eſſe arbitror imperium ſibi parare, ſed multò maius id quod ſis adeptus conſeruare. Nam adipiſci ſæpius etiam illi contigit, qui ſolùm audacem ſe præſtat: ſed retinere quod adeptus ſis, id verò non iam ſine temperantia, nec ſine continentia, nec ſine multo ſtudio fit. Quæ quũ intelligamus, multò iam magis virtutem colere debemus, quàm coluerimus antequam hoſtium ſpolia noſtram in poteſtatem venirent: atque etiam ſcire nos oportet, tum plurimos & inuidere, & inſidiari, & hoſtes fieri, quum plurima quis poſſidet: præſertim ſi ab inuitis & opes & obſeruantiam habeat. *Xenoph. de Cyri inſtit. lib. 7.*

CONSERVATIO *difficilis.*

Longè difficilius eſt ei qui inclinare cœperit, ea quæ relinquuntur vel à minimis periculis conſeruare, quàm ei qui dignitatẽ gradúmque ſuum tueri ſatagens, nullo cedendi iudicio dato promptè ſe in eos qui ſe opprimere conantur cõuertit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 8.*

CONSILIA.

Malis ingentibus & ignotis conſilia non quidem ſatis expediunt. *Liuius, Decad. 3. lib. 2.*

In rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt. *Liuius, Decad. 3. lib. 5.*

Ad hæc quæ palam geruntur, cõſilia noſtra accommodare oportet.

Liuius, Decad.5 lib.1.

Omnia regna, ciuitates, nationes vſque eo proſperum imperium habuere, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicúque gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paullo imminutę opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt. *Salluſt. in fragm.*

Turbida ſunt conſilia eorum qui ſibi ſuadent. Obſtat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum quæ cogitaueris amor. *Curtius lib.*

Quæ in conſiliis ineundis per imperitum animorum impetum contemnuntur, ea vbi ad res ipſas verumque peruentum eſt, tunc demum, ſed id ſerò, ſua male perpenſa, mentes mortalium eo magis conſternant, quo minus proſpecta, minúſque in conſiliũ adhibita fuerunt, *P. Æmyl. lib.4.*

Sæpenumero euenire ſolet, vt quum ad rerum nouarum, magnarum, ac difficilium expeditionem ventum eſt, quanquam omnibus iam conſtitutis, hominum tamen mentibus, quæ in contrarium excogitari poſſunt, obuerſentur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.1.*

Subita dubiáque conſilia iis conueniunt quibus aut res difficiles, aut aduerſæ admodum obiiciuntur, aut etiam iis, qui ambitione ſuíque nominis illuſtrandi cupiditate, impulſi, ne ad id tempus forte deeſſet, verentur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.3.*

Diligentia prudentiáque conſilia, negligenter imprudentérque exequuta, inutilia ſunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.4.*

Humana conſilia aduerſus fortunam non ſatis habent virium. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.5.*

Noua & inuſitata conſilia, primo quidem intuitu magis glorioſa generoſaque videri poſſunt: ſed ea procul dubio magis periculoſos & ancipites exitus habẽt, quàm quæ ſemper apud cunctos mortales ratio vſúſque comprobauit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.16.*

Non ita facilè reprehendenda ſunt Imperatorum conſilia, quæ omnibus patere non debent. *Ar. Ferron. lib.3.*

CONSILIA *bellica.*

Nulla cõſilia meliora ſunt quàm illa quæ ignorauerit aduerſarius antequam facias. *Veget. lib.3. cap.26.*

Cùm conſilium tuum cognoueris aduerſariis proditum, diſpoſitionem mutare te cõuenit. *Eod. cap.*

Quid fieri debeat tractato cum multis: quid verò facturus ſis, cum pauciſſimis ac fideliſſimis [illegible] tius ipſe tecum. *Ibid.*

Quo genere depugnaturus ſis, neſciant hoſtes: ne aliquibus remediis reſiſtere moliantur. *Ibid.*

In omnibus humanis rebus, ac bellicis præſertim, conſilia ex neceſſitate capienda ſunt: nec eius rei obtinendæ (quæ vel difficillimè fieri, vel ne fieri quidem poteſt) cupiditate, omnia in extremum aperrúmque crimen adducenda: nec minus eſt boni imperatoris, ſapienter quàm fortiter agere. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.2.*

CONSILIA *bona.*

Conſilia agitantibus rationi conſentanea ſuccedunt illa vt plurimũ: at ſi qui agitẽt conſilia rationi non conſentanea, ne ipſe quidem Deus ad humanas deliberationes vult ſe accommodare. *Herodot. lib 8.*

Scelera impetu, bona conſilia mo

ra valeſcunt. *Tacit. hiſt. lib.* 1.

CONSILIA *Dei.*

Diuinorum conſiliorum arcana vis eſt, humanáque ingenij captum ſuperat. *G. Pachymer. hiſt. li.* 11.

CONSILIA *humana.*

Humana conſilia caſtigantur, vbi ſe cęleſtibus pręferunt. *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 6.

Omnes qui magnarum rerũ conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent an quod inchoatur Reipub. vtile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè nõ arduum ſit. Simul ipſe qui ſuadet conſiderandus eſt, adiiciat ne cõſilio periculum ſuum: &, ſi fortuna cœptis adfuerit, cui ſummũ decus acquiratur. T*acit. hiſt. lib.* 2.

CONSILIA *infelicia.*

Id euenit in conſiliis infelicibus, vt optima videantur, quorum tempus effugit. *Tacit. hiſt. lib.* 1.

CONSILIA *principum.*

Sæpiſſime ſibi, ſemper autẽ populis pernicioſa ſunt malè conſiderata conſilia eorũ qui dominantur, cùm nihil aliud quàm aut vanos errores, aut præſentes cupiditates ob oculos habentes, fortunæ crebras mutationes nõ recordantur, poteſtatémque ſibi ad communem ſalutem conceſſam, in aliorum perniciem conuertentes, ſeipſi, ſiue prudẽtia deſtituti, ſiue nimia ambitione detenti, nouarum perturbationum autores conſtituunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 1.

CONSILIA *publica.*

Minime illos laudo, inquit Diodotus, qui de rebus maximis deliberari ſępius vetát. Exiſtimo enim, has duas res maximè contrarias eſſe conſilio, præcipitationem & iram: quorum alterum eſt ſine çogitatione, alterum habet errãtes impetus & breuem cogitationem. Et qui contendit in deliberationibus non conferendas eſſe ſentẽtias dicendo, aut ſtultus eſt, aut priuatim ſibi cauet. Stult9, ſi alio modo quàm collatione opinionum exiſtimat inueniri poſſe, quid eligendum ſit, cùm futura ſint incerta. Priuatim verò ſibi cauet, ſi cùm turpia perſuadere volet, exiſtimat de re indecóra nõ poſſe honeſtè dici. Calumniando verò contradicturos & ſuffragatores deterrendos eſſe. Plurimum autem valet illa criminatio, obiicere aliis quod pecunia corrupti ſint. Si enim imperitia tantùm obiiceretur, non vincẽs diſcederet vt imperitior tantùm, non vt iniuſtior. Cùm verò iniuſtitia obiicitur, fit ſuſpectus Orator cùm vincit: quãdo nõ vincit, ſimul & imperitus & iniuſtus exiſtimatur. Hic mos Reipublicę nõ prodeſt. Multi enim deterrentur, quo minus ad dandũ conſilium prodeant. Ac ſi tales ſuaſores qui ſibi contradici nolunt, non eſſent inſtructi facultate dicendi, melius cum ciuitate ageretur. Minus enim perſuadere iniuſta poſſet. Oportet autem bonum ciuem nõ deterrere alios, ſed ex pari loco videri meliora ſuadere: nec bene morata ciuitas augere debet potẽtiam eius cuius cõſilia ſæpius prælata ſunt, nec præſenti dignitate eũ ſpoliare: vt nec alios (quorum cõſilia ſæpius reiecta ſunt) ignominia vel ſupplicio afficere. Sic, ille qui vicit ſæpius, non ſpe præmiorũ loquetur ad gratiam aliter quàm ſentit: & qui nõ vicit, non captabit gratiam, dum potentiã appetit. Imprudentes verò Reipublicę moderatores contraria his faciunt. Cùm ſuſpicio eſt, aliquẽ ſpe mercedis dicere,

re,repudiatur eius ſentẽtia,tametſi optima,tãtùm propter incertã ſuſpicionem. Et bona conſilia ſtatim nõ minus ſuſpecta ſunt quàm mala:vnde fit, vt etiã optima ſuaſurus cogatur arte ſibi fidẽ facere,cũ ſit impoſſibile propter ſuſpiciones vt bi bene cõſulere apertè,& ſine ſuſpicione.Nam apertè oſtendens vtilitatem aliquã,venit in ſuſpicionẽ, quaſi clam aliud captet.*Thucyd.li.3.*

In ſumma fortuna pleraque auſpiciis & conſiliis quàm telis & manibus geruntur.*Tacit.Annal.lib.13.*

CONSILIA *turbida.*

Omnia incõſulti impetus cœpta, initiis valida, ſpatio langueſcunt. *Tacit.hiſt.lib* 3.

Hoſtiũ ſubitus & improuiſus in curſus temporíſque exiguitas nihil quieto conſilio geri ſinit. *Io.Iouian. Pontan.hiſt.lib.4.*

CONSILIARII.

Qui intelligit quid ſit vtile,nec tamẽ dicẽdo exponere aliis poteſt,ſimilis eſt non intelligenti.Qui verò hæc inſtrumẽta habet,nec tamẽ eſt amãs patriæ,nõ fideliter ei cõſulit. Qui autem pecunia corrũpi poteſt, omnia habet venalia.*Thucyd.lib.2.*

Ægrotis ij qui rectè valent,adiumento ſunt. Qui verò ipſi ægrotis ſunt animis, quid aliis conſulent boni?*G.Pachymer.hiſt.lib.4.*

CONSILIARII *aulici.*

Plerumque ſolent aulici ad principum voluntatem ſe accõmodare, ad eámq; animũ,&linguã,& omnes actiones referre. His enim obſequiis eorum beneuolẽtiam redimi ſciunt.*Niceph.Gregoras hiſt.lib.6.*

CONSILIARII *inconſulti.*

In omnibus conuentibus nõ deſunt,qui nihil quidem ipſi pronunciant,ſed aliorum iudicia,etſi nihil intelligunt,ſequuntur, eóque ipſo placere ſæpe ſtudent & gratificari ei,quem vident in illuſtri loco eſſe poſitum.*Ph.Cominæus,lib.2.*

Imprudenter ſanè faciunt, qui ſuos principes in metu continere volunt : nec vllum,cui ea res bene ceſſerit,noui.*Ph.Cominæus,lib.4.*

CONSILIARII *principum.*

Suadere principi quod oporteat, multi laboris:aſſentatio erga principem quemcunque,ſine affectu peragitur.*Tacit hiſt.lib.1.*

CONSILIARII *principum modeſti eſſe debent.*

Qui ſunt magno loco apud principes magnopere ſibi cauere debẽt, ne quid atrocius dicant.Nã quò potentior eſt & maioris,qui iniuriam facit,eò grauius dolẽt ij,quibus infertur.Propter authoritatem enim eius, & amplitudinem qui intulit, putant hoc magis ad infamiã ſuam pertinere.*Ph.Cominæus,lib.5.*

CONSILIARII *prudentes.*

Magnarum rerum curã non diſſimulant,qui animum etiam leuiſſimis aduertunt.*Tacit.Annal.lib.13.*

CONSILIARII *prudentes,rari.*

Facilè quidem reperiuntur,qui rẽ aliquam perturbẽt, & diſſidiis materiam ſubminiſtrẽt:qui verò dexteritatem illã habeant,& voluntatẽ etiam conciliandi animos & cõponendi ſimultates, vix paucos inuenire liceat.Nec enim eſt omniũ ea quæ in eiuſmodi actionibus dici conſueuerunt & obiici, patienter ferre.*Ph.Cominæus,li.4.de bello Neap.*

CONSILIARIVS.

Optimus conſiliarius ille eſt,qui non priuatis,inimicitiis impulſus, aut gratia adductus, ſed publica vtilitate cõmotus,ſuam ſententiam dicit.*Dionyſ.Halic.lib.10.*

CONSILIARIVS *improbus.*

Aura populari, non conſilio fertur, famæque magnæ malle quàm bonæ eſſe mauult. *Liuius, Dec.1.l.6.*

CONSILIARIVS *prudens.*

Multum ſępe poſitum eſt in vnius hominis virtute, modò fidem & autoritatem obtineat. *Ph. Cominæus, lib.2.*

Conſultorum nomen ſanctū eſt, vt eum magis fidem quàm prudentiam præſtare coleréque cōueniat. *P. Æmyl. lib.6.*

CONSILIVM.

Rapiunt conſilium repentina & inexpectata & lōgè præter opinionem accidentia. *Thucyd. lib.2.*

Eſt innocentiæ rectæque vitæ apud prudētes cuſtos conſiliorū fœlicitas: prolapſis verò in errorē affert remediū poſt caſtigationē pœnitentia. *Appian. lib. de bellis Pun.*

Multa quæ impedita naturâ ſunt, conſilio expediuntur. *Liuius, Deca. 3. lib.5.*

Nihil leuius aut turpius, quàm, auctore hoſte, deſūmis reb⁹ capere conſilium. *Cæſar, lib.5. de bello Gall.*

M. Antonij Philoſophi ſententia præcipua hæc ſemper fuit, Æquius eſt vt ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem ſequantur. *Iul. Capit. in M. Ant. Pio.*

Negotiis difficillimis ſępe diſpoſitio tēpeſtiua proſpexit, & ſtatum mutātium rerum recto conſilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt. *Amm. Marcel. lib.16.*

Negotium conſilio præuenire oportet decidentem verò poſt factum pœnitere, ſtultiſſimum. *Procop. de bello Vandilico, lib.1.*

Tolerantia, firmitudinéque animi & conſilio omnia edomantur, *P. Æmyl. lib.4.*

Nihil profectò magis neceſſarium in rebus arduis, nihil rurſum periculoſius, quàm ex alterius pendere conſilio: nec cuiquam eſt dubium, alieno conſilio minus egere prudentes quàm imprudentes: & tamen, fructum maiorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt: quis enim tanta præditus eſt ſapientia, qui per ſe omnia perſpiciat & cognoſcat, atque in contrariis ſententiis, quæ ſit potior, diiudicare valeat? Verùm, quis alium conſulēs certò ſcit, ſe fidele conſilium auditurum? Nam qui dat conſilium, ni valde ſit fidelis, aut bene erga eum qui petat affectus, nō modò inſigni vtilitate impulſus, verùm exiguo quouis propoſito cōmodo, quauis leui cupiditate, ſæpe conſilium in eum dirigit finem, qui maximè ſibi accommodatus eſſe videatur: cúmque hi fines non rarò ab eo qui cōſiliū capit ignorentur, conſilij infidelitatem, niſi prudens ſit non animaduertit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.1.*

Bene conſultum ſurripitur ſæpiſſimè. Quippe ſi reſciuere inimici conſilium tuū, tibi tuopte conſilio occludunt linguam, & conſtringūt manus: atque eadem quæ illis voluiſti facere, faciunt tibi. *Ar. Ferron. lib.1.*

CONSILIVM *Dei.*

Dei conſilium euertere velle, quantę eſt audaciæ? quantæ eſt contumaciæ? quanto cum periculo coniunctum? *G. Pachymer. hiſtor. libr.4.*

Conſilium Dei cogitationes captúmque hominum ſuperat. *P. Cominæus lib.2. de bello Neapol.*

Diuinis conſiliis obſiſti non poteſt.

ceſt. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro quarto.*

CONSILIVM *prauum.*

Vincit in auido ingenio prauũ conſilium. *Salluſt.de bel.Iugurt.*

CONSILIVM *rectum.*

Quod olim ab Euripide ſapientiſſimè dictum fertur. Vnicum rectum conſilium magnam militum manum vincere, in pugna Carthaginienſium aduerſ. Romanos & M. Attilium fidem accepit. Siquidem vnus Xantippus Lacedæmonius, atque vna eiuſdem ſententia multitudinem quæ antea inuicta ſemper atque inſuperabilis fuerat, vicit ſuperauitque: ac profligatam vrbem & collapſos tot virorum animos inſtaurauit atque erexit. *Polyb. lib.1.*

CONSOLATIO.

Difficillimum in communi luctu eſt, vt vnus alios conſoletur. *Liuius, Decad.3.l.5.*

CONSPIRATIONES.

Facilior eſt inter malos conſenſus ad bellum, quàm in pace ad cõcordiam. *Tacit.hiſt.l.1.*

CONSPIRATIONES *vulgi.*

Ab nullo genere non ſummum periculum eſt, ſi cœtus, & conſilia, & ſecretas cõſultationes eſſe ſinas. *Liu.Decad.4.l.4.*

CONSTANTIA.

Præſtantiſſima virtus eſt priuatim & publicè in rebus aduerſis, nec dolori ſuccumbere animo, & factis ipſis fortiter cõtra niti. *Thucyd.l.2.*

Non conuenit, cùm non ſis prorſus conſilio ſuperatus, & habeas excuſationem prorſus frangi animo propter euentum: ſed cogitandum eſt, aduerſa poſſe fortuito caſu etiam bene paratis accidere. Interea tamen rectè deliberata viro forti non abiicienda ſunt. *Idem, eod. libr.*

Animo deficere in periculis non oportet, neque id pati quod accidit bellorum imperitiſſimis, qui primis prœliis fruſtrati, poſtea metu ſimilium calamitatum ſpem omnem abiiciunt. *Thucydid. libro ſeptimo.*

Sæpe minus eſt conſtantiæ in rubore, quàm in culpa. *Curtius libro nono.*

Poſt Cannenſem cladem nuncius Romam ex Gallia peruenit L. Poſthumium prætorem, qui exercitui præerat, in inſidias lapſum, vna cum exercitu interiiſſe. Senatus tamen tot vndique circumuentus malis, dignitatem ſuam ſeruare, hortari populum, munire præſidiis vrbem, de rebus præſentibus magno ac forti animo conſultare cœpit. Quod paulò poſt ſuccedit feliciter. Nam qui modò victi à Carthaginienſibus fuerant, & rerum bellicarum gloria ceſſiſſe illis videbantur, non multo interiecto tempore, virtute ac conſtantia Reipublicæ, & conſilio ſapientiaque Senatus, in id euaſere, vt victis proſtratiſque Carthaginienſibus, non modo Italiæ ſed totius orbis imperio potirentur. *Polybius libro tertio.*

Iudicia, vbi non à ratione & philoſophia robur ad agendum accipiunt concutiũtur, ac facile quauis vel laude vel vituperatione in præceps aguntur, ſuis conſiliis & rationibus excuſſa. Oportet enim non ſolum ipſam actionem iuſtam honeſtámque, ſed etiam conſilium quo inducti eam ſuſcipimus, conſtans eſſe ac immobile, agendũm-

que eſt cum delectu: ne quemadmodum helluones ſummo appetitu cum appetant cibos gulæ ſatiandæ idoneos, iis repleti ſtatim ſatietate moleſtantur: ita nos quoque re confecta animo langueamus, emarceſcente propter imbecillitatem animi honeſtatis concepta ſpecie. Nam pœnitētia id quoque, quod eſt præclarè factum, turpe efficit: at propoſitum quod à certa ſcientia & conſilio proficiſcitur, nunquam mutatur. ne ſi ſucceſſu quidem careat. Vnde Phociō Athenieſis, cùm inſtituto Leoſthenis aduerſatus eſſet, atque hic rem feliciter egiſſe videretur, cernens propter eam victoriam Athenienſes exultare, & ſacra facere. Nollem profectò, inquit, eum nō vſum fuiſſe illo ſucceſſu: ſed meum tamen conſilium ſecutum vellem. Maioris eſt roboris & conſtantiæ Ariſtidis Locrenſis factum, qui vnus de Platonis amicis fuit. Hic Dionyſio ſeniori filiam ipſius in matrimonium petenti, reſpondit, Mortuam ſe, quàm tyranni vxorē videre filiam ſuam malle: paulò pòſt Dionyſius liberos eius necauit, interrogauítque per contumeliam, An adhuc in ſententia de elocandis filiabus perſtaret? reſpondit, factum quidem ſibi dolere, dicti non pœnitere. Verùm hoc à maiori eſt & perfectiore profectum virtute. *Plutar. in Timoleonte.*

Ferunt CorneliamGracchorum matrem maximam ſui admiratio nem viris eruditis & dignitate pollentibus mouiſſe, quod abſque lacrymis & luctu filiorum ſuorum (in ſeditione & tumultu à ciuibus ſuis interfectorum actiones caſúſque) veluti priſcorum hominum referens. Itaque & nonnulli eam propter ſenium vel magnitudinē calamitatum à mente deſertam, ſenſúque malorum priuatam putauerunt. ſtupidi profectò ipſi; qui non ſentirent quantum bona indoles, rectaque educatio hominibus ad vacuitatem dolorum conferat momenti: & quòd in retinendis quidem bonis ſæpenumero fortuna virtutem ſuperat, amiſſis verò iis prudenter caſus noſtros moderatéque ferendi facultatem ei non adimit. *Plutar. in C. Graccho.*

Conſentaneum eſt, neque ita ad ſubditas nos calamitates animo corruere, vt omnem ſpem proiiciamus: neque lætis impræſentiarum rebus vſque adeo efferri, vt prouidentiam etiam perdamus: ſed ſpem futuri in medio vtriuſque fortunæ collocatam habere, & tutò in vtranque partem conſilium capere. *Dion, l. 47.*

Non omnes belli duces tam firmi & conſtantis animi contra aduerſum rumorem eſſe poſſunt, quàm Fabius fuit, qui ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecunda fama rem malè gerere. *Liuius, Decad. 5. libro quarto.*

Natura comparatum eſt, vt quiſquis ſe aliquid ordine ac rectè cōplexum mēte confidit, vel iam geſtum, ſi obtrectetur, acriter tueatur: vel nondum editum, ſi interpelletur, ſine vlla cunctatione ad effectum perducat. *Valer. Maxim. libr. 3. cap. 8.*

Quæcunque infauſta fortuna tulit, generoſe feres, omnia reputando quæ homini poſſunt neceſſaria contingere. Si autem illa, mala hæc aliquo modo tibi compenſare pa-

rata

rata eſt,id ſuſcipere omnino dedignaberis?an non ſimiliter à fortuna mala nobis atq; fortuna compu tanda. *Procop.de bel.Vandilico,lib.2.*

Rebus proſperè ſuccedentibus, maioris dementiæ fuerit præcognita velle iterato perdiſcere; rebus verò aduerſa fortuna delatis, inutile duxerim non protinus ſe caſibus coaptare. Eſt námque firmitas omnis in his iudicanda quæ ratione nitantur. præſentibus verò inſiſtere haudquaquam ſemper eſt laudabile,niſi accedat cum rebus ipſis & ſapientia,Quum autem illud contigerit,ea vt nos contemnamus, quæ opus eſt meminiſſe, & minus decentibus inhærendum ducamus, qui ad priora acceſſerit & ſemel contempta, magis eſt incuſandus,quàm qui ſe ad alia tranſferat. *Agath.hiſt.l.3.*

CONSVETVDO.

Nulla peior eſt conſuetudo aut ipſis Rebuſp. aut familiis,quàm ſi vnuſquiſque ſemper pro ſua libidine viuat,& ſi omnia à potentiorib. concedantur inferioribus, ſiue id ſponte,ſiue coacti faciant. *Dionyſ. Halic.l.5.*

Conſuetudo naturâ potentior. *Curt. l.5.*

Conſuetudinem legiſlatores inſtar legis ſe habere pronunciant. *Zonar.in Baſil.Porph.tom.3.*

Conſuetudo temporè confirmata, plus oratione & religione valet. *Nicet.Ioann.Comment.*

In controuerſiis de prouinciarum nominibus & terminis, ſemper præſens conſuetudo ſpectatur. *Fr.Guicciardin.hiſt.l.5.*

CONSVETVDINIS *& veritatis diſcrimen.*

Ferunt Abrahamum Patriarchã dixiſſe, Magnum eſſe diſcrimen inter veritatem & cõſuetudinem. Veritas ſiquidem,etiam cùm probè inueſtigatur, ægrè inuenitur. Conſuetudo,qualiſcunque ea, ſiue verax,ſiue ſit fallax,vltro ſine examine ſeſe offert. Tum neque ex conſuetudine à maioribus ſibi tradita,ſi recta ſit,lætitiam, neque ſi fallax ſit,moleſtiam homo percipit.non enim proprio animi ſui iudicio, ſed præiudicio & maiorum ſententiæ credit: quo fit,vt cũ ſpẽ ſuam in incertis euentibus repoſuerit,non facilè paternum exuere poſſit amictum: quãquam id quod à maioribus accepit,ei planè ſtolidum & ridiculum eſſe liquido demonſtretur. *Cedrenus,hiſt.compend. pag.25.*

CONSVLTATIO.

Si velis in rei conſultatione omnia perinde conſiderare,nũquã aliquid efficies, *inquit Xerxes.* Satius enim omnia alacriter aggredientem dimidium ærumnarum pati quàm omni in re præſumpto metu nihil omnino pati. Quòd ſi repugnando omnibus quæ dicuntur, non oſtendas quid firmum ſit, perinde peccas atque is qui contraria iſtis dicat. Scire verò aliquem qua ratione quid firmum eſſe oporteat, nequaquam arbitror. At iis qui facere quid volunt, conſueuit plerunq; ſuccedere emolumẽtum: rarò autem iis qui penſant omnia, & quos agere piget. *Herodotus libro 7.*

Bene conſultare,comperio maximum eſſe lucrum. nam etiam ſi quid è contrario euenturum eſt,nihilo tamẽ minus bene conſultum eſt,ſuperauítque fortuna conſiliũ: at qui turpiter conſultauit, ſi ei

fortuna obſecundauit, ille eſt quidem voti compos, nihilo tamẽ minus malè conſilium cœpit. *Idem, eodem lib.*

Optimè de rebus futuris conſultans qui rerum futurarum exẽpla ex præteritis ſumunt. *Dionyſ. Halic. lib.* 10.

Semper præcedere conſueuit conſultatio, obſcuraque & ambigua opportunè caſtigat: vbi verò mox conſultando, quid ſit agẽdum apertè dignoſcitur, tunc demum eſt neceſſe vt adſit, & cõſequi velle, & peroptare, quæ placita ſunt. *Agath. hiſt. l.* 3.

CONSVLTATIONES.

Non præſentia ſolùm verumetiam futura proſpicere rectè conſulentem conuenit. *Polybius libro primo.*

Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facilè animus verum peruidet, vbi illa officiunt, neque quiſquam omnium libidini ſimul & vſui paruit. vbi intenderis ingenium, valet: ſi libido poſſidet, ea dominatur: animus nihil valet. *Salluſt. de coniur. Catil.*

CONSVLTATIONES *bellicæ.*

Vnius Dei momento non ſtatuendum eſt de tot hominibus, vrbibus, facultatibus, & de Reipublicæ gloria, ſed animis ſedatis deliberandum eſt. *Thucyd. l.* 1.

CONTENTIO.

Contentio eſt perniciosiſſima omnium humanarum ægritudinũ. *Dionyſ. Halic. l.* 6.

Intempeſtiua eſt miſeris contẽtio. *Appian. l. de bel. Pun.*

CONTENTIONES *pueriles.*

Mihi planè ſordidum rhetorculorúmque proprium videtur de dictione aliis obtrectare aut contendere: ſtupidi autem hominis, velle cum iis certare, quos imitando aſſequi non poſſis. *Plutarchus in Nicia.*

CONTENTIONES *in Rep. an vtiles.*

Quum viderẽt Ephori Ageſilaũ Spartanorum in ſe ſtudia conuertere, potentiámque eius metuerẽt, mulctam irrogauerunt, cauſati publicos eum ciues priuatim ſuos efficere. Quemadmodum enim Phyſici exiſtimant lite & contentione ex rerum natura ſublatis, fore vt cæleſtium corporum motibus ceſſantibus, rerum omnium mutationes ortúſque, quòd ea ab illis pẽdent, nullos futuros: ita Lacedæmonius legumlator videtur in Rẽpublicam quaſi fomitem virtutis immiſiſſe ſtudium contendendi, vti ſempér aliquid inter bonos certaminis diſſidiique eſſet: eam verò gratiam, qua ciues non exploratis prius per mutuas contentiones animis vltro alter alteri concedũt, vt ocioſam & deſidem, concordiæ nomen non mereri ſtatuit. Atque hoc nimirum etiam ab Homero animaduerſum fuiſſe putant aliqui: neque enim finxiſſet Agamemnonem rixa Vlyſſis & Achillis gaudentem, niſi is præſtantiſſimorum heroum æmulationem & diſceptationem magno Reipublicæ bono eſſe duxiſſet. Verùm hæc haud ita ſimpliciter puto quiſpiam conceſſerit: quippe nimiæ contentiones ciuitatum in grauia diſcrimina adducunt. *Plutarchus in Ageſilao.*

CON-

CONTINENTIA.

Continentia Scythis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi & vſus. Atque vtinam reliquis mortalibus ſimilis moderatio & abſtinentia alieni foret: profectò non tantum bellorum per omnia ſecula terris omnibus continuaretur: neque plus hominum ferrum & arma, quàm naturalis fatorum conditio raperet. Prorſus vt admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientium doctrina præceptiſque philoſophorũ conſequi nequeunt, cultóſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari. Tanto plus in illis proficit vitiorũ ignoratio, quàm in his cognitio virtutis. *Iuſtin. l. 2.*

Continentia & moderatio in altiſſima quaque fortuna eminentia bona. *Curt. l. 6.*

Non intemperanter concupiſcere, quod à plurimis videas, continentis debet duci. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

Continentiam facilem aut difficilè corporis doſ habitúſque præſtare videri poteſt. *P. Æmyl. lib. octauo.*

CONTRADICTIO.

In anguſtiis rebus ſolet fieri, vt qui primùm contradicunt, procedente tempore conſiderata re melius, timeant potentiores offendere. *Applan. l. de bel. Pun.*

CONTROVERSIA.

Nulla eſſe breuior controuerſia poteſt quàm inter indulgentiſſimũ regem obſequentiſſimos milites. *P. Æmyl. l. 3.*

CONTVMACIA.

Contumacia, ſolitudinis contubernalis, ei qui ad Rempublicam & verſandum inter homines animum adiecit, magnopere fugiẽda eſt, amplectendaque ea, quæ à nonnullis admodum ſolet derideri, patientia iniuriarũ animique remiſſio. *Plutar. in Coriolano.*

Contumacia vitium eſt per ſe vulgo moleſtum, at ſi cum ambitione coniungatur, planè efferum fit & immedicabile. Contumaces enim homines non demerentur multitudinem, quippe qui honorẽ quaſi contempſiſſe videri velint: deinde repulſam paſſi ſtomachantur. *Idem, in comparat. Alcibiad. & Coriolani.*

Contumacia ſolitudinis eſt vicina. *G. Pachy. ver. hiſt. l. 4.*

CONTVMELIÆ.

Contumeliæ homini illatæ ſolent irritare indignationem. *Herodot. libr. 7.*

CONTVMELIA in populum.

Qui fauori populari aliquid dat, studiiſque multitudinis gratificatur, minus eſt culpandus, qui ne talis videatur, omninó cõtumelioſus in populum apparet. Nam vt turpe eſt potentiæ paſandæ cauſâ populum adulari: ita eo quod terrori ſis tuis, velle multum poſſe, et ueſque vexare & premere, præterquam quod turpe etiam iniuſtum eſt. *Plutarch. in compar. Alcibiadis & Coriolani.*

CONVENTIONES.

Conuentiones quæ inter imperandi cupidos & ſuæ libertatis cõſeruandæ ſtudioſos contra voluntatem fiunt, tandiu durant quandiu neceſſitatis vinculo retinentur. *Dionyſ. Hal. l. 6.*

CONVERSATIO periculoſiſſima.

Ariſtoteles Calliſthenem ſecta;

torem & propinquum ſuum ad regem Alexandrum mittens, ei ſæpe mandabat: vt quam rariſſimè, & iucundè apud hominem loqueretur vitæ poteſtatem & necis in acie linguæ portantem. *Ammon. Marcel.l.18.*

CONVICIA.

Prohibuit Solon viuis obtrectare in templis, iudiciis, & curia, & cùm ſpectacula ederentur: qui contrà feciſſet, tres ei cui conuicium dixiſſet drachmas, duas ærario ſoluere cogebatur. prauè enim educatorum & incontinentium hominum eſt, nuſquam poſſe iræ moderari: vbique autem eam reprimere pauci poſſunt, quidam omnino nequeunt. At qui legem ſancit, id quod fieri poteſt reſpicere debet, ſi quidem paucos vtiliter, non multos abſque emolumento punire velit. *Plutar. in Solone.*

Miſeros conuicia non decent. *Iuſtin. hiſt. l.14.*

Icetā Siciliæ tyrannum, & filiū eius Eupolemum, equitatuique præfectum Euthymum viuos captos & à militibus vinctos recipit Timoleon. Icetes cum filio, vt tyranni ac proditores, morte ſtatim affecti ſunt. Euthymus quoque, vir bello ſtrenuus, & audacia præſtans, veniam non eſt conſecutus, quòd conuicium Corinthiis ab eo factū deferebatur. Corinthiis in Siciliam mouentibus pro concione ad Leōtinos dixiſſe eum rumor erat, nihil formidabile neque terribile eueniſſe, ſi Corinthiæ mulieres exiſſent domo. Adeo plerique maledictis quàm malefactis grauius lædūtur, difficiliúſque contumeliā perferunt, quàm damnum: quòd facto ſe defendere hoſtibus propter neceſſitatem conceſſum videtur, in conuiciis nimium quiddam ineſſe odij vel malitiæ creditur. *Plutar. in Timoleonte.*

Non in omnes iactantia vti oportet, neque proximos probris nullo modo ad rem pertinentibus ſemper inceſſere. *Procop. de bell. Perſ. libro 1.*

CONVIVIVM.

Septem conuiuium: nouem, cōuitium, *Iul. Capitol. in Vero.*

COPIA.

Quis aut in victoria, aut in fuga, copias memorat? *Curtius libro tertio.*

CORONA.

Patriæ conſeruatio & incolumitas, corona pulcherrima, *Dionyſ. Halic. l.6.*

CORPORA *mollia.*

Si primum impetum, quem feruido ingenio & cæca ira effundūt, ſuſtinueris, fluunt ſudore & laſſitudine membra, labant arma: mollia corpora, molles (vbi ira cōſedit) animos, ſol, puluis, ſitis, vt ferrum non admoueas, proſternunt. *Liuius, Decad. 4. l.8.*

CORPVS.

Ægrum corpus quaſſari etiam ſolet leuibus offenſis. *Am. Marcel. hiſt. l.14.*

CORRVPTIO *iudiciorum.*

Quum nihil tam incorruptum in Republ. eſſe debeat, quàm ſuffragium, quàm ſententia, nō intelligo cur qui pecunia corruperit, pœna dignus ſit: qui eloquētia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus ea mali facere videtur, qui oratione quàm qui precio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. *Am. Marcel. l.30.*

CRE-

CREDVLITAS.

Vt quis difficilius diſcat,in cauſa eſt incredulitas. Nimirum enim diſcere,eſt affectio quędam:afficiũtur autem celerius, qui credunt quod eis euenit, & qui minus reſiſtere poſſunt. Itaque iuueni quàm ſeni,& ſano quàm ægroto facilius aliquid perſuaſeris: atque omnino facilime aſſentiuntur,quibus dubitandi facultas minima eſt. *Plutarc. in Catone Vticenſi.*

Ferre libenter homines,id quod volunt,credunt. *Cæſar,libr.3.de bell. Gall.*

CRIMEN.

Siniſtros de principe ſermones habuiſſe,ineuitabile crimen: *præſertim* quum ex moribus principis fœdiſſima quæque deligit accuſator,obiectátque reo: nam quia vera ſunt,etiam dicta creduntur. *Tacit. Annal.l.1.*

Nunquam ſimilitudine aut impunitate alterius criminis diluitur id quod contra ac liceat arguitur factum. *Am.Marcel.l.30.*

CRIMINATIONES.

Cæcus criminandi cupiditate animus,dum omnia ſuſpecta efficere vult,aliud alio confundit. *Liu. Decad.4.l.10.*

CRIMINATIONES *falſæ.*

Vſitatum eſt audire cum voluptate eos qui ſuſpiciones ferunt, & tamen anteferre vtilitatem falſæ criminationi. *Thucyd.l.6.*

CRIMINATIONVM *effectus.*

Ex ſuſpicionibus & criminationibus plerunque effici ſolet, vt dũ homines ne quid patiantur grauius metuunt, longè atrociſſimas iniurias iis plerunque facere occupent, qui nihil ipſi vnquam tale quicquam commiſſuri fuerant. *Xenoph. libro ſecundo,de exped. Cyri min.*

CRVDELIS.

Nemo qui ſit crudelis, vir fortis & animoſus eſſe poteſt; vt in Nerone & id genus aliis tyrannis videre licet. *Ph.Comin.libr.2. de bel. Neapol.*

CRVDELITAS.

Ne luxuriæ quidquam crudelitas,nec credulitati luxuria obſtat. *Curt. lib.9.*

Crudelitatis horridus eſt habitus, truculenta facies, violenti ſpiritus, vox terribilis, ora minis & cruentis imperiis referta: cui ſilentium donare, incrementum eſt adiicere. Etenim quem modum ſibi ipſa ſtatuet,ſi ne ſuggillationis quidem frenis fuerit reuocata? ad ſummam, cùm penes illam ſit timeri,penes nos ſit odiſſe. *Vale.Maxim.l.9.c.2.*

Miſerum eſt inſtrumentum ſenectuti recordatio crudelitatis. *Am.Marcel.l. 29.*

CRVDELITAS *principem dedecet.*

Nunquam gladius cuiquam ſui amorem perſuadere aut extorquere potuit: ſed eum qui punitur perdit, cæterorum animos ab eo qui pœnas ſumit alienat.Neque enim ob aliorum ſupplicia amare incipiunt, ſed oderunt magis ob metum ſibi quoque impendẽtem. *Zonar. Annal. tomo ſecundo, in Auguſt.*

CVLTVS.

Cultus ſi tibi magna cura, magna virtutis incuria. *Amm.Marcel. lib.16.*

CVNCTATIO.

Omnis res properando paris errores, vnde magna detrimenta fieri adſolent, in cunctando autem bona inſunt, ſi non talia quę ſtatim videantur eſſe bona, certè quæ ſuo tempore bona quis eſſe comperiat. *Herodot.l.7.*

Impoſſibile eſt rem reducere in priſtinum ſtatum, poſtquam perdideris, nec volueris venire in ſocietatem periculorum. *Thucydid. libro 6.*

Expectare dum hoſtium copiæ augeantur, equitatúſque reuertatur, ſummæ dementiæ Cæſar eſſe iudicabat. *Cæſar, libro 4. de bell. Gallic.*

Omnia non properanti clara certáque erunt. *Liuius, Decad. 3. libro ſecundo.*

Barbaris cunctatio ſeruilis: ſtatim exſequi regium videtur. *Tacit. Ann.l. 6.*

Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum. *Tacitus, hiſtor. libr. 1.*

Inſulſa audacia in exitium ducit: prudens verò cunctatio ſeruare ſatis eſt apta. *Procop. de bel. Perſ. libr. 2.*

Rerum geſtarum maximæ, non temporis celeritate, ſed bonis conſiliis dirigi rectius ſolent: plerunque enim ſera dilatio, cùm ſe demum opportunè obtulerit, vtilitatis plurimum adfert: ſtudium verò & nimia properatio, vbi nec decenti nec ſuo tempore proferuntur, multis rei conficiendæ ſpem intercidit. facilius quippe imparata aliqua multitudo viribus oppugnata hoſtilibus vincitur, quàm qui cum minoribus copiis, ſed alioquin quàm bene inſtructis, in certamen ſe conferunt. *Procop. de bel. Goth. l. 1.*

Quibus ſalutis ſpem fortè allatura eſt mora, vecordiæ procuddubio arguentur, ſi anticipando periclitandóque rerum ſummam in diſcrimen deduxerint: hi verò quibus cunctando & prolatando diffi cilius certamen efficitur, ſi pluſculum id ad breue extraxerint, huius nimirum moræ potius ſint incuſandi, quàm acceleratæ ac ſubitę petulantiæ. *Procop. de bel. Goth. libr. 2.*

CVPIDITAS.

Cupiditas ſine ratione, res eſt leuis, & quæ confeſtim in alteram partem inclinat. *Dionyſ. Halicarn. libr. 2.*

Homines plus incertæ cupiditati quàm certæ prouidentiæ tribuere ſolent: & ad id quod placet, & quod appetunt, inconſiderata ſpe animis inclinare, quod verò diſplicet prætextu aliquo ſpecioſo quæſito repudiare. *Thucydid. libro quarto.*

Quanto minus rerum, tanta minus eſt cupiditatis. *Liuius, Decad. 1. libr. 1.*

Cupiditas & amor, maximæ, ad muliebre ingenium, efficaces preces ſunt. *Idem, eod. l.*

CVPIDITAS *dominandi.*

Quintius, prudens Romanus, videns Achæos de noua quadam dominatione, inutili & noxia multum eſſe ſolicitos, à praua cupiditate eos auertere his verbis conatus eſt. Si vtilem poſſeſſionem inſulæ cenſerem Achæis eſſe, author eſſem Senatui populóque

lóque Romano, vt eam vos habere ſinerent. Cæterùm ſicut teſtudinem, vbi collecta in ſuum tegimen eſt, tutam ad omnes ictus eſſe video, vbi exerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atque infirmum habere: haud diſſimiliter vos Achæi clauſos vndique mari, quæ intra Peloponneſi ſunt terminos, ea & iungere vobis, & iuncta tueri facilè: ſimul auiditate plura amplectendi hinc excedatis, nuda vobis omnia, quæ extra ſint, & expoſita ad omnes ictus erunt. *Liuius, Decad. 4, libr. 6.*

Cupit regnum, & quidem ſceleraté cupit qui tranſcendere feſtinat ordinem ætatis, naturæ moris nationis, iuris gentium. *Liu. Decad. 4. l. 10.*

Pauci ex Optimatibus Romanis, quidámque Græci ſpectatores pugnæ inter Cæſarem & Pompeium, cùm iam conflicturæ eſſent acies, reputauerunt quem in locum cupiditas pertinaciáque imperium Romanum deduxiſſent. Erant & arma cognata, & ordines germani, & communia ſigna, vniúſque vrbis virtus & potentia in ſeipſam conuertebatur, oſtendens quàm cæca & inſana ſit humana natura, cùm affectibus fertur. Poterat enim vterque ducum quietus iam imperare, & terra marí que partis virtute ſua ditionibus totum prope mundum complectentibus frui. Sin cupiditati trophæorum, & triumphorum ſiti indulgendum putaſſent, licebat eam Parthicis aut Germanicis bellis reſtinguere. Reſtabant etiam Scythæ & Indi, quas barbaras gentes velle cicurare haud erat inglorius cupiditatis præfectus. Quis enim Scytharum equitatus, quæ Parthorum ſagittæ aut Indorum diuitiæ ſeptuaginta armatis Romanorum millibus reſtitiſſent, idque Pompeio & Cæſare ducibus? quorum nomina prius quàm Romanorum audierant, adeo inaceeſſas ij multas feráſque gentes vincendo peragrauerant? Ij tum ad depugnandum inter ſe coibant, ne gloriam quidem ſuam, propter quam in id malorum patriam coniecerant, miſerati: cùm eum ad vſque diem vterque inuicti cognomen tenuiſſet. *Plutarc. in Pompeio.*

Cupiditas hominum mentes oculóſque obtundit. *F. Guicciardin. hiſt. l. 7.*

Si optatis potitus quis fuerit, cupiditates propterea non minuuntur, ſed potius indies magis ac magis augentur. *Idem, libr. vndecimo.*

CVPIDITATES.

Nequeunt expleri hominum amentium cupiditates etiamſi quæcunque petierint conſequantur: ſed continuò alia maiora appetunt, & in infinitum progrediuntur, quòd præcipuè multitudini accidit. Quæ enim vnuſquiſque ſolus aut pudore proprio, aut ab alio impeditus facere veretur, ea ſi more publico recipiantur ab eo in ſua voluntate aliorum exemplo & conſuetudine confirmato facilius & audacius patrantur. Quum igitur cupiditates ſtulti vulgi ſint inexplebiles & infinitæ, earum principiis obſtādum eſt, quādiu ſunt adhuc infirmę, non autem

quando iam ita ſunt corroboratæ & auctæ, vt euelli nequeant. omnes enim iniquiore animo ferunt ſi rebus ſibi conceſſis priuētur, quam ſi rebus ſperatis fruſtrentur. *Dionyſ. Halic. lib.* 5.

CVPIDITATIS.

Potiri malis cupiditatibus non eximit eas ex animo, ſed auget eas, & peiores reddit, *Dionyſ. Halic. lib.* 10.

CVPIDITATES.

Exſtimulant ſæpe viros, multò verò ſæpius fœminas acriores cupiditatum aculei. *Pauſan. lib.* 8.

Omnium rerum immodica cupido inter mortales eſt, agri, pecuniæ, honorum. *Liuius, Decad.* 1. *lib.* 6.

Sicut morbos neceſſe eſt ante cognitos eſſe, quàm remedia eorum: ſic cupiditates prius natę ſūt, quàm legeş quæ iis modum facerent. *Liuius, Decad.* 4. *lib.* 4.

Cupiditatum non magis vnum genus ac ratio eſt, quàm formarum, quæ, quum ex æquo homines ſimus omnes, maximam varietatem habent. Alij aliis rebus afficimur, neque omnes ex æquo iiſdem delectamur. Alioqui nec à Deo nos, nec alij ab aliis accuſaremur: quippe qui iiſdem voluptatibus neceſſariò caperemur, eadémque conſilia iniremus. *Nicet. Ioann. Comment.*

Id rectè perhibetur, Deum ipſum cupiditatibus nimis infeſtum eſſe. *Conſtant. Manaſſ. Annal pag.* 109.

Hominum conſilia cupiditatéſque gradatim aſcendunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 1.

In animis, qui immoderatis cupiditatibus, occæcantur, prudentia à temeritate oppreſſa locum nullum habet. *Fr. Guicciardin. hiſtor. lib.* 4. 7.

In efferato animo nulla quātumuis vaſta atque immenſa cupiditas incredibilis eſt. *Idem lib.* 11.

CVRA.

Cura ſcribentis animum, etſi nō flectere à vero, ſolicitum tamen efficere poteſt. *Liuius, Decad.* 1. *libr.* 1.

Magnæ curæ magna merces eſt. *Salluſt. in fragm.*

CVRAE.

Anxium de inſtantibus curis agitant etiam per ſomnum ſpecies imminētium rerū: ſiue illas ægritudo, ſiue diuinatio præſagientis animi accerſit, *Curtius, lib.*

CVRIOSI.

Nouitates rerum actu auditúque prurientibus, ipſa etiam vita faſtidio eſt. *P. Oroſius, hiſt. lib.* 3. *cap.* 2.

CVRIOSITAS.

Quum in domum alienam veneris (*dictum Omuli*) & mutus & ſurdus eſto. *Iul. Capitol. in Ant. Pio.*

CVRIOSITAS *vitanda.*

Quæ ſua ſunt quiſque inſpicerę debet. *Herodot. lib.* 1.

CVRIOSITATIS *limites.*

Omnia quidem inquiri decere, nunquam infieias iuērim. Quouis autem tempore, & in cuiuſuis gratiam id facere, valde equidem recuſarim. Neque enim quoduis tempus opportunitatem habet, neque quemlibet quiduis velle decet. Eſt enim tempus minimè tēpeſtiuum, & ſæpe volūtas importunitate plena. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib.* 9.

CVSTODIA *principis.*

Nulla alia melior vel tutior principi poteſt eſſe cuſtodia, quàm vera & conſtans ſubditorum beneuolentia: cùm enim adſueuerint pleri-

pleríque & potentes non principem, ſed principi ſuo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præſentítque ea quæ aguntur. *Plutarch. in Arato.*

D

DECEPTIO.

A nullo homines facilius decipiuntur, quàm ab eo qui decipere nunquam ſolitus fuit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 6.*

DECRETVM *Dei.*

Ea quæ Deo ſunt decreta, nullatenus prohiberi poſſunt. *Procop. de bello Vandal. lib. 1.*

Diuinùm decretum euerti non poteſt. *Zonar. in Nicephor. Botan. tom. 3.*

Id quod futurum eſt, ſemel diuinitus decretum, nec murus (vt aiunt) ferreus, nec ignis impedire poterit. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 105.*

Quod futurum eſt, quamuis re potius & valentius eſſe, ac mortalium ratiocinationes & corda vincere videtur. *Idem pag. 167.*

Quum Deus aliquid decreuit, fruſtra ſumitur omnis labor. *Ph. Comineus, lib. 2.*

Ad hunc titulum refert FATVM. & quæcunque de fato collecta ſunt.

DECVS.

Decoris auida ſunt magna ingenia. *Arn. Ferron. lib. 8.*

DEDITIO.

Fœda atque ignominioſa deditio eſt. *Liuius, Decad. 1. lib. 9.*

DEFECTIONIS *dehortatio.*

Quum Piſani defectionem à Florentiorum obedientia quam moliebantur cum Oſtienſi Cardinale cõmunicaſſent, ferunt eum (qui ad illum diem nunquam fortaſſe pacati conſilij autor extitiſſet) graui oratione eos diligentius non modò ſpeciem primordiáque rerum, ſed exitus expenderent, hortatum fuiſſe: Libertatem rem eſſe deſiderabilem ac precioſam: talémque, quæ digna ſit, vt nullum periculum defugiamus, ſi qua ſpes affulgeat minimè friuola, nos eam poſſe aliqua ſaltem ex parte tueri: ſed Piſanam vrbem viris opibúſque ſpoliatam vires non habere, quas Florentinorum potẽtiæ poſſit opponere: ſpem quoque illam eſſe fallacem, quas ſe Galliæ regis autoritate tutos eſſe, ſibi pollicerentur: propterea quòd, tametſi apud eum non plus Florẽtinorum pecunia poſſet, Gallos in Italia perpetuò non eſſe mãſuros: ex præteritis enim facile futura poſſe prouideri: ſtultúmque admodum eſſe, ſi quis ſe perpetuo exponat periculo, adiumentis minimè perpetuis obnixus, ſpéque incertiſſima, cum hoſte infinito potentiore, certum bellum ſuſcipere: in quo de auxiliorum auxiliis ſibi certo nihil, quod ex aliena voluntate, & (quod eſt maius) ex euentuum magna varietate penderent poſſent polliceri: quæ quamuis obtinerent non idcirco effugerẽt, ſed multò atrociores, vno eodémque tempore, & ab hoſtium militibus vexati, & amicorum grauatè rem gerentibus, belli calamitates efficerent, quæ eò eſſent amicis acerbiores quòd ſcirent ſe non propriã libertatem defendere, ſed pro alieno imperio, ſeruitutis tantùm nomine, non ſeruitute ipſa commu-

tata, decertare: nullum eſſe principem qui moleſtias ſumptúſque alienius belli vellet ſuſcipere, niſi vt eis dominaretur: quod quidem bellum, propter opes vicinitatémque Florentinorum, qui dum auram vitalem traherent nunquam ab eis vexandis eſſent ceſſaturi, ſuſtinere, niſi ſumma cum difficultate, non poſſet. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr.* 1.

DEFENSIO.

Vincti hominis non ſuperuacua ſolum, ſed etiam inuiſa eſt defēſio, quæ iudicem non docere videtur, ſed arguere. *Curtius, lib.* 6.

Quum nullum ſit animal tam imbecillum, quod non conetur illatam vim repellere, ij homines quibus propulſandæ iniuriæ facultas eſt, inimicos occurrentes ocioſi ac ſegnes expectare non debent. *B. Facius, hiſt. lib.* 4.

Nulla gens tam imbellis aut tam ignaua vnquam fuit, quæ vel minima pro parte occupati agri certare non ſuſtinuerit: boni ciues autem pro opulenti regni poſſeſſione, qua hoſtes ſpoliare eos ſtudent, non depugnabunt. *Idem, ibidem.*

Defenſio eſt ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, & ſummi Dei voluntate omnıúmque gētium conſenſu comprobata, vnà cum mundo orta & deſitura: cui neque ciuiles neque pontificiæ leges, hominum voluntate nixæ, & chartis exaratæ, derogare poſſunt: non eſt enim hæc ab hominibus facta lex, ſed ab ipſa natura in totius humani generis pectoribus atque animis inſcripta, inſculpta, infixa. *Fran. Guicciardin. hiſtor. libro* 10.

DEFENSIO *importuna.*

Stultum videtur, vbi auxilium deſperes, quod tueri nequeas, id tamen pertinaciter ob cupiditatem velle defendere. *B. Facius, hiſt. libr.* 3.

DEFENSIO *iuſta.*

Non reprehendendum eſt, ſi hi qui iniuria afficiuntur, defenſionis ſuæ cauſa non ſolùm vicinos, ſed etiam exteros ſibi adiungant. *Thucyd. lib.* 1.

DEFORMITAS.

Deformitas cum pulchritudine comparata magis eluceſcit. *Nicet. Iſaac. Angel. lib.* 3.

DELATIONES.

Illud maximè exitiabile ferunt tyrannorum tempora, quod primores infimas etiam delationes exercent, alij propalam, multi per occultum: neque diſcernuntur alieni à coniunctis, amici ab ignotis, quid repens, aut vetuſtate obſcurum: perinde in foro, in conuiuio, quaque de re locuti incuſantur, vt quis præuenire & reum deſtinare poteſt: pars ob ſubſidium ſui, plures infecti quaſi valetudine & contactu. *Tacitus, Annal. libro* 6.

DELATORES.

Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coercitum. *Tacitus, annal. lib.* 4.

Inimicis amicos deferentibus nō habenda eſt fides. *Zonar. in Mich. Balbo. tom.* 3.

DELATORES *aulici.*

Aduerſus delatores & aſſentatores

tores id imitetur princeps quod poeta ſapientiſſimus, aduerſus Sirenum cantus, quæ ſuauitate aut nouitate quadam & varietate cantandi reuocabãt eos qui præteruehebantur, ab Vlyſſe ait factitatum, vt obturemus aures neque patefaciamus eorum blanditiis: adhibeamus verò ianitores ac cuſtodes fidiſſimos, rationem nempe ac iudicium circumſpectum, vera demũ libenter excipientes: foréſque occludamus his quæ veri ſolum ſpeciem referunt: vanos rumores vanáſque ſuſpiciones, & vtilitatis imaginem, & cautionis minimè neceſſariæ titulos obdito etiam peſſulo excludamus. Vbi quid igitur defertur vel à familiariſſimis ad principem, ſubmota amicitia, familiaritatéque adhibeat in conſilium prudentiam, excutiat rem ipſam: eo grauiore animi contentione rem voluat, quo inſtructiores, viderit familiares ad delationem. Nunquam delatori tam liberè aures aperiat, vt reo non libentius aures referet: nihil ante ſtatuat, quàm cum accuſatione comparata ſit defenſio: tãdem verò adhibitis prudentiſſimis hominibus, excluſis verò eis qui rẽ detulerint, quive ab eis commoda expectant, & quorum commodo vel incómodo aut iactura honoris res eſt ceſſura, quid æquum ſanctúmque videbitur, decernat.

Primo verò congreſſu delatori aures patere, at obſtruere & inuias defenſuro dare, hominis eſſe aiebat Beſſario Niceſus indigni magno principatu: qui niſi tandem cohibeat tales impoſturas, ipſa ſi cupiat ſolus, ſeruare prorſus non poſſit talem principatum. Horum vnicam eſſe cauſam ignorantiam, eáſque tenebras, quibus ſuæ cuiuſque hominis inſtitutiones moréſque obuoluũtur. Eſſe verò indigniſſimum, quod factitarint Cæſares plurimi, vt excluſis eis iudicibus apud quos more inſtitutíſque maiorum peragenda eſſet accuſatio, iudices ipſi dent ex ſua aut eorum qui detulerint, quorũmve commodo res vertatur, cohorte. Ita factum vt ſumma nequitia plurima deferã tur, parua religione multi iudicẽt, delecti nimirum ad vrgendum propellendúmque reum: eóque nomine gratiam inituros ſeſe ſperantes. *Arn. Ferron. lib* 3.

DELATORES *aulici*.

Didiciſſe videor à maioribus (Lautreci dictum) quo grauius ſit crimẽ id quod oſtenditur eſſe falſum, hoc maiorem ab eo fieri iniuriam qui confingat. Paratus eſt enim grauitate criminis ita occupare animos eius qui audiit, vt difficilis aditus defenſioni relinquatur. *Idem, lib*. 5.

DELIBERATIONES.

Rerumpublicarum deliberationes abiecta priuatáque conſilia minimè poſcunt, neque omnia ad vtilitatem referri, verum ad excelſos magnanimóſque fines, per quos illarum ſplendor augeatur, & dignitas conſeruetur, ſpectant. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib* 4.

Ea quæ ſemel errata corrigi amplius non poſſunt. maturè ſunt deliberanda. *Idem*, 3. *lib*. 16.

DELICTA.

Ingenitum natura eſt omnibus & priuatim & publicè delinquere. Nec vlla lex tanti eſt quæ iſtud prohibere poſſit: quum per omnia ſit itum ſupplicia, ſi quomodo his terroribus homines à facinoroſis minus

læderetur, nec abs re olim maximis ſceleribus mitiores fuerunt pœnæ conſtitutæ. *Thucyd. lib 3.*

Magnorum delictorũ magnas oportet eſſe pœnas. *G. Pach. hiſt. lib. 3.*

Delicta ſingulorum totã ciuitatẽ turbis implent. *Idem lib. 4.*

Quantum delicta quæ timore atque errore, ab iis flagitiis quę fraude & maleuolentia committuntur, diſtent, cuiuis perſpicuum eſſe poteſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 9.*

DELICTVM *ex errore.*

Quæcunque per errorem homines delinquunt, ea præter animi ſententiam committi equidem arbitror. *Xenoph. de inſtitut. Cyri, libr. 3.*

DELINQVERE.

Nil prorſus delinquere, nec humanum eſſe equidem reor, ſed præter mortalium ipſorum naturam. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Delicta corrigere Imperatorem admodum decet. *Ibid.*

DEMENTES *qui habeantur.*

Scio eos qui dicunt quæ ſupra fidẽ ſunt, non ſolùm non perſuadere, ſed etiam demẽtes videri. *Thuc. l. 6.*

DEMENTIA *malitioſa.*

Mantinienſes cùm ſocios vaſtaſſent, haud ſe iniuriam intuliſſe dicebant, quòd ex vna ciuitate eos in plures tranſtuliſſent. Eſt hæc dementia cũ malitia coniuncta, quando quis, vbi oculos ſuos clauſit, à nemine ſe videri putat. *Polyb. lib 4.*

DEMENTIA.

Fruſtra niti, neque aliud, ſe fatigando, niſi odium quærere, extremæ demẽtiæ eſt. *Sall. de bello Iugurth.*

DEMOCRATIA.

In Democratia multa ſunt alieno arbitrio facienda, & ſequenda eſt multitudo. *Thucyd. lib. 6.*

Dominatus popularis eſt peſſimus omnium earum Reipub. formarum quibus homines vtuntur. *Dionyſ. Halic. lib. 6.*

DEMOCRATIÆ *cenſura.*

In optimatibus minima eſt petulantia & iniuria, contrà plurimũ & exactum rerum bonarum ſtudium: at in plebe plurima eſt imperitia, confuſio & peruerſitas. Nam & paupertas eos magis impellit ad turpia: & ignorãtia inſcitiaque propter rei indigẽtiã, ineſt in nõnullis hominum. Sed dicet quis nõ debere eis permitti vt omnes, ſine diſcrimine, cauſas orent, aut ſententiam dicant: ſed tantùm periti ſſimi & optimi quique. Ipſi verò etiã hoc in genere ſcitè, faciũt, vt malos quoq; orare ſinant. Nam ſi boni conciona rentur, & ſententias dicerent, cũ eorum ſimilibus bene ageretur, at cũ plebeiis nõ bene: nunc autẽ quum ſurgat ad concionandum quiuis nequiſſimus, excogitat quod bonum ſit & ſibi & ſui ſimilibus.

Dicet quis, Quid tandem boni cogitet, aut ſibi, aut plebi talis homo? At iſti intelligũt huius imperitiã & nequitiam cum beneuolẽtia, magis è re ſua eſſe quàm boni viri virtutę & ſapientiam cum maleuolentia. Quare huiuſmodi adminiſtrationibus efficitur, non vt optima ſit ciuitas illa quidem, ſed vt popularis poteſtas ita maximè conſeruetur. Populus enim nõ vult bene cõſtituta ciuitate, ſeruire ipſe, ſed liber eſſe & dominari. Prauam autem conſtitutionẽ parum curat. Nam quod tu putas nõ bene conſtitutũ, in hoc ipſo ſita eſt plebis potentia & libertas. *Xenoph. de Repub. Athenien.*

DEMOCRATIÆ *incommoda.*

Quum in comitiis reip. Florentinæ Paulus Antonius Soderinus pauco-

paucorum autoritatem prolixa oratione damnaſſet & popularē ſtatum apprimè commendaſſet, Democratię incommoda Guid. Antonius Veſpucius his verbis perſtrinxit, Si Reſp. eo modo qui à Soderino propoſitus eſt, optatos fructus tāta facilitate ederet, quanta deſcribuntur, palato admodū corrupto is eſſet, qui aliū in patria noſtra reipub. ſtatum deſideraret: pernicioſus ciuis eſſet qui eam reip. deſcriptionē non adamaret, in qua virtutes, merita, hominum dignitas, præter cetera omnia, præmiis & honoribus afficerentur. Verùm equidem videre nequeo, quì fieri queat, vt ea reſpublica quæ in multitudinis poteſtate penitus ſit poſita, tot tantíſque bonis circumfluere redundaréque poſſit. Nam ſatis conſtat, quod & ratio docet, & vſus demonſtrat, & ſapientum autoritas confirmat, in tāta multitudine talem prudentiam, talem vſum, talem ordinem minimè inueniri, quibus nobis polliceri valeamus, ſapiētes ignaris bonos malis, rerum vſu peritos iis qui negotia nunquam tractarunt, antepoſitum iri: quippe, vt ab iudice rudi & imperito, recta iudicia expectari nequeunt, ſic à multitudine confuſa & imperita conſilium ſententiáve prudentia & ratione munita, niſi fortè caſu, ſperari nullo modo poteſt. & nos, quod à viris ſapientibus multíſque aliis negotiis intentis, vix diiudicari atque explicari poteſt, id ab ignara atque imperita turba, ex tanta ingeniorum generū morúmque varietate conflata, fuiſque priuatis negotiis tantùm intēta, diſtingui & cognoſci poſſe credemus? Accedit his, immoderata de ſe cuiuſque opinio, qua nemo non ad honorum cupiditatem excitabitur: nec honeſtis libertatis fructibus, in populari adminiſtratione erunt contenti, ſed ad primos honorum gradus omnes adſpirabunt, volentque in rerum grauiorum ac difficilium deliberationibus locū habere: cuius rei ea eſt cauſa, quòd minus apud nos quam in vlla alia ciuitate illa animi moderatio, qua prudētiori ac præſtantiori ceditur, locum habet. Itaque, perſuaſi, iure omnes in omnibus æquales eſſe debere, honorum gradus qui virtuti ac meritis debentur, cùm in multitudinis erunt poteſtate confundētur: iſtáque in maiorem partem cupiditas diffuſa, eos armabit potētia qui aut ſapient minus, aut minus erunt digni. Nam cùm numero vincant, plus etiam in ea republica in qua ſententiæ numerantur, nō appenduntur, poterunt. Quamobrem quis hoc pręſtabit, vt contēti ea forma, quam vos hoc tēpore introducetis, nouis inuētis, legibúſque nulla prudentia conſtitutis, quibus homines ſapientes reſiſtere nequibūt, modos reipublicæ gubernandæ ſapientes excogitatos, nō ſint breui perturbaturi? quæ res cùm ſēper in huiuſmodi repub. ſunt periculoſæ, tum verò maximè hoc ipſo tēpore: cū ea ſit hominū natura, vt vno extremo (in quo nolētes detenti fuerunt) declinato, in aliud extremum medio prætervecto, ſine cūctatione volētes decurrāt. Sic qui è tyrānide ſūt elapſi, ſeſe, niſi retineātur, in effrenatam licentiam præcipitant: quæ quidem & ipſa iure tyrannis poteſt appellari. Nam & populus eum indignis dat quod adimit dignis, cùm gradus & merita ciuium confundit, tyranno eſt ſimilis: cu-

ius tyrannis eò fortè pernicioſior eſt, quo perículoſior ignorantia, quæ nec pondus, nec menſuram, nec legem habet, quàm malitia: quæ tamen ipſa aliqua regula, aliquo freno, aliquo termino gubernatur.

Neque vos Venetorum exemplum, à Soderino prolatum (quaſi in ea Republ. vigeat popularis ſtatus) moueat, apud quos & ſitus aliquid habet momenti, & Reipublicæ inſtitutio plurimùm valet: eſtque ita compoſita vt rerum grauium deliberationes penes paucos ſint potius, quàm multos: adde illorum ingenia, quæ cùm forſitan non ſint eo acumine prædita quo ſunt noſtra, multò ſunt pacatiora ac faciliora: nec illis duobus tantùm quæ propoſita ſunt fundamẽtis (nempe libertate & ciuili concordia) Veneti nituntur, verùm ad perfectionem & ſtabilitatem eorum plurimùm refert, eos perpetuum ducem aliaque inſtituta cõplura habere, quæ ſi quis in hanc ciuitatem inducere vellet, innumeros qui repugnarẽt inueniret: propterea quòd non nũc primum exoritur ciuitas noſtra, neque modò primam inſtitutionem capit: idcirco inueterata conſuetudo ſæpiſſimè communi vtilitati repugnat, & hominibus, ne conſeruandæ libertatis prætextus noua tyrannis quęratur ſuſpicantibus, haud ſanè multum prodeſſe ſana cõſilia poſſunt: vt corpori malè affecto, & noxiis humoribus redundanti, medicinæ non tantum proſunt, quantum eua cuato ac purgato: quibus de cauſis, atque etiam ob rerum humanarũ conditionem, in peius ſemper ferè vergentium, magis timendum eſt, ne quod in hoc principio minus perfectè erit conſtitutum, temporis progreſſu penitus perturbetur ac diſſoluatur, quàm ſperandum, vt aut tempore aut occaſione perficiatur.

Quid? an non domeſticis exemplis abundamus, ſic vt minimè aliunde ſint petenda? quando enim Reipubl. gubernacula penes populum penitus fuerunt, quin ciuitas illico plena diſcordiis tota ſit conuulſa, & ſtatus mutatio conſecuta? Quòd ſi etiam aliorum exempla intueri libet, cur non in memoriã reuocamus populi illam abſolutã poteſtatem, tot tantóſque in vrbe Roma motus excitaſſe: vt niſi ſciẽtia & virtus militaris obſtitiſſet, illius Reipubl. vita breuis eſſet futura? Cur item non recordamur, Athenas florentiſſimam ac potẽtiſſimam ciuitatem, nulla alia de cauſa imperium amiſiſſe, inque ſuorũ ciuium atque externorum ſeruitutem incidiſſe, quàm quòd res magnæ & graues multitudinis arbitrio decernerẽtur? Illud autem videre nequeo, qua ratione dici queat, in ea Reipubl. forma quę in publico ciuium cõſilio propoſita eſt, libertatem integram minimè reperiri, propterea quod omnia ad magiſtratuum autoritatem referãtur: qui quidem perpetui nõ ſunt, ſed temporibus commutãtur, nec paucorum ſuffragiis creati, ſed à multis comprobati, ſortis arbitrio, ex veteri ciuitatis conſuetudine relinquuntur. Itaque qui poſſunt aut factione aut ciuium propria libidine diſtribui? Illud quidem certius nobis perſuadere poterimus, res grauiores à prudentioribus, peritioribus & grauioribus expen-

ſum

ſum ac tractum iri, qui eas alio modo, alia taciturnitate ac grauitate gubernabunt, quam populus, harũ rerum planè rudis & imperitus, atque (vbi minus opus eſt) ſæpe numero profuſus: vbi autem res ipſa largitatem poſcit, vſque adeo tenax, vt dum minimis parcere vult, in maximos ſumptus grauiſſimáque pericula incurrat. Grauiſſimus eſt patriæ morbus: quamobrem, quæ eſſet imprudentia, cum medici doctiores ac peritiores requirũtur, iis ſe committere, qui minore eius artis ſciẽtia vſuq; sũt præditi? Poſtremò, illud eſt tenendum, vos populum longè pacatiorem faciliorémque ad ſalutaria ſibi conſilia, atque ad commune bonum amplectendum habituros: ſi ei in Republica moderatum locum, autoritatémque attribueritis: nam ſi eius arbitrio & poteſtati omnia ſubieceritis, verendum erit ne inſolentior ac difficilior, atque ad veſtrorum ſapientum bonorúmque ciuium conſilia contumacior fiat. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 2.*

DEMOCRATIÆ *incommoda in bello.*

Peloponneſij & eorum ſocij (inquit Pericles) & ſi ad dimicandum de ſumma rei in vno prælio pares ſunt cæteris Græcis, tamen diuturnum bellum gerere non poſſunt. Quia cùm non ſit vna communis eorũ deliberatio, ſed res ad diuerſas ciuitates longo ordine referendæ ſint, non poteſt ſubitò perfici quod opus eſt. Nam & gentes diuerſæ ſunt, & ſuffragia parem vim habent, & ſingulæ ſuam vtilitatem ſpectant. Quæ res moram & impedimẽta deliberationibus afferunt. Alij maximè volunt puniri aliquẽ, alij contra minimè volunt ſuas res abſumi, & tardè conuenientes exiguo ſpatio de publicis negotiis deliberant, plus temporis tribuentes priuatis controuerſiis: & quilibet putat ſua vnius negligentia nõ impediri bonum publicum, & id aliis curæ fore pro ipſo. Sic cùm omnes cogitant, interea bonum publicum perit omnium culpa, cùm quidem ſe cauſam eſſe nõ animaduertunt. Præcipuè verò impediantur pecuniæ inopia, quia dũ conferunt lentè, moræ incidunt. Belli autem occaſiones non exſpectant tarditatem. *Thucydid. libro primo.*

DEMOCRATIÆ *peſtes.*

T. Quintius Cincinnatus populum Roman. pro concione grauiter increpantem, quòd tribunitiis clamoribus ſe huc illuc rapi pateretur, inter multa dicebat, His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me vera pro gratis loqui, & ſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vellem equidem vobis placere, ſed multò malo vos ſaluos eſſe, quálicunque erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita comparatum eſt, vt qui apud multitudinem ſua cauſa loquitur, gratior eo ſit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. Niſi fortè aſſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui vos nec in armis, nec in ocio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſa incitare & ſtimulare putatis, concitatiant honori aut quæſtui illis eſtis, & quia in concordia ordinum nullos ſe vſquam eſſe vident, malæ rei ſe quàm nullius, turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt. *Liu. Decad. 1. l. 3.*

Desideria vana.

Inter homines fit, vt quod ad manum eſt propter conſuetudinē faſtidietur: id verò quo careas deſideratur, vt iucundius futurum, quod præter conſuetudinem euenit. *G. Pachim. hiſt. l. 3.*

Desidia.

Qui propter voluptatem deſes eſt, is confeſtim deſidiæ ſuæ iucunditate, propter quam ſegnis eſt, priuatur ſi quieuerit. *Thucydid. libro 1.*

Desidia publica.

In æquo malorum ponit vir ſapiens, vri tecta, vaſtari agros, exhauriri ærarium, & priſci roboris neruos hebetari. *Valer. Maxim. libr. 7. cap. 2.*

Detractio.

Detractio importuniſſima res eſt (*Artabani dictum*) in qua duo ſunt qui iniuriam faciunt, & vnus cui iniuria fit. Qui enim detrahit, iniurius eſt, quòd non præſentem accuſat: item qui huic credit, iniurius eſt, quòd prius credit quàm rē cōpertam habeat. Et illi cui abſenti detrahitur, ob id fit iniuria, quòd ab altero inſimulatur vt malus, ab altero talis putatur. *Herodotus libro ſeptimo.*

Detrimentum.

Sæpe contingit, vt ex leui cauſa ingens detrimentum oriatur. *B. Facius, hiſt. l. 6.*

Desperatio.

Omnes homines poſtquam priuantur illa re qua antecellere videntur, reliquis viribus poſtea minus confidunt: aut ſi primò præter opinionem fruſtrantur ſpe ſua, de illa re qua maximè confidebant, poſtea lāguidiores fiunt quàm pro viribus. *Thucyd. l. 7.*

Qui ob labores & miſerias, aut opinionem reprehenſionéſque hominum animum deſpondet, is à ſua ipſius vincitur mollicie. Mors enim ſpontanea, non fuga actionū, ſed actio eſſe debet. Turpe verò eſt nos nobis ipſis tantum viuere ac mori. *Plutar. in Cleomene.*

Debemus in rebus deſperatis lucrum exiſtimare quicquid acceperimus. *Appian. l. de bel. Pun.*

Solet abrupta ſæpe diſcrimina ſalutis vltima deſperatio propulſare. *Am. Marcel. l. 16.*

Qui de ſalute cogitur deſperare, nec opere quidem, nec verbis decorum ſeruare de cætero poterit. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

Præſtat non pœnitere, quàm pœnitentem deſperare. nam illud ſtuporis eſt, hoc æternæ condemnationis. *G. Pachim. hiſt. l. 4.*

Deſperatio magnum ad honeſtè moriendum incitamentum. *Curt. libr. 5.*

Neceſſitas quædam virtutis eſt deſperatio. *Veget. l. 4. c. 25.*

Deſperata ſalute nullum acrius telum mortalibus eſt. *P. Æmyl. libr. 7.*

Devs.

Non obloquendum eſt Deo, in cuius poteſtate ſunt omnia. Omne tempus Deo breue eſt, qui ſemper & exiſtit, & erit. *Dionyſ. in M. Anton. Phil.*

Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere. Sin autē homo es: id quod es, ſemper eſſe te cogita. *Curt. l. 6.*

Quis eſt Deo ſapientior? aut quis Domini animum explorabit? eiúſque iudicia vel addendo, vel detrahēdo immutabit? Nam hominum quidem cogitationes lubricę ſunt,

Dei

Dei verò conſilium non eſt irritũ nec mutabile. *Nicet. Ioann. Comment.*

Amat Deus nõ quidem aſtutos, aut aliquid domi machinantes, ſed extrema in anguſtia conſtitutos, modò non ſint improbi. *Procop. de bel. Vandilic. l. 1.*

DEVS *ἀπροσωπολήπτης.*

Deus humano more perſonarũ rationem non habet, nec pretia rerum annis & ætate metitur: ſed indolem animi, manſuetudinem, lenitatem intuetur, mandatorúmque ſuorum obſeruationem. *Nicet. Ioann. Comm.*

DEVS *auxiliator.*

Deus in auxilium iuſta petentibus ſemper adeſſe ſolet. *Procop. de bel. Vandilic. l. 1.*

DEVS *benignus.*

Si ſæpe percutere, ac ſæpiſſimè etiam mederi cõſueuit. *Nicet. And. Comm. l. 2.*

DEVS *clementia.*

Deus ſupplicum contemptores odiſſe ſolet. *Procop. de bell. Goth. libro tertio.*

DEVS *immutabilis.*

Irrita ſunt hominum conſilia & lubricæ cogitationes. At Dei propoſitum firmum eſt, atque immutabile: neque quiſquam id euitare queat. *Nicet. Manuel. Comment. libr. 99.*

DEVS *index ſeuerus ſeditioſorum.*

Seditioſi in Africa bellicis calamitatibus oppreſſi, ad extremum tanta fame coacti ſunt, vt ſuis inuicem corporibus veſcerẽtur, Numine eam vltionem dignam ſceleribus, quæ in proximos patrarant, inferente. *Polyb. l. 1.*

DEVS *mundi index metuendus.*

Quando Deus malè quid vt eueniat homini decrẽuit, conſilium ac mentem imprimis ei aufert, inde quæ ſunt vtilia in deliberando monſtrat. *Procop. de bell. Vandilic. libr. 1.*

DEVS *iuſtus index.*

Etiam in hac vita Deus ſæpe iuſta menſura ſolet facinora penſare, vt illuſtribus documentis mortales erudiantur: ac perterreſiant ij qui vindictâm Numinis omnia perſpicientis præ ſuis cupiditatibus negligunt. *Niceph. Gregoras, hiſtor. lib. 6.*

DEVS *iuſtus.*

Deus, vt exiſtimo, ſæpe paruos extollere, potentes deprimere gaudet. *Xenoph. de rebus geſt. Græc. libro 6.*

Secũda elatos fortuna quam celerrimè quum euertere velint, & abiectos qui maximè rebus aduerſis conflictantur, dij excitare facilè poſſunt. *Xenoph. de Cyri exped. libro 3.*

Numen virtutem impertit non illis qui iniuriarum ſunt authores, ſed iis qui ſe contra iniuſtam inuaſionem defendunt. *Polyb. hiſtor. lib. 13.*

Bonis & piis præmia certiſſima, ſontibus ex ira numinis ſupplicia ſunt expoſita. *Pauſan. l. 8.*

Dij pro meliore ſtant cauſa. *Cur. lib. 4.*

Dicere nefas eſt, à Deo quędam procedere ſine ratione. *Procop. de bel. Perſ. l. 2.*

Deum nullus iniuſtus ſentiet adiutorem. *Procop. de bel. Vandilic. libr. 1.*

Sine vllo delectu vel temere Deus humano generi vel priuatæ

cuiquam rationi ferre præſidium non conſueuit: ſed his quàm maximè fauet, apud quos æquitatis ratio habetur: & illi quidem haudquaquam difficile eſt, ad alios bona transferre, vt qui rerum omniũ habeat poteſtatem. *Procop. de bell. Goth. l.3.*

Solus eſt & conſeruator humilium, & punitor malorum. *P. Diacon. in Arcad. & Honor.*

Non ſinit Deus rem ſuæ potentiæ infidelium virtutem videri. *Idem, ibid.*

Vbi quis dominum irritauit, ludibrio habetur ab his qui eadem cum ipſo conditione ſeruiunt. *Zonar. tom.3.*

Deus bonos & integros prouehit: diſtortos verò cum iniquis in barathrum præcipitat. *Nicet. Ioan. Comnent.*

Deus æquitatis amans, animorum receſſus inquirit. *Idem, in Iſaa. Angel. l.1.*

Dominus conſilia irrita facit, & gentes belli ſtudioſas diſſipat. *Id. l. de ſtatu Conſtantinop.*

Non obſcurum eſt impios dedi flagris: cum eorum autem caſtigatione, quorum ſpes in domino ſita eſt, conſolationem & reſtitutionẽ in integrum eſſe coniunctam. *Idẽ, in Alex. Murzuflo.*

Deus iuſtus non tibiis viri delectatur, nec magnitudine roboris, ſed afflicto corde & humili animo. Pluriſque fit apud eum honeſta & inculpata vita, quàm vires armorũ. Nec enim, Salomone teſte, velociũ eſt curſus, fortium pugna, ſapientum panis, prudentum abundantia, intelligentium gratia, per tempus enim omnes in caſus incident. *Niceph. Gregor. l.6.*

Conſueuit Deus facta cuiuſque remunerari, vt defunctorum caſibus ſuperſtites erudiantur. *Idem, eo. lib. 6.*

Diuinus oculus iudex eſt omnium. *G. Pachim. hiſt. l.1.*

Deus ſolus eſt conſeruator humilium & punitor malorum. *Paul. Diacon. in Arcad. & Hon.*

Nihil Deum latet, ſed omnibus reddit ſecundum opera ipſorum. *P. Diacon. in Mauricio.*

Deus vindex & iudex culparum erit. *Idem in Iuſtiniano.*

Nullũ maleficium Deus inultũ ſinit, etiã ſi diuturnioreẽ impunitatẽ Deus concedat. Et quoties in magnis principibus aliquam inſignẽ rerum videmus commutationem: certò ſtatuere debemus, illam à Deo proficiſci. Propter potentiam enim illorum & opes, quibus tanquam propugnaculo quodam muniti ſunt, nullus caſus facilè poſſit eos affligere. Sed eſt Deus, qui repentina quadam tempeſtate concitata illos inuoluit & exagitat; imprimis autem eos, qui crudeliter graſſati ſunt. *Ph. Comineus, libro ſexto.*

Sic ſentio, Deum prout vult affligere aliquam gentem, tribuere illi Principem & accommodare. *Ph. Comin. l.7.*

Deus eſt ſcelerum vltor, nec crudelitatem vllam impunitam dimittit. *Idem, l.9.*

Deus iuſtus iudex, vnde ius ſit, inde victoriam largitur. *B. Facius, hiſt. l.1.*

Sperabat Alphonſus Dei ope, qui iuſtitiæ fauet, hoſtes ſuos debellare. *B. Facius, hiſt. l.10.*

Diuina fit iuſtitia, vt qui primi bellum iniquè & arroganter intulerunt,

lerunt, ſupplices paces petant. *P. Iouius, hiſt. l. 4.*

Rectè ſapiētiſſimi homines prodidere, Deum magna exempla in caput inuenientium mala regerere: vt iuſtiſſima patiendi vice quod quiſque excogitarit alieno malo, ſæpe excipiat ſuo. *Ar. Ferron. libr. 8.*

DEVS *misericors.*

Cædibus haud delectatur Deus, nec noctem fecit: ſed hominem ad vitam condidit, in cuius conſpectu vox ſanguinis Abeli clamat: qui apertè denumerat, ſe malle, vt peccator conuerſus viuat, quàm vt moriatur. *Nicet. Andronic. l. 2.*

Deus qui creat omnia, & rerum omnium Dominus exiſtit, res humanas clementer moderatur, & omnium miſeretur, quum poteſt omnia. *Idem, Iſaac. Angel. l. 1.*

Deus res impeditas expedit, & deſperatis ſpe bona prælucet. *Niceph. Gregor. hiſt. l. 4.*

Dei clementiæ eſt, quod viuimus: quod autem miſerè viuimus, intemperantiæ noſtræ. *P. Oroſ. hiſt. lib. 2. cap. 3.*

DEVS *omnipotens.*

Dei vires longè ſunt aliæ quàm noſtræ. Nihil enim humanæ naturæ ſimile Deus habet, non motu, non arte, non robore nondum conuenit: neque abſurdum eſt, ſi quid is faciat machinetúrve, quod nos efficere nequeamus. quinimo per omnia noſtrûm diſſimilis, maximè eam in ſuis operibus differentiam oſtendit. *Plutar. in Coriolano.*

Nihil non à Dei pendet omnipotentiá, occultíſque prouidentiæ Diuinæ rationibus gubernatur: & ad finem, quem ille præſcripſerit, omnia tendunt. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib. 6.*

Ea quæ rerum excedunt naturã, non humanæ virtuti, ſed Deo ſunt adſcribenda. *Procop. de bell. Goth. libr. 1.*

Deo aduerſante, is qui tardus habetur vel celerrimum anteuertit. *G. Pachym. hiſt. l. 9.*

Imbecillis eſt omnis homo, ſi cum Dei manibus conferatur: immo perexiguum eſt robur mortalium, quum Deus plurimum poſſit, & lacertos robuſtiſſimos habeat. Quis eſt enim, ipſius oppugnare potentiam qui poſſit? *Conſtãt. Manaſſ. Annal. pag. 124.*

Si Deus ille præpotens mortalibus aduerſetur, omne conſilium, omníſque conatus reapſe nihil eſt aliud quàm aranearum tela. *Idem, pag. 125.*

DEVS *omniſcius.*

Deus cogitationes omnes nouit, nec illi quicquam poteſt eſſe occultum. *Ph. Cominæus, libr. 4. de bello Neapol.*

DEI *præſentia.*

Deus fortioribus adeſt. *Tacit. hiſtor. l. 4.*

DEVS *regnorum cuſtos.*

Deum ſi vlli rei, regni certè conſtitutioni intereſſe, & quidem præcipuè, perſuaſum habemus. *G. Pachym. hiſt. l. 4.*

DEVS *ſapiens.*

Non vitam ſolùm laboris & triſtitiæ expertem ſed imminentis etiam exitij, & tutarum actionum prænotionem Deus abſcondit. *Nicet. in Andron. Comm. l. 2.*

Mirari mihi ſubit imperueſtigabilem Dei ſapientiam, qui extremè contraria vno fine concluſit. Nam cùm duas aduerſarias inter ſeſe cō-

mittere ſtatuit:nec alteram alteri ſubiicere: aut ingenio virtutéque præſtantes vtriq; moderatores præficit,vt vterque alterius conſilia & conatus euertat, & vtriuſque ſubditorum libertati conſulatur: aut vtroſque & hebetes & imbelles deligit,vt neuter alterum tentare, ac ſepta(quod aiunt) trāſilire audeat, veteréſque regnorum limites conuellere. *Niceph. Gregoras, hiſtor. libr.5.*

Fas dicere non eſt, quædam à Deo ſua ratione procedere. *Procop. de bel.Perſ.l.2.*

DEVS *vindex.*

Vindicta diuina,cùm tot manus & pedes habeat,cùm acutè omnia perſpiciat,& patentibus prædita ſit auribus:non obliuiſcitur. Sed conſiderat,nec multas præterit impudentes calumnias & accuſationes bonorum virorum.ſed declarat ea ſe perſpicere quæ in telluris receſſibus aguntur, & obſcura linguæ murmura exaudire. *Nicet. Manuel. Comnen.l.4.*

DEVS *viuus.*

Omnes homines cuiuſlibet vel ſectæ,vel vitæ,vel patriæ, ita ſemper ad proſpectum prudentiæ naturali bono eriguntur, vt oblectamēto corporis rationale mentis,& ſi non actu præferant, indicio tamen præferendum ſciant. Quæ mēs ratione duce illuſtrata in medio virtutum, quibus genuino fauore,quanuis vitiis inclinetur, aſſurgit, ſcientiam Dei quaſi arcem proſpicit. Deum enim quilibet hominum contemnere ad tempus poteſt, neſcire in totum non poteſt. Vnde quidam dum in multis Deū credunt,multos deos indiſcreto timore finxerunt. Sed hinc iam vel maximè cum auctoritate veritatis operante, tum ipſa etiam ratione diſcutiente diſceſſum eſt. Quippe cùm & philoſophi eorum, vt de noſtris ſanctis ſileam, dum intento mentis ſtudio quærunt,ſcrutantúrque omnia,vnum Deum auctorem omnium repererunt,ad quem vnum omnia referuntur. vnde etiam nunc pagani,quos iam declarata veritas de contumacia magis quàm de ignorantia conuincit, cū à nobis diſcutiuntur,non ſe plures deos ſequi, ſed ſub vno Deo magno plures miniſtros venerari fatentur. Reſtat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi ſuſpiciones confuſa diſſenſio,quia de vno DEO omnium penè vna opinio eſt. Huc vſque humana ſcrutatio:& ſi cum labore deliberare potuit. at vbi ratiocinatio defecit, fides ſubuenit. Niſi enim crediderimus non intelligemus. Ab ipſo audias,ipſique DEO credas,quod verū velis ſcire de DEO. *P. Oroſius, hiſt. libr. 6. cap.1.*

DIFFIDENTES.

Non modò Deus, ſed homines etiam honeſti & boni,quum fidem ſibi non haberi animaduertunt, haud amant diffidentes. *Xen. de inſtit. Cyri, l.7.*

DIGNITAS.

Dignitas ad homines pertinet. *Liu. Decad.1 l.6.*

Potior eſſe debet probis dignitas ſine vita,quàm vita ſine dignitate. *Valer. Max.l.3.c.2.*

Non in ſolio faſtigium dignitatis,ſed in operibus ſitum eſt, quæ illam minimè dedecorent. *Herod. in Pertinace.*

DILIGENTIA.

Negligentiam ciuitati pernicioſam

ſum fore dicebat Æmilius Paulus: neminem enim eſſe, qui initio ſtatim magno aliquo delicto Rempu. peruerteret: ſed tamen eum qui in minutis rebus non eſſet diligentiæ accuratæ cuſtodiam etiam maiorũ dimittere. *Plutarc. in Æmy. Paulo.*

Potius diligentia, quàm pretio parare, nõ mediocris eſt induſtriæ. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

DISCIPLINA.

Præcipuum ac pulcherrimum legiſlatoris opus diſciplina. *Plutar. in Lycur.*

Seueritatem diſciplinæ, in pace inexorabilẽ, diſcordiæ ciuium reſoluunt. *Tacit. l. 1. hiſt.*

Diſciplina maiorum Rempubl. tenet: quæ ſi dilabatur, & nomen & imperium amittemus. *Æl. Lampr. in Al. Seuero.*

Omnis diſciplinæ ratio exercitatione augetur, otio verò debilitatur. *Procop. de bel. Vandilic. l. 1.*

DISCIPLINA *militaris.*

Militaris diſciplina paupertate magiſtra ſtetit. *Curt. l. 3.*

Is terror milites hoſtéſque in diuerſum afficit: militum virtutem auget, hoſtium ferociam infringit. *Tacit. Annal. l. 11.*

Acriore hodie diſciplina victi quàm victores agunt. hos ira, odiũ, vltionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per faſtidium & contumaciam hebeſcunt. *Tacit. hiſtor. libro 2.*

In militaris diſciplinæ ſinu ac tutela ſerenus tranquillúſque beatæ pacis ſtatus acquieſcit. *Valer. Max. l. 2. c. 7.*

Aſpero & abſciſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget: quia vires armis conſtant, quæ vbi a recto tenore deſciuerunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur. *Ibid. idem.*

Diſciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ Romano imperio peperit, & multarum vrbium magnorum regum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt, fauces Pontici ſinus patefecit, Alpium Taurique montis conuulſa clauſtra tradidit, ortúmq; à paruula Romuli caſa totius terrarum orbis fecit columen. *Idem, eod. libr. 2. cap. 8.*

Aurelianus Imp. eam paucis, ſed grauiter & ſcitè admodũ deſcribit ad tribunum quendam, his verbis. Si vis tribunus eſſe, imo ſi vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouẽ nemo contingat. Vuam nullus auferat, ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum, nemo exigat: annona ſua contentus ſit. de præda hoſtis non de prouincialiũ lachrimis habeat: arma terſa ſint: ferramenta ſamiata, calceamenta fortia. Veſtis noua veſtem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & anulum opponat, equum ſaginarium ſuum defricet, captum animal non vẽdat, nullum centuriatũ comiter curet. Alter alteri quaſi ſeruus obſequatur: à medicis gratis curẽtur, aruſpicibus nihil dent, in hoſpitiis caſtè ſe agant, qui litem fecerit vapulet. *Fl. Vopiſc. in Aureliano.*

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. Nulla enim alia re videmus populum Rom. orbẽ ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſúque militię. Quid enim aduerſus Gallorũ mul-

titudinē paucitas Romana valuiſſet? Quid aduerſus Germanorum proceritatem breuitas potuiſſet audere? Hiſpanos quidem non tantum numero, ſed etiam viribus corporum noſtris præſtitiſſe, manifeſtum eſt. Aphrorum dolis atque diuitiis ſemper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiáque nôs vinci nemo vnquam dubitauit. Sed aduerſus hæc profuit tyronem ſolerter eligere, ius (vt ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quęcunque euenire in acie atque in prælijs poſſint, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeuerè in deſides vindicare. Scientia enim rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Etenim in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt, rudis & indocta multitudo ſemper expoſita ad cædem. *Veget.l.1.c.1.*

Præcipua militaris diſciplinæ laus, magis in eo ſita eſt, vt ſeſe periculis, niſi neceſſitate cogente, exercitus non obiiciant, & vt aduerſariorum conatus induſtria, patientia, & artibus irritos reddant, quā vt ferociter pugnēt. *F. Guicciardin. hiſt.l.15.*

Proſper Columna dux magni nominis, decus ſuum tueri ſolitus, differebat acriter Romano more ex lege militari nequaquam eam eſſe primam aciem, quæ in itinere incedentéque toto exercitu cæteras omnes anteiret: ſed eam omnino vocari primam, quæ opinione virtutis firmiſſima, graui iudicio, inſtitutóque, vel à fronte, vel à tergo occurrenti hoſti opponenda cenſeretur. *P. Iouius, hiſt.l.12.*

Ea eſt propriè diſciplinæ ratio, vt incruētis (quantum fieri poteſt) armis victoria petatur, & vrbes ad partæ pacis commoda diligentiſſimè conſeruētur: vt inde vberrima militi ſtipendia cum laude, nō ſpolia immerentibus populis, aut altaribus & fanis, cū nefario ſcelere detracta proueniant. *Eod.li.*

DISCIPLINÆ *militaris vtilitas.*

Cùm animus & audacia non deeſt, vbi etiam diſciplina & ordo in rebus gerendis accedit, ſucceſſus proculdubio reſpondet. Nam hæc inter ſe coniuncta creſcunt, ſi ordo & ſcientia in periculis exerceatur, tunc etiam animi magnitudo fiducia accedentis peritiæ ſeipſa alacrior maiórque fit. *Thucyd.l.6.*

Dum mali pauent, optimus quiſque iuſſis paret. *Tacit. hiſt.l.4.*

DISCIPLINA *militaris antiquata.*

Veteres & ſapientes belli duces legitimo vſi imperio milites modeſtos, & qui taciti mandata magiſtratuum exequi didiciſſent, rexerunt: ipſiſque regiis animis præditi, atque frugales, medioeribus & definitis ſumptibus vſi ſunt, adulari milites, quàm metuere hoſtem, turpius cenſentes. Corrupta autem diſciplina, cùm ad imperia gerenda non tam virtute quàm vi perueniretur, armiſque contra ciues maior quàm aduerſus hoſtes vſus eſſet, in bello adminiſtrando ſimul multitudinem demulcere atque demereri opus habebant, neque animaduertebant, quę in voluptates militum impenderent, vt eorum operas redimerēt, his ipſis ſuam patriam ſe venalem reddere, vtque melioribus imperare poſſent, ideo peſſimo-

pe ſſimorum ſeruos fieri. *Plutarchus in Sylla.*

DISCORDIA.

Per diſcordias ciuiles externi tollunt animos. *Liu Decad.1.l.3.*

. Diſcordia, ordinum Reipublicæ venenum, *Idem, ibid.*

Aſſiduum inter pares diſcordiæ malum. *Iuſtin. hiſt.l.16.*

Malum extremum diſcordia. *Tacit. Annal.l.4.*

Nulla, quantumuis minima natio, poteſt ab aduerſariis perdeleri niſi propriis ſimultatibus ſeipſa conſumpſerit. Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad vtilitatem ſuæ defenſionis incautum *Veget.l.3 c.10.*

Numantia euerſa, Scipio Tyreſium quendam Celticum principē conſuluit; qua de cauſa Numantia prius inuicta duraſſet, & poſt euerſa fuiſſet. Tyreſius reſpondit, Concordia victoriam, diſcordia excidium præbent. *P. Dia on hiſt l.4.*

Ciues dum parum ipſi inter ſe conſentiunt, quæ Reipublicæ in commune bonum haberi poteſt ratio? *Io. Ioui. Pont. hiſt l.1.*

Ducibus diſſentientibus, nihil firmitatis aut roboris in militibus eſſe poteſt. *Io. Iouian. Pontan. hiſtor. libr.4.*

Diſcordia vaſtitatem, ſolitudinem, orbitatem, agris, oppidis, regnis, adfert. *P. Æmyl.l.3.*

DISCORDIA inter duces.

Si primarij duces diſſimiles diſcordéſque ſunt, nihil in exercitu pernicioſius accidere poteſt. *Polybius, lib.3.*

DISCORDIÆ.

Non vi, ſed colloquio, diſcordię componuntur. *Plutarch. in Numa.*

Diſcordiarum fraternarum horrendi euētus fratres ipſos, ſtirpémque ſuam, domos, regna funditus euerterunt. *Liu. Decad.4.l.9.*

DISCORDIÆ ciuiles.

Nihil in diſcordiis ciuilibus feſtinatione tutius, vbi facto magis quam conſulto opus eſt. *Tacit. hiſt. libr.1.*

DISCORDIÆ inter principes.

Sæuius finiuntur quàm inchoantur bella: nec vt initium illorum, ita & exitus in mortalium manu reponitur. Vbi tantum armorum corporúmq; ſub ſignis ſtabit, quis cruori legem dabit, vnde, & quantus fluat? *P. Æmyl.l.1.*

DISSENSIO.

In diſſenſione nulla ſalus conſpicitur. *Cæſ l.5 d. bel. Gal.*

DISSENSIONES in Eccleſia.

Non poteſt fieri quin Eccleſiaſticæ diſſenſiones Rempub. perturbent. *G. Pachym. hiſt.l.10.*

DISSENSIONES publicæ.

In rebus humanis ita comparatum eſt, vt nullus ferè ſit populus, cui non æmulum aliquem & aduerſarium Deus excitarit. Gallis oppoſuit Anglos, & Anglis Scotos. Hiſpanis perpetua quidem ſimultas intercedit cum Luſitanis. Italiæ Principes magna ex parte retinent poſſeſſiones, nullo ferè titulo & acerbè ſuis imperant. Iis aduerſantur reliquæ potentiores ciuitates, Venetiæ, Florentiæ, Genua, nonnunquam etiam Bononia, Sena, Luca. Arragoniæ reges oppugnantur ab Andegauorum ducum familia, Mediolani & Inſubriæ vicecomites, ab Aureliana domo. Venetis ſunt infeſti Principes Itali & Florentini. Senenſes autem, & Genuates, oderunt Florentinos. Genuates laborant & ſunt diuiſi ciuilibus

factionibus Fregoſiorum, Adornio rum & Auriorum In Germania magnæ ſunt inter Auſtriacam & Bauaricam domum æmulationes, & quę ſunt ex Bauariæ ducum ſtirpe natæ familiæ, inter ſe ipſæ diſſident, Auſtriacis principibus magnum eſt & graue odium cum Heluetiis. Impugnantur à Cliuenſibus Gheldri, & hi valde ſunt iniqui Iuliacenſibus. Quę ſunt ad Oceanum Germanicum & Balthicum mare ciuitates, bella ſæpe gerunt cum Daniæ regibus. In Germania plurimę ſunt arces atque caſtella munita: quæ res licentius agendi multis occaſionem præbet. Nam vnus aliquis, famulo tantum comitatus, ciuitati cuipiam denunciare audet inimicitias, confiſus aliquo caſtello, in quod receptum habet, & ſociis aliquot equitibus. In hoc genus hominum, Germaniæ Principes non admodum animaduertunt, quoniam ipſorum opera nõnunquam vtuntur: ciuitates autem, vbi facultas eis datur, ſeueriſſimè puniunt, & facta coniuratione circunuallant aliquando receptacula illorum, & demoliuntur, ſimul in eos vſus aliquot equitum cohortes alunt. Atque is eſt per Europam rerum ſtatus. Quid per Aſiam & Africam fiat, non habeo compertum: ſed dicuntur inter ſe, non minus quàm nos, imò turpiùs aliquanto diſſidere. Nam in ſeruitutem ſe pertrahunt ipſi, ſéque inuicem noſtris hominibus venundant, & videmus quàm multi quotidie ad Luſitanos deportentur. Apparet igitur has diſſenſiones, veluti ſtimulum quendam, in rebus humanis eſſe neceſſarias. ac mihi quidem, tametſi literarum nullum vſum habeo, ſic videtur, potiſſimum verò propter quorundam Principum ignauiam & malitiam, qui ingenij quidem ſatis habent & cognitionis: verum iis donis abutuntur, neque ad res honeſtas accommodant. *I h. Comm. l.* 10.

DISSENTIENTES.

Qui varia ſentiunt, verſari non poſſunt ſimul: & ſanè nec timore intercedente, nec beneficio duæ fides in his ſtabilis manet, ni fortè eadem & rectius ſenſerint. *Agath. hiſt. l.* 3.

Diſſidentibus ingeniis extrema conſilia ſemper officiunt, media autem in vniuerſum iuuant. *P. Iou. hiſt. lib.* 2.

DISSIDIA.

Propter contentionem & ambitionem (veluti in elementis Empedoclis) diſſidia inter homines & bella exiſtunt, vicinos præſertim & conterminos. *Plutarch. in Demetrio.*

Adeo diſſidium pernicioſa res eſt, vt diuiſi corruant qui adunati viribus territabant. *Iornand. libr. de reb. Getic.*

DIVINATORES.

Non ſemper aucupatoribus euentuũ & ſtructoribus fallaciarũ aruſpicibus opportuni caſus ſuffragantur. *P. Diacon. hiſt. l.* 4.

DIVES.

Plato tutas diuitias affectantem non addere opibus, ſed diminuere immenſam cupiditatẽ iubet, quod eam qui non ſuſtulerit, nunquam ſit penuria & paupertate ſeſe liberaturus. *Plutar. in Demetr.*

DIVITES.

Diuites ſunt tutiores pecuniæ cuſtodes: prudentes viri autẽ meliora dant conſilia. *Thucyd. l.* 6.

Faci-

Facile bellorum præmiis referti, aut ditium familiarum hæredes magnum animum induunt. *Tacit. Anna.l.11.*

Beatorum diuitúmque res aduerſæ, non ſolùm à plebe negligun tur, ſed eis nonnulli etiam prauo malignóque ingenio, ob inuidiam ſcilicet potẽtiorum atque feliciũ, delectantur. *Herodian.in Maxim.*

DIVITES *auari infelices.*

Non eos qui pecunias plurimas poſſident, & cuſtodiunt plurimas, felices duco, (nam hoc pacto qui muros cuſtodiunt fortunatiſſimi forent: quippe qui omnia quæ ſunt in vrbibus cuſtodiant) ſed qui parare quamplurimas iuſtè poteſt, & plurimis præclarè vti, hunc ego feliciſſimum arbitror, atque etiam ipſas eius pecunias. *Xenoph.de inſti. Cyri,l.8.*

DIVITIÆ.

Diuitiæ & paupertas antiqui & magni Reipublicæ morbi. *Plutarc. in Lycurg.*

Nihil obſtat quominus bonus quilibet atque ciuilis vir neque minus diuitias expetat: & rerum neceſſariarum atque ad tolerandam vitam ſufficientium curam non ſpernat. *Plutar.in Solone.*

Diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum atque libidinẽ pereundi perdendíque omnia inuehũt. *Liuius, Decad.1.l.1.*

Quo melior lætiorque in dies fortuna Reipublicæ eſt, quo magis imperium creſcit, & iam in Græciam Aſiamque tranſcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eos plus horreo (*dictum Catonis cenſorij*) ne illæ magis res nos cœperint, quàm nos illas. *Liu. Decad. 4.libr.4.*

Ibidem diuitiarum cupido eſt, vbi eſt vſus. *Iuſtin.hiſt.l.2.*

Vbi cupido diuitiarum inuaſit, neque diſciplina, neque artes bonæ, neque ingenium vllum ſatis pollet: quin animus magis, aut minus maturè, poſtremò tamen ſuccumbit, ſæpe iam audiui, qui reges, quæ ciuitates, & nationes per opulentiam magna imperia amiſerint, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud mirandum eſt. Nam vbi bonus deteriorem diuitiis magis clarum, magíſque acceptum videt, primò ęſtuat, multáque in pectore voluit: ſed vbi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatem à vero deficit. Quippe gloria induſtria alitur: vbi eam demſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt. poſtremò, vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. *Salluſt.in Fragm.*

Comperi omnes victores, diuitias contemſiſſe: & victos cupiuiſſe. neque aliter quiſquam extollere ſeſe, & diuina mortalis attingere poteſt, niſi omiſſis pecuniæ & corporis gaudiis animo indulgeat, non aſſentando, neque concupita præbendo peruerſam gratiam gratificans, ſed in labore, patientia, boníſque præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam domum, aut villam exſtruere, eámque ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornare, & omnia potius quàm ſemet viſendum efficere: id eſt non diuitias decori habere, ſed ipſum illis eſſe flagitio. *Idem, ibidem.*

Precioſa ſuppellex, pellicéſque & ſpadonum agmina, nihil aliud ſunt quàm onera & impedimenta. *Curt. l.5.*

Omnia habet qui nihil concupiſcit: eò quidem certius, quàm qui cuncta poſſidet. Quia dominium rerum collabi ſolet, bonæ mentis vſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum. Itáque quorſum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miſeriarum ſtatu ponere? cùm & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus ſit referta, & huius horridior aſpectus ſolidis & certis bonis abũdet. *Valerius Maximus libro quarto, capit. quarto.*

Atilius ab aratro ad imperium popul. Roman. ſuſcipiendum vocatus, atque eburneo ſcipione poſtea depoſito agreſtem ſtiuam aratri repetens, poteſt pauperes conſolari, ſed multo magis docere locupletes, quàm non ſit neceſſaria ſolidæ laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio. *Idem, ibidem.*

Neſcio an ſatius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contentum fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominati in Italia ſua, quàm eo magnitudinis creſcere vt viribus ſuis conficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quã nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ *opes atque diuitiæ* afflixere ſeculi mores, merſamque vitiis ſuis quaſi ſentina rempublicam peſſundedere. Vnde enim populus Romanus à tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & ſecunda, & illa tertia Apuleiana ſeditio. Vnde, vt regnaret de iudiciariis legibus, diuiſus à ſenatu eques, niſi ex *auaritia*, vt vectigalia Reipublicæ atque ipſa iudicia in quæſtu haberentur? Hinc rurſus & promiſſa ciuitas Latio, & per hoc arma ſociorum. Quid autem bella ſeruilia? vnde nobis niſi ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorij aduerſus dominos ſuos exercitus, niſi ad conciliandum plebis fauorem effuſa largitio, cũ ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium artem facit? Iam vt ſpecioſiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iiſdem *diuitiis* incitatus eſt? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempeſtas, aut magnificus apparatus conuiuiorũ & ſumptuoſa largitio, nonne ab *opulentia*, paritura mox egeſtatem? Hæc Catilinam hoſtem patriç ſuç impegit. Denique illa ipſa principatus & dominandi cupido, vnde niſi ex nimiis *opibus* venit? Atqui hæc Cæſarem atque Pompeium furialibus in exitium Reipublicæ facibus armauit. *L. Florus, libr. tertio cap. 2.*

Pro opibus quiſque animos gerit, ſpiritus tollit. *P. Æmyl. l. 7.*

Diuitiarum fama omnibus inuidioſa eſt. Sũmas diuitias & innocentiam in regiis miniſtris procuratoribuſque auliciseſſe ſimul poſſe inficiantur. *Idem, l. 8.*

DIVITIÆ, *ſine prudentia inutiles.*

Rectè is dixiſſe videtur, qui conſilio, prudentia, viribus animi pleraſque res, non autem rerum copia, ponderari affirmauit. *Niceph. Gregoras, hiſtor. libro octauo.*

DIVI-

DIVITIARVM *abuſus.*

Maior pars hominum aut non vtitur diuitiis ſuis, qui ſunt illiberali & ſordidò præditi ingenio, aut ob prodigalitatem iis abutitur: quorum alteri negotiis, alteri voluptatibus nunquam non ſunt deditι. *Plutar. in Pelopida.*

Diuitiis grauis & peruicax innaſcitur inuidia. *Ibid.*

DIVITIARVM *contemptus.*

Nogas Scytha ornamenta miſſa à Michaele Palæologo aſpernatus, rogauit, nunquid calamitates, morbos, aut mortẽ depellere poſſent? Neque enim margaritis, ſed vtilitate mouebatur. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 5.*

DIVITIARVM *mancipia.*

Qui omnia prę diuitiis humana ſpernunt, neque honori magnum locum neque virtuti putant eſſe, niſi vbi effuſè affluant opes. *Liu. Decad. 1. l. 3.*

DIVITIARVM *ornamenta.*

Ornamenta diuitiarum ſunt penes potentiam, cùm ſalua libertate, ſi eam propugnaremus facilè cętera recuperaturi ſimus: ſed ſi aliis cederemus, etiam prius parta diminuerentur. *Thucyd. l. 2.*

DIVITIARVM *oſtentatio.*

Plerique oſtentatione diuitiarũ prohibita ipſas etiam diuitias tolli, oſtentari autem eas non rebus ad vſum neceſſariis, ſed ſuperuacaneis putant. Idque ferunt Ariſtonem philoſophum maximè admiratum, quòd ij potius beati putarentur, qui ſuperflua poſſiderent, quàm quibus rerum neceſſariarũ & vtilium eſſet copia. Scopas etiam Theſſalus, cuidam amico ab ipſo petenti, quo ipſe non magnopere vteretur, ac dicenti, Nihil ſe rerum ad vſum eius neceſſariarũ poſcere. Ego quidem, inquit, maximè ob rerum inutilium & non neceſſariarum abundantiam felix & diues ſum. Omnino autem à vana, & quam turba hominum conſectatur, gloria, quaſi appendix, in vitam communem adſcita eſt admiratio earum diuitiarum, & appetitio, quæ mali naturali deſiderio inſeruiunt. *Plutar. in Catone maiore.*

DIVITIÆ *principum.*

Imperatorum diuitiæ populi diuitiæ vocantur. *G. Pachymer. hiſt. libr. 1.*

DOCTI *non irritandi.*

In rem grauem ſubeunt, qui cũ vrbe facunda & docta ſuſcipiunt inimicitias. *Plutar. in Theſeo.*

DOCTRINA.

Non tantùm celerius, ſed etiam perfectius, imbibuntur, quæ diſcũtur à pueris. *Vegetius libro primo, capit. 4.*

DOCTRINA *ſine vſu rerum, res nihili.*

Ocioſa diſciplinarum tractatio, quam libri ſuppeditant, ſiue illa tenuior, ſiue copioſior ſit, meà quidem opinione organico ſimilis eſt corpori animam deſideranti, quæ per ſenſuum experiẽtiam accedat: aut etiam variis ciborum generibus in ventrem congeſtis comparari queat, qui calorem ad concoquendum poſtulant. Nã exempla eorum in promptu ſunt, qui inani tranquillitatis ſtudio in vmbra & otio omnes animi vires eneruarunt, atque ita effœminarunt, vt nec dicere nec agere quicquam publicè auderent. *Nic. Greg. hiſt. l. 8.*

DOCTRINÆ *ſanæ ſtudium & amor.*

Verborum, quæ ad felicitatem traducunt, nulla eſſe mortalibus ſatietas debet, vel ſi quos fortè inſcitia opprimat rationis, quandoquidem eorum quæ probè dicuntur beneficia nullomodo ſunt reſpuenda. *Procop. de bello Goth. lib* 3.

DOLOR.

Accendit animos & ſtimulat dolor, iniuria, indignitas. *Liuius, Deca.* 3. *lib.* 1.

Creſcit diſſimulatione ipſa dolor, hoc altius demiſſus, quo minus profiteri licet. *Iuſtin. lib.* 8.

Vehemens dolor in conſilium peruerſum, hominem trahere aptus eſt. *Procop. de bello Vandalic. libr.* 2.

Doloris vehementis acerbitas, & robur & vires omnes abſumit, vt ne præſenti audacia rebúſque paratis vti permittat. *Idem, eod. lib.*

Id mortalium eſt ingenium, vt exiguum doloris leuamen in lucro deputemus. *Nicet. Androniç. Comn. lib.* 2.

Doloris ea natura eſt, vt continuatione ſilentij multiplicetur. Subinde enim vlceris inſtar interiora inuadés, non prius illa depaſcere deſinit, quàm penetrarit ad ipſas medullas, & principales animi partes abſumſerit. *Niceph. Gregoras, hiſt. libr.* 8.

DOLORES.

Dolores omnes, vt inſultant ignauis, ita perſiſtentibus cedunt. *Am. Marcell lib.* 25.

Qui dolum priores vſurparint, ij viciſſim ſi dolo circumuenti fuerint, non habent quod querantur. *Zonar. Annal. tom.* 2.

DOMESTICORVM *cædes.*

Omnis domeſticorum cædes ſtatim atque auribus inciderit, odioſa videtur, nomenque ipſum adfert grauem accuſationem: quippe infelices miſericordia, potentis inuidia ſequitur ac victus accepiſſe, victor attuliſſe iniuriam videtur. *Herodian. in Anton. Caracal.*

DOMINATIO.

Semper hoc vſitatum fuit, imbecilliorem à potentiore coerceri. *Thucyd. lib.* 1.

Naturâ fit, vt homines dominentur vltro cedentibus: caueant verò, ſi alij non cedant. *Idem, lib.* 4.

Æſtuantem exaſperatúmque populum tractare, & ad pacem traducere, negotium eſt non parui neque vilis laboris. *Plutarch. in Numa.*

Prima dominandi ſpes id arduo: vbi es ingreſſus, adſunt ſtudia & miniſtri. *Tacit. Annal. lib.* 4.

Populi imperium, iuxta libertatem: paucorum dominatio, regiæ libidini propior eſt. *Tacitus, Annal. lib.* 6.

DOMINATIONIS *cupido.*

Ab exiguis initiis, Merouingiorum ſeculo, Magiſtri equitum profecti, vt qui Magiſtri aulæ vocitati fuiſſent, nouas ſemper ſibi vires parientes, ad ſumma paulatim enitebantur, & Regibus deſidibus, quo cupiditas ferebat, euadebant: quòd etiam vt Reges exortam ſemel licẽtiam frenare in animum induxiſſent, iam ſui non potentes, vix inhibere potuiſſent coalitas vetuſtate, atque ideo velut legitimas vires ducum ſuorum. Adeo ſummis imperiis nihil negligendum eſt, audaciáque & dominandi cupido antequam radices agat, in ipſo exortu vindi-

vindicanda quando cùm inuetera rit, velut iure ſuo ſæuit: nec euertitur niſi magna ſua continentiúmque ruina, ſæpéque oppreſſis ipſis vindicibus. *P. Æmyl. lib.* 1.

Docent ſapientiſſimi homines, in maximis animis ſplẽdidiſſimíſque ingeniis plerunque exiſtere honoris, imperij, gloriæ, potentiæ cupiditates, nec tamẽ vllum adduci debere, vt eum iuſtitiæ patriæque capiat obliuio, cùm in imperiorum honorúmve cupiditatem inciderit. *Arn. Ferron. lib.* 7.

Vide AMBITIO.

DVBIA.

Res dubiæ in optimam partem interpretandæ ſunt. *Nicet. Manuel. Comn. lib.* 1.

DVCES *belli.*

Quales fuerint præfecti, tales etiam qui ſub ipſis ſunt, vt plurimũ euadunt. *Xenophon de pædia Cyri, lib.* 8.

Imperatorum (i. *belli Ducum*) res aduerſæ auctoritatẽ minuunt. *Cæſar. lib.* 7. *de bello Gall.*

Seueri & legum iuríſque ſeruantiſſimi imperatores amicis: faciles autem & muneribus inhiantes hoſtibus ſunt perutiles. Horum caſtra læta quidem ſunt, ſed parere neſcia: illorum, vt triſtia, ac morigera, & ad omnia parata. *Appian. lib. de bello Hiſpan.*

Felicitas rerum geſtarum exercitus beneuolentiam Imperatoribus, & res aduerſæ Odia conciliant. *Cæſar. lib.* 2. *de bello ciuili.*

Qui dextris & proprioribus compendiis eunt, obuio hoſti & aciem auſo plus cladis faciunt. *Tacit. Annal. lib.* 12.

Diſcordes Imperatores facilè poſſunt interfici. *Iul. Capitol. in Max. & Balb.*

Qui ſummæ rerum præficiuntur, vti ſe geſſerint, vel ignominiã vel laudem perpetuò referunt. *Procop. de bello Goth. lib.* 1.

Decet vtriuſque exercitus duces propria gloria ſubditorumſalutem ducere potiorem, quæve æqua & vtilia ſunt, non ſibi ſolum deligere, ſed hoſtibus vel vtcunque infenſis, & hac via præſentes difficultates diſſoluere: nam quę mediocria ſunt concupiſcere, quaſcunque demit moleſtias, contendendo verò & diſſidendo, nihil peragi poteſt quod deceat. *Idem lib.* 2.

DVCES *à quibus admonendi.*

Non ſum is, inquit Æmylius Conſul, qui non exiſtimẽ admonendos duces eſſe, imò eum qui de ſua vnius ſententia omnia gerat, ſuperbum iudico magis quàm ſapiẽtem. Quid ergo eſt? Primùm à prudentibus & propriè rei militaris peritis, & vſu doctis monendi imperatores ſunt: deinde ab his qui interſunt gerendis loco, qui hoſtem, qui temporum opportunitatem videt, qui in eodẽ velut nauigio participes ſunt periculi. *Liuius, Decad* 5. *lib.* 4.

DVCES *callidi.*

Callidi duces olim in Italia, qui crebris potius transfugiis quàm vera virtute inſignes erant, cùm diſcordiâ principum euaderent opulentiores, conſultò inter eos alebãt bella, neque ea vnquam, ſi iuſto prælio certandum foret, vlla pleniore victoria finiebant: adeo vt quæſtui potius quàm decori promercalem illam prouinciam habere viderentur. *P. Iouius, hiſt. lib.* 2.

DVCES *imprudentes.*

Fit non raró vt duces proponant temerarias ſentētias,vel quò videā tur audentiores, vel quòd magnitudinem rei quam agunt non intelligant. Ineſt autem in vtroque temeritas & inconſiderantia *Ph.Comineus lib.*3.

Nihil imprudentius imperatores faciūt,quàm quòd vocibus quibuſdam inaniter emiſſis ſe ita obſtrictos eſſe arbitrantur, vt facta verbis exæquanda cenſeant.. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.*15.

DVCES *liberales & humani.*

Liberalitas & humanitas erga inferiores præclarum ducibus viaticum eſt ad victorias & triumphos. *Niceph.Gregoras hiſt.lib.6.*

DVCES *pertinaces & inuidi.*

Studium contradicendi morbus eſt,ducum omnium maximè peculiaris;ij enim pleraque vera aut vero proxima ſuadendo, æmulorum authoritatem comminuere atque obſcurare nituntur. *P. Iouius,hiſtor. libr.*1.

DVCES *ſapientes.*

Eius qui procul bellum infert, eſt,inſtare,premere,vrgere,ocium non pati,non deſidere,non lāgueſcere,ſed agere ferréque res hoſtiū, omnia tentare.Eius autem qui bello petitur,qui ſibi ſalutem, ſuis rebus incolumitatem optat, eſt,moras hoſti innectere differre,fruſtrari impetus,ludificari virtutem,trahere tempus, opperiri dum longa dies,dum tædium hoſtem cōficiat, vires debilitet, animos frangat, ſpem inanem oſtendat.*P.Æmylius. libr.6.*

Sapientum imperatorum eſt; quàm ſæpe in bellis ex caſuum varietate cōſilia ſint immutanda perpendendo,apparatus ab initio, quo ad fieri poteſt,ad omnes caſus conſiliáque acommodare.*Fr.Guicciardin.hiſt.lib.*14.

DVCVM *in prælijs interitus.*

Eſt hæc in magnis cladibus præcipua fortunæ iniuria, vt duces ipſos de medio tollat.*Pauſan.lib.*3.

DVX *belli.*

Quemadmodum pedites equitéſque optamus vt validiores,ſi minus,vt pares,hoſti habeamus:ita duci hoſtium parem imperatorē quæramus. Quilibet nautarum vectorúmque tranquillo mari gubernare poteſt.vbi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento nauis: tum viro & gubernatore opus eſt. Non tranquillo nauigamus,ſed iam aliquot procellis ſubmerſi penè ſumus:itaque quis ad gubernacula ſedeat ſumma cura prouidendum ac præcauendum nobis eſt.*Liuius,Decad.*3.*lib.*4.

Difficillimum in primis eſt, & prælio ſtrenuum eſſe,& bonum cōſilio:quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerunque afferre ſolet.*Salluſt.de bello Iugurth.*

Nihil in bello videre maius aut mirari magis potui quàm quod imperatori nunquam adeo vlla opportuna viſa eſt victoriç occaſio quàm damno amiſſi penſaret militis ſemperque viſum eſt gloriosum quod eſſet tutiſſimum,& ante conſcientiæ quàm famæ conſultum:nec vnquam conſilia ducis iudicio exercitus, ſed exercitus prouidētia ducis rectus eſt.*Velleius,Paterc.lib.*2.

Imperator optimus eorum quæ agit iudex, vtilia ſpecioſis præferens,nō quæ vtique probantur,ſed

quæ probanda ſunt ſequitur. *Idem, ibidem.*

Admonitione frequenti vtitur & caſtigatione, vindicta rariſſima, agítque medium plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis. *Ibid.*

Ratio & conſilium ſunt propriæ ducis artes. *Tacit. hiſt. lib. 3.*

Miles vbique, licet membris vigẽtibus firmus, ſe ſolum vitamque propriam circumſpicit & defendit: Imperator verò officiorum dũ æquus omnibus alienæ cuſtos ſalutis, nihil non ad ſui ſpectare tutelã rationes populorum cognoſcit, & remedia cuncta quæ ſtatus negotiorum admittit arripere debet alacriter ſecunda Numinis voluntate delata, *Amm. Marcell. hiſt. lib* 14.

Nihil tam pulchrum, támque poſteritatis memoriæ iuſta ratione mandãdum quàm vt miles ſtrenuè factis, ductor prudenter conſultis, conſultet. *Idem, li.* 17.

Imperatori ſalus propria, cùm ſemper ad ſecuritatem omniũ, tum maximè in bello conſeruanda eſt. *Aurel. Vict. hiſt. Auguſt.*

Dux optimus ille profectò putandus, qui ex bello pacem diſponere ſit aptus. *Procop. de bello Perſ. lib.* 1.

Vnus aliquando vir magnum adfert ad ſalutem momentum. Neque verò ſemper ad generis nobilitatem, ſed ad virtutem potius & in genij bonitatem reſpiciendum eſt. *Ph. Cominæus, lib.* 7.

DVX *ſuorum militum nomina tenere debet.*

Milites Cyri dum irent ad tabernacula, inter eundum differebant inter ſeſe, quantum memoria valeret Cyrus, quàm multis mandata dediſſet, quomodo nominatim præcepiſſet. At Cyrus hoc diligente induſtria conſequutus erat, cui portenti ſimile videbatur, eos qui ſordidas artes profiteantur, tenere ſingulas artis ſuæ inſtrumentorũ appellationes, ſicut medicus & inſtrumentorum & medicamentorum omnium, quibus vtitur, nomina nouit: Imperatorem verò tam ſtupidum eſſe, vt ducum ſub ſe nomina ignoret, quibus ei tanquam inſtrumentis neceſſariò eſt vtẽdum, ſiue quid occupare, ſiue cuſtodire, ſiue animum addere, ſiue terrere voluerit.

Quinetiam ſi quem ornare aliquando velit, decori rationem poſtulare putabat, vt nominatim hũc Imperator compellet. Præterea exiſtimabat eos, qui à principe cognoſci ſe arbitrarẽtur, ſupra cæteros hoc expetere, vt præclarum aliquid in hominum oculis gererent, & à facinore turpi maiore cum alacritate abſtinerẽt. Fatuum hunc quoque ſtatuebat, imperatorẽ quum aliquid fieri velit, ità præcipere quẽadmodũ heri qui dã in familia mãdant. Eat aliquis hauſtum aquam, ligna quis findat. Nam ſi ad hunc iubeat imperator, mutuo ſe reſpicere putabat omnes, neminẽmq; imperata facere, & omnes eadem culpa teneri: neque tamen quẽquam vel pudore ob culpam adfici, vel ſibi metuere, quoniam cum multis ipſi ea communis ſit. Has ob cauſas quoties aliquid mandaret, omnes nominabat. *Xenoph. de inſtitut. Cyri, lib.* 5.

DVCIS *exemplum.*

Iucundiſſimum eſt ſpectaculum dux in oculis militum eodem pane veſcẽs, aut in vili toro quieſcẽs, aut in foſſa vel aggere faciendo operam communem præſtans. non

enim eos duces perinde in oculis ferunt, qui honores aut pecuniam largiuntur, quam hos qui laboris periculorúmque in ſeſe partem recipiunt: magíſque amant laborum ſocietatem eos incuntes, quàm ocium indulgentes. *Plutarc. in Mario.*

DVCIS *& militis labores diuerſi.*

Scitò ſimilia corpora imperatoris ac militis iiſdem laboribus non ſimiliter affici. Honos enim labores imperatori leuiores efficit, & hoc quòd intelligit in hominum eſſe oculis quicquid faciat. Sed vbi habebunt milites commeatum, iidémque bene valebunt & labores perferre poterunt, bellicíſque artibus exercitati erunt, & cupient viri apparere fortiſſimi, libentiúſque obire imperata volent quàm detrectare, nónne quis tibi ſapere videatur ſi voluerit quam celerrimè cum hoſtibus manum conſerere? *Xenophon de pædia Cyri, lib. 1.*

DVCIS *laus.*

Ducis ſũma laus eſt, vt vel ſaluus vincat, vel virtute vitam finiens occumbat: ſic enim non paſſus aliquid, ſed egiſſe, moriendo exiſtimatur. *Plutarch. in Pelopida & Marcelli comparatione.*

DVCIS *præcipuum opus.*

Illud ducis præcipuum opus eſt, vt milites beneuolentia ſibi obſtrictos, dicto obedientes habeat, *Plutarch. in comparat. Cimonis & Luculli.*

DVCIS *miſeria.*

Platoni bonum ducem nihil efficere poſſe perhibẽti, niſi eodem modo affectum & moderatum habeat exercitum, virtutémque obtẽperandi hauddminus quàm regiam exiſtimanti indigere generoſa indole, & educatione philoſophica, quæ præſertim manſuetudine temperet vehemẽtiam iracundiáoque animi: cum alij multi caſus teſtimonium perhibent, tum ea quæ poſt Neronis obitum, ſub Galba, Othone & Vitellio, Romanis acciderũt. *Plutarch. in Galba.*

DVCIS *mors.*

Duce dignam mortẽ, vt ait Theophraſtus, dux oppetere debet, non leuis alicuius armigeri. *Plutarch. in Sertorio.*

DVX *bonus.*

Boni ducis nomen maximis & ſummum momentum habentibus factis conſiliíſque bellis tribuitur. *Plutarch. in comparat. Ageſilai & Pompeij.*

DVX *cautus eſſe debet.*

Si, vt Iphicrates diſtinxit, manibus leuis armatura, pedibus equites, ipſa autem phalanx pectori & thoraci, capiti dux reſpondet: ſanè hic ſi temere pericula adeat, non ſui ipſius, ſed omnium eorum quorum ſalus ab ipſo pẽdet curam abiecisse cẽſebitur: atque idem de diuerſa parte ſentiendum. *Plutarch. in Pelopida.*

Ducis prima cura eſſe debet, vt eum conſeruet, à quo ſalus reliquorum omnium pendet. *Ibid.*

Quando pugna ducis magnum ad ſummam rei momẽtum adfert, manibus ei eſt totóque corpore vtẽdum, neque parcendum vitæ: iuſſis valere iis, qui imperatorem bonum aut ſenẽ, aut ſenectuti certe vicinum mori debere aſſe runt. vbi verò parum profici poteſt, eius audaciam fortuna adiuuante, contra verò eius caſum pernicies rerum comitatur, nemo iam cum periculo ducis rẽ geri à milite velit. *Ibi.*

DVX

DVX *conflator.*

Huic cauta potius conſilia cum ratione quàm proſpera ex caſu placent: ſatis citò incipi victoriam ratus, vbi prouiſum eſt, ne vincatur. *Tacit.hiſt.lib.2.*

DVX *egregius.*

Egregij imperatoris eſt, non ſolùm præſentia rectè agere, ſed & futura proſpicere. *Plutarch.in compar. Pericl.& Fab.Max.*

DVX *egregius & felix.*

Bello res proſperè ab eo partim audaci celeritate, partim conſilio, tum alacri amicorum miniſterio, & confidentia in periculis, opportunorúmque cõſiliorum vſu gerit. *Plutarch.in Æmyl.Paulo.*

DVX *fortis.*

Militum eſt, intueri cuius ductu auſpicióque ineunda pugna ſit: vtrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator ſit: verbis tantùm ferox, operum militarium expers: an qui & ipſe tela tractare, procedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ ſciat. *Liuius, Decad.1. libr.7.*

Nullum in pugnæ trepidatione conſtantis ducis aut fortiſſimi militis officium omittit: occurſat pauentibus, retinet cedentes: vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, inſignis, hoſti, cõſpicuus ſuis. *Tacit.hiſt.lib.3.*

Ea maximè ſalutaria conſilia videntur quæ impauidi animi & bellici decoris plena apparent: ſpes enim & metus bello natura æqualiter diuiſa ſunt, ſed is ſemper euadit victor qui prima alieni pauoris ſigna deprehẽderet, & inclinatis protinus inſtaret: neque enim vlla ſatis valida, ſemel conuerſis ac reſpectãtibus, vel amnium vel montium ſunt munimenta. Forti igitur duce milites de matura cumulatáque victoria minimè deſperare debent. *P.Iouius, lib.3.*

DVX *patiens laborum.*

Penuria aquæ, feruida æſtas, longinqua itinera, ſola ducis patientia mitigantur, eodem plura quàm gregario milite tolerante. *Tacitus, annal.lib.14.*

DVCIS *præclari officium.*

Bellicæ res eiuſmodi ſunt, vt nõ deceat imperatorem deeſſe vel intelligendo ea quæ neceſſe eſt, vel gerendo quæ vſus poſtulat. Et ſi imperatores raro conſpiciuntur, multa omittuntur quæ gerenda erant. *Xenoph.de inſtitut.Cyri, li.7.*

Præcipuum præclari ducis eſt officiũ, vt qua parte præualet, ea hoſtem ad prælium committendum cogat: qua infirmior, ea caueat ne confligere cogatur. *Plutarch.in compar. Ageſilai & Pompeij.*

Boni & omnibus numeris abſoluti ducis officium eſt ſuam gloriã poſt ciuium famam ponere. *Plutarch.in Mario.*

DVX *prudens.*

Laboris eſt patientiſſimus, ac virtutis ſuorum quotidie periculum facit: ſi quidẽ in gymnaſiis, & quum ducit exercitus aſſiduè ſe armis exercitat. Ac quoſcunque ex peregrino milite molles cernit, illos reiicit: quos verò laboris patientes, & in periculis contra hoſtem audaces cognoſcit, honorat, alios duplo, alios triplo, alios etiam quadruplo ſtipendio, nec non aliis afficit muneribus: languentes curat, mortuóſque funeris magnificẽtia decorat, ita vt omnes milites peregrini qui ſub eo militant planè nouerint bellicam virtutem & dignitatis & vti-

litatis plurimũ ſibi afferre. *Xenoph. de reb.geſt.Grac.lib.6.*

Si quid clam & per inſidias, vel palam & vi aperta agere aggreditur, haud multũ propoſito fruſtratur. Nouit præterea nocte non ſecus ac die vti: & quum res exigit, prandio cœnáque ſimul ſumpta laborat, ac tum demum ſibi quieſcendum eſſe arbitratur quum eo quò deſiderat peruenerit, rémque ex animi ſententia confecerit. Nouit & quemadmodum militum deſiderio, quum quid egregium perpetrauerint, ſatisfaciẽdum ſit: ita vt cuncti qui ſub eo merent, certiſſimè ſciant labores otium parere. Ipſe verò ſupra omnes homines voluptatum eſt contemptor, adeo vt nullis vnquam voluptatis illecebris à recto & honeſto abducatur. *Idem, ibidem.*

Si quis dux pro ſe cautus eſt, & captata occaſione hoſtem opportunè inuadit, is plerunque fit voti compos. *Thucyd.lib.3.*

Prudentis imperatoris officium eſt, nõ malè audire apud alios, ſed ſe mereſe in diſcrimẽ mittere, ac quæ tuta ſũt dimittere, turpe exiſtimat. *Plutarch.in Cleomene.*

Imperatoris eſt (*dictum Sertorij*) à tergo magis quàm à fronte proſpicere. *Plutarch.in Sertorio.*

Quod ad bellum atque hoſtes quoſdam attinet, ſæpius plus ibi minarum quàm periculi ſit, tamen vt nihil timendi, ſic nihil contemnendi author eſt. *Liuius, Decad.1.li.6.*

Ne res victoriæ obſtet, temperandum ingenium ſuum eſſe, & ſeueritatem miſcẽdam comitati ſentit. *Liuius, Decad.1.lib.8.*

Id eſt viri & ducis, non deeſſe fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium. *Liuius, Decad. 3.lib.8.*

In pugna alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes ſpe promiſsíſque accendit. *Tacitus, hiſtor.lib.3.*

Diſcordes animis, diſcretos viribus hoſtium exercitus aggreditur, antequam ducibus auctoritas, militi obſequium, & iunctis legionibus fiducia redeat. *Idem, eod.lib.*

Quum Gallorum exercitus, incommodis bellicis oppreſſus Mediolano (quod antea obſederat) recedere cogeretur, non modo milites & populus, verum etiam tribuni militũ qui Mediolani erant & ſummæ authoritatis viri. Proſperum Columnam, Cæſarianum præfectũ, ſe in Gallos duci vehementer poſtulabant, victoriæ facilitatem ei oſtendẽtes: quòd viribus haud quaquam ſe hoſtibus inferiores, animo verò ac virtute longè ſuperiores eſſe viderentur: quòd fieri non poſſet quin is receptus maximæ illius exercitus parti haud leuem timorem inieciſſet, quod & multi Itali milites eadem hora ab illorum caſtris profecti confirmabant. Proponebant illi infinitam gloriam, nominíſque ipſius immortalitatem, ſi tot iam partas victorias hac poſtrema laude & triumpho confirmaret. At in Proſperi animo ſemper, vt quantum poſſet ne ſe fortunæ arbitrio ſubiiceret fixum erat, ideóque in ſententia ſua haud ſecus ac firmiſſima turris contra ventorum impetum, immotus permanebat, & minimè ſapientis imperatoris eſſe populi vocibus moueri, vel milites ſuos in eos hoſtes ducere, quibus nulla alia præterquam defen-

ſenſionis ſuæ ſpes reliqua eſſet, reſpondebat: ſatis magnam victoriam, & ſatis amplam gloriam partam eſſe in eo quòd hoſtes ſine ſuo periculo & ſanguine diſcedere coegiſſent, neque hominum cupiditatem infinitam eſſe debere, poſſe vnumquemuis per ſe facilè videre, longe maius, ſi res improſperè cederet, fore detrimentum, quàm emolumentum ſi proſperè eueniret. Se res ſuas ſemper his artibus ad honoratum finem perduxiſſe, ſempérque plus ducibus temeritatis infamiam obfuiſſe, quam victoriæ gloriam profuiſſe, experientia didiciſſe: propterea quòd in eius partem nemo veniret, tota & integra imperatori tribueretur, rerum verò in præliis feliciter geſtarum laudem hominum ſaltem opinione cum multis communicari. Nolle ſe, quum iam morti proximus eſſet, noua conſilia ſequi, eáque deſerere, quibus in tota vita retentis gloriam, vtilitatē, amplitudinémque eſſet adeptus. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 15.*

Non ea rectè improbantur Conſilia, quibus cautus imperator atque hoſtium expertus magnis periculis occurrendum eſſe ducit. *P. Iouius, hiſt. lib. 11.*

DVCIS *prudentis officium.*

Optimi ducis officium exiſtimandum eſt, poſſe non ſolùm vincendi, verum etiam cedēdi tempora perſpicere. *Polyb. lib. 1.*

Errat quiſquis opinatur aliquod magis proprium optimi ducis officium eſſe quàm conſilia & naturam hoſtis intelligere. Nam quemadmodum in ſingulari certamine oportet locum, vbi aduerſarium feriat, ſpeculari, & quæ pars corporis nuda, quæ inermis ſit, diligenter animaduertere: ita vbi de ſumma rerum agitur, inueſtigandum eſt: non vbi nudæ ſint corporis partes, ſed vbi ſit ducis aduerſarij animus. Multi ſiquidem per ignauiam atque ſocordiam, non ſolùm communes actiones, ſed etiam quæ ad priuatam vitam ſpectant ſæpius prætereunt. Alij vino dediti, niſi ebrij ac temulenti ſint, ſomnum capere non poſſunt. Non nulli res venereas præter modum ſectantes, non modò ciuitates atque reſpublicas euertunt, verùm etiam cum dedecore vitam amittunt. Adhæc timiditas atque formido in priuatis quidem hominibus opprobrij ac turpitudinis plena, at in duce exercitus maximarum cladium aliquando cauſa eſt. Petulantia verò, & temeritas, & iracundia, præterea etiam faſtus atque iactantia, vt hoſtibus percommoda, ita ſuis exitio ſunt. Facile enim huiuſmodi homines ad omnes machinas atque inſidias hoſtium patent. Quamobrem ſi quis inueſtigatis aduerſariorum vitiis occaſionem aliquam præſtiterit, qua poſtmodum ducem hoſtium irretire valeat, eueſtigio rerum potietur. Quemadmodum enim nauis ſublato gubernatore, facilè in poteſtatem hoſtium venit: eodem modo ſi quis in bello rationibus atque conſiliis ducem è medio ſuſtulerit, ſtatim reliqui quoque exercitus compos fiet. *Polyb. libro 3.*

Dux cuius fidei atque virtuti poſſeſſorum fortunæ, tutelæ vrbium, ſalus militū, reipublicæ creditur gloria, non tantùm pro vni-

uerſo exercitu, ſed etiam pro ſingulis contubernalibus debet eſſe ſolicitus. Si quid enim illis eueniat in bello, & ipſius culpa, & publica videtur iniuria. Ergo ſi tyronem, vel diu armis deſuetum exercitum ducit, ſingularum legionum ſiue auxiliorum, nec non etiam vexillationum vires, animos, conſuetudinem, diligenter exploret.

Sciat etiam (ſi poteſt fieri) nominatim, quis comes, quis tribunus, quis domeſticus, quis contubernalis, quantum poſſit in bello, autoritatémque maximam ſeueritate ſumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoſcere, in diuerſis locis, in diuerſis occaſionibus omnium experimenta præcipiat.

His (vt oportet) curatis, cum diſperſi ad prædandum ſecuri oberrant hoſtes, tunc probatos equites, ſiue pedites cum tyronibus aut inferioribus mittat, vt ex occaſione fuſis inimicis, & illis peritia, & reliquis creſcat audacia. Ad tranſitus fluuiorum, ad præcipitia montium, ad ſiluarum anguſtias, ad paludum & viarum difficultates, ſuperuentus nullo ſciente diſponat, atque iter ſuum ita temperet, vt aut cibum capientes, aut dormientes, aut vagantes, ſecures, inermes, diſcalciatos, diſtratis equis, nihil ſuſpicantes, ipſe paratus inuadat, quatenus in huiuſmodi certaminibus ſui fiduciam colligant. Nam qui ante longum tẽpus, aut omnino nunquàm viderunt homines vulnerari, vel occidi, cùm primùm adſpexerint, perhorreſcunt: & pauore confuſi, de fuga magis quàm de conflictu incipiunt cogitare. Prætereà ſi excurrant aduerſarij, longo itinere fatigatos aggrediatur, & vltimos vel certè inſperatos ſuperueniat. Eos etiam qui longè à ſuis aut pabuli aut prædæ gratia commorantur, ſubito occupet cum dilectis. Illa enim ante tentanda ſunt, quæ ſi malè ceſſerint minus noceant: ſi bene, plurimùm proſint.

Inter hoſtes diſcordiarum ſerere cauſas ſapientis eſt ducis. Nulla enim, quamuis minima natio, poteſt ab aduerſariis perdeleri, niſi propriis ſimultatibus ſeipſa conſumpſerit. Nam ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad vtilitatem ſuæ defenſionis incautum. *Veget. lib. 3. cap. 10.*

DVX *ſapiens.*

In militaribus imperiis eo potiſſimum nomine Pericles laudatus eſt, quod ſecuritati ſtuderet, ac neque pugnam cõſereret incerto euentu, & periculis multis propoſitis: neque imitaretur eos duces, qui cum temerè in diſcrimen pugnæ rem adduxiſſent, proſpero vſu ſucceſſu magni habebantur, ſolitus etiam crebro ad ciues ſuos dicere, quantum in ſe poſitum eſſet, ipſos nunquam morituros. *Plutarc. in Pericle.*

Bono Imperatori haud magni fortuna momenti eſt, mens ratióque dominatur: ſe ſæuo ſemp ore, & ſine ignominia ſeruaſſe exercitum, quàm multa millia hominum occidiſſe, maiorem gloriam eſſe ducit. *Liuius, Decad. 3. lib. 2.*

Ea ſatis decora ſunt ducis conſilia, quæ dubiis rebus ſecuritatem promittunt: illa verò longè turpiſſima atque miſerrima, quæ ab ipſa temeritate, dum inanem animi vigorem

gorem oſtentamus, omnes ſummæ rei conceptæque demum victoriæ rationes conturbare conſueuerunt. *P. Iouius, hiſt. lib. 3.*

Reſpicere ad ſummam belli atque omni induſtria præſentibus malis occurrere, ſani & prudentis eſt Imperatoris. *Idem, lib. 11.*

DVX *animi impotens.*

Quando non pro ſpe conſilia factaque eius æſtimantur, ægrè id patitur, & culpam in primarium aulicum confert, cuius criminationibus coaluiſſe pericula ſua conqueritur: nec ſermonibus temperat, immodicus linguæ, & obſequij inſolens: literas ad principem componit iactantius quàm deceet, nec ſine occulta in primarium aulicum inſectatione: res fortiter à ſe geſtas prolixè recenſet, imprudenter facta excuſat: non ſe nunciis neque epiſtolis, ſed manu & armis imperatori ſuo militare ait, neque officere gloriæ eorum, qui alias prouincias interim compoſuerint, illis harum pacem, ſibi ſalutem ſecuri ſaremque nobilioris prouinciæ cordi fuiſſe, ſuis exhortationibus validiſſimas terrarũ partes ad principem conuerſas: ſed cecidiſſe in irritum labores, ſi præmia periculorum ſoli aſſequantur, qui periculis non adfuerint. *Tacitus, hiſtor. libr. 3.*

DVX *à ſuis exagitatus.*

Quo in exercitu imperator rumoribus vulgi exagitatur, nihil eſt ſalutare. *Arn. Ferron. lib. 3.*

DVX *ignauus.*

Grauiter peccaſſe Clearchus videtur, qui in pugna pro Cyro iuniore contra Artoxerxẽ aduerſos regi conſtituere Græcos noluit, ſed dextrum cornu ad amnem appli-cuit, ne circumueniretur. Ei enim qui quod tutum ſit vbique ſectatur, neque magis quicquam curat, quàm ne quid incommodi patiatur, nihil erat conſultius quam domi reſidere: qui verò in armis à mari in ſuperiores regiones per x. ſtadiorũ millia profectus eſſet nulla actus neceſſitate, ſed tantùm in ſolio collocandi Cyri cauſa: atque is deinde circunſpiceret locum & ſtationem, non vnde ſalutem duci ſuo & ſtipẽdiũ præbenti ferret, ſed vnde ipſe quàm minimò periculo & quaſi per otiũ pugnaret: videtur ille quidẽ mihi, metu præſentis periculi, conſiliis de ſumma rerum initis excuſſis, ducis officiũ proieciſſe. *Plutarch. in Artoxerxe.*

Inutili cunctatione, agendi tempora conſultando conſumit. *Tacit. hiſt. lib. 3.*

DVX *imprudens.*

Inutilis eſt princeps, aut dux, qui non ſingula diſcrimina intelligit, à quibus ducem potiſſimum abeſſe oportet, ne ſimul cum eo vniuerſa rerum ſumma periclitetur. Quis namque ignorat, quod ſi quãdo temporum neceſſitas aliquid ſingularium rerum facere cogit, multis qui vnà comprehẽduntur occũbendum eſt, priuſquam malum eos contingat, qui ſupremas tenẽt? Debet enim, iuxta prouerbium, experiẽtia ſubitò fieri nõ in duce. Quod nanque dici ſolet, *Non putabam*: &, *Quiſnam hoc futurum ſperaſſet*, maximum mihi videtur habere inſcitiæ ducis ac oſcitantiæ argumentum. Quapropter & Annibalem multis nominib⁹ inter bonos duces numero, qui ob id potiſſimum celebrari poteſt, quod & multum tẽporis in bellicis rebus conuerſatus eſt, &

multis variiſque occaſionibus vſus, hoſtes ſæpenumero in particularibus negotiis ſuapte induſtria fruſtrauit: ipſe verò in tot ac tâtis certaminibus nunquam fruſtratus eſt, tanta videlicet prouidentia (vt apparens) ſibi cauẽs. Et meritò quidẽ. Nam duce ſaluo, etiam ſi aliquâdo reliqua cadant, multas tamen occaſiones fortuna ſubminiſtrat, quibus detrimenta ex calamitoſis euentibus accepta ſarciri poſſunt: ſi autẽ ille, perinde ac in naui gubernator ceciderit, etiam ſi reliquæ multitudini fortuna victoriã aduerſus hoſtes largiatur, nihil tamẽ commodi inde prouenit, propterea quòd omnis omnium ſpes pendet à ducibus. Hæc mihi aduerſus eos dicuntur, qui vel propter inanis gloriæ ſtudium, vel iuuenili impetu, ſiue per imperitiam, ſiue per aliorũ contemptum in huiuſmodi periculum incurrunt. Oportet enim vnam ex iſtis huiuſmodi calamitatum & caſuum cauſam fieri. *Polyb hiſt. lib.* 10.

Eſt idem error in imperatore, vel in malum improuiſum incidere, vel propter incredulitatem dimittere rei bene gerendę occaſionem: vna enim imperitia & audaciam parit & diffidentiam. *Plutarch. in compar. Pericl. & Fab. Max.*

Pompeium, exiſtimationis retinendæ cupidum, dicaces homines & ſycophantæ, amicorum verecundia victum cõpulerunt, vti optimis conſiliis omiſſis, voluntates eorum ſpẽſque ſequeretur. Quod ſanè vel nauis gubernatori indecorum erat facere, nedum tot gentium exercituumque imperatori. atque is medicos laudare ſolitus, qui nihil vnquam ægroti cupiditatibus quicquam indulſiſſent, malè ſanis inexercitu ſuo ducibus conceſſit, metuens ne ſalutem afferendo moleſtus eſſet. Sanos enim illos ego nequaquam cẽſuero, qui in caſtris obambulantes, iam tum conſulatus & præturas ambiebant. *Plutarch. in Pompeio.*

DVX *inutilis.*

Leo hinnulorum dux ad bellum gerendum aptus eſſe non poteſt. *Dio. in M. Anton. Phil.*

E

EBRIETAS.

Vino, reliquiſque rebus ad luxuriam pertinentibus relangueſcunt animi, eorúmque remittitur virtus. *Cæſar, lib. 2. de bello Gall.*

Si quis Barbarus proximum per ebrietatem occiderit, ac venia propterea poſtulata ſe crimine ſolutũ dixerit, peccata licẽtia lõgè fuerint peiora. Neque enim vlla ratione fas ebrium eſſe, multò minus in exercitu fas militi proximos ob id interficere. Ipſa enim temulentia, vel cęde nõ cõſequẽte, pœna eſt digna: quanto magis ſi cædes cõſequatur, multóque item magis in proximũ quàm in alienum. *Procop. de bello Vandilico, lib. 1.*

ECCLESIA.

Malè habet Eccleſia, cùm eius proceres pauperes, & nullo in honore ſunt. *G. Pachymer. hiſtor. Libro* 12.

ECLIPSES *Solis.*

Terrena mala huiuſmodi cœleſtium luminum affectionibus ſignificari extra controuerſiam eſſe puto: niſi fortè quiſpiam rixis inanibus delectetur. Cui ſi quis ea quæ

in huius vniuerſitatis theatro aliis atque aliis tẽporibus eueniunt,perſuadere verbis inſtituat,eius inane ac ſuperuacaneũ fuerit ſtudium,ob ſtinatis dare mentẽ conantis.Quod enim in vnius hominis corpore fit, idem etiam in corpore huius vniuerſi contingit.Vnum enim mũdus corpus eſt cohærens,& membris & partibus vt homo compoſitum , & vt hic,capitis aut colli affectio effi caciorem noxam ad tibias aut talos eiaculatur : ſic etiam in mundi corpore cœleſtium luminum affe ctiones in terra figuntur , in eáque vires ſuas exercent. *Niceph. Gregoras,hiſt.lib.4.*

EDVCATIO.

Facit aliquid ad mores honeſta educatio & bonorum conſuetudo. *Plutarch.in Bruto.*

EFFECTVS.

Rerum effectus,indubitata artis approbatio ſemper eſt.*Veget.lib.2. in præfat.*

EFFECTVS *cauſis ſublatis non ſemper ideo remouentur.*

Ferdinandus quũ corrigere quod imprudenter commiſerat cuperet, reiectis prorſus conſiliis quæ non ſecuritatem ſed grauiores moleſtias paritura iudicabat, ſibi omnibus neruis , non iam ſimulatè , ſed ſincerè enitendum ſtatuit,vt caſtel lorum controuerſiam componeret,illud ratus,ſublata tanti diſſidij cauſa , exiguo labore ,imò per ſe propemodum Italia in priſtinum ſtatum eſſet reuerſura.Verùm non ſemper cauſis ſublatis , ea quæ ab illis ſunt orta primùm remouẽtur. *Fr.Guicciardin.hiſt lib.1.*

EGESTAS.

Egeſtatem fateri non eſt deforme, ſed deforme eſt non laborare, vt eam effugias.*Thucyd.lib.2.*

ELOQVENTIA.

Pauca quædam verba tempeſtiuè à viro fide digno prolata,mortales ſæpenumero non ſolùm à maximis malis auertunt, ſed & ad res optimas incitant. Quòd ſi is qui alios admonet vitã ſuam dictis conformem reddiderit , neceſſe eſt vt cum primis fidem inueniat ipſius admonitio.*Polyb.hiſt.lib.11.*

Veteres oratores famam in poſteros, præmia eloquentiæ cogitauerunt pulcherrima.*Tacit.ann.lib.11.*

Eloquentia bonarum artium princeps ſordidis miniſteriis fœdatur. *Idem,ibid.*

Eloquentia non contingit gratuitò,cùm ob eam acquirendam omittantur curę familiares. *Eod.lib.*

Quum nihil tam incorruptũ eſſe debeat in Repub. quàm ſuffragiũ, quàm ſententia , non intelligo cur qui pecunia corruperit , pœna dignus ſit:qui eloquentiâ,laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus ea mali facere videtur qui oratione quàm qui precio iudicẽ corrum pit: quòd pecuniâ corrumpere prudentem nemo poteſt , dicendo poteſt *Amm Marcell.lib.30.*

Eſt Eloquentia ipſa res quædam difficilis oppugnatu , quippe quæ vniuerſos mortales & capere,& perterrefacere queat,eos pręcipuè,qui nondum fuerint quid de ſe oratio valeat,periclitati.Sed non omnino prudenti hæc animo , & ex rerum pendenti iudicio non peruincibilis eſt.*Agath.hiſt.lib.3.*

ELOQVENTIÆ *vis.*

Cicero præſertim oſtendit Romanis quantum ſuauitatis eloquẽtia rebus honeſtis conciliet, vtque

id quod iuſtum eſt, ſi oratione recte exprimatur, inuictum ſit. *Idem in Cicerone.*

Vt nomiſma exiguo pondere plurimum precij continet: ita vis dicendi paucis vocibus multa indicat. *Plutarch. in Phocione & Demoſthene.*

ELOQVENTIÆ *& loquentiæ diſcrimen.*

Bonum argumentum bene tractare, quantumuis prolixè id fiat, gloriam parit, nec laude ſua caret. In nugis verò & rebus abſurdis idem facere, nec laudis quicquam habet, & haud iniuria deridetur. Fertur etiam Philippus Alexādrum filium deriſiſſe, quod cithara bellè caneret: quod turpe eſſet, generoſum hominem ingenium in vilibus rebus oſtentare. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib. 9.*

ERRATA *domeſtica.*

Magis metuo errata domeſtica quàm hoſtium conſilia. *Thucyd. lib. 1.*

ERROR.

Temeritati proximus eſt error: quemadmodum ad lædendum par, ita cui facilius quis ignouerit: quia non ſua ſponte, ſed vanis cōcitatus imaginibus culpæ ſe implicat. Qui quàm latè in pectoribus hominum vagetur, ſi quis complecti velit, vitio de quo agitur fiet obnoxius. *Valer. Max. lib. 9. cap. 9.*

Magnum periculum eſt, quocunque modo à vera ſententia aberrare. *G. Pachymer. hiſt lib. 5.*

ERVDITIO.

Doctrina (vel eruditio) vel meliores reddit homines, vel deteriores pro cuiuſque natura & inclinatione: ſed tamen veriſimilius eſt aliquem ea fieri meliorem. Nam quò quiſque magis quid ſe deceat intelligit, eò vehementius ipſum neglecti pudet officij: & etiam ſi non omnino ſibi à maleficio temperet, tamen cauet ne planè modum excedat. Ac iſtud quidem vſu compertū habeo. Multos enim noui, quos à prauis & illaudatis cōſiliis eruditio ſola retraxit. Huc etiam accedit metus diuini Numinis. Quanta enim ſit peccati magnitudo & quā topere Deus offendatur flagitiis, docti paulò melius, quàm homines imperiti, cognoſcunt. *Ph. Comineus lib. 10.*

ERVPTIONES.

Eruptiones tametſi neceſſariò aliquando fiant, valde tamen ſunt iis, qui obſidentur, periculoſæ. Nullam enim iſti faciunt tam paruam iacturam, quin eis, & propter paucitatem ipſorum, & ſimul propter difficultatē recuperandi noua præſidia, longè maxima videri debeat. *Ph. Comineus, lib. 3.*

EVENTVS.

Euentus ſtultorum magiſter eſt. *Liuius, Decad. 3. lib. 2.*

EVENTVS *bellorum fallaces.*

Nuſquam minus quàm in bello euentus reſpondent. *Liuius, Decad. 3. lib. 10.*

Qui ſperatam victoriam nulla dubij euentus æquitate præfiniunt, ſumma & immoderata cupientes, ſæpe aduerſam, non ſemper æqui Martis vim experiuntur. *P. Iouius. hiſt. lib. 4.*

EVENTVS *rerum.*

Vtrunque fieri poteſt, (*inquit Pericles,*) vt & rectè deliberata fortuitis caſibus impediantur, & in ipſis cōſiliis errent homines. Id eo fortunam ſi quid accidit præter opinionem

nem cauſam eſſe ducimus. *Thucyd. libr.1.*

Fortunæ inopinati ſunt euentus, atque ideo hominibus ineuitabiles. *Arrian.hiſt.lib.5.*

Hominibus haudquaquã ex animi ſententia cuncta eueniunt. *Pauſan.lib.2.*

Vſu receptum eſt, vt qui rem aliquam non rectè aggreſſi, tamen feliciter perficiunt. optimo conſilio vſi exiſtimentur: alij contrà ſtultitiæ culpentur, quum re optimè deliberata, voti compotes facti non ſunt. *Dion,lib.45.*

Proſperitas ſimul vtilitãſque cõſultorũ nõ vbique concordant: quoniam cœptorum euentus ſuperæ ſibi vindicant poteſtates. *Amm.Marcell.lib.25.*

Quò res difficilior periculoſiórque videtur, eo faciliorẽ tutiorém que exitum habere ſolet & quanto euenta magis improuiſa atque inexpectata ſunt, tantò magis homines terrent ac perturbant. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.11.*

Naturâ id inſitum eſt, vt conſilia euentis ponderemus, ac cui fauſtè quid contigerit, prudentiſſimè illũ prouidiſſe, cui infeliciter, malè ſenſiſſe iudicemus. *Arn. Ferron. libr.7.*

EVENTVS *rerum quomodo conſiderandi.*

Non licet ex rebus proſperè ſiue infeliciter geſtis virtutem à vitio, aut laudatum hominem ab illaudato diſcernere. Hæc ex euentu rerum non rectè poſſunt iudicari, cùm ſæpenumero ea quæ factu optima videtur, niſi opportunè fiãt ingentes adferant iacturas: & è contrario qui in aduerſum aliquem caſum inciderũt, ſi id forti ac magno animo tolerent, plerunque fortunã ſuam in melius vertunt. *Polyb.lib.3.*

EXACTIONES.

Bellis vndique ingruentibus, exactiones ſunt Reipublicæ omnino neceſſariæ. *G.Pachym.r.hiſt.lib.10.*

EXEMPLA.

Satis exemplorum nobis alienæ clades prębet, ne quæramus quemadmodum cæteris exemplo ſimus. *Liuius, Decad.4.lib.2.*

Omnia mala exempla ex bonis initiis orta ſunt. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur, *Tacit. Annal.lib.14.*

Exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gignuntur. *Tacit. Annal.lib.15.*

Diutius durant exempla quàm mores. *Tacit hiſt.lib.4.*

EXEMPLA *mala.*

Non ibi conſiſtunt exempla, vnde cœperũt: ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem latiſſimè euagandi ſibi viam faciunt: & vbi ſemel recto deerratum eſt, in præceps peruenitur. nec quiſquam ſibi putat turpe quod alij fuit fructuoſum. *Velleius Paterc.lib.2.*

EXEMPLA *vitiorum.*

Priſci Spartani in ſolennibus feſtiuitatibus ſeruos ſuos multum meri bibere coactos in conuiuia introduxerunt, vt iunioribus oſtenderent quid rei eſſet ebrietas. Nos tametſi eam correctionem hominum, quæ aliorum vitiis cõmemorandis fit, nõ admodum humanam atque ciuilem iudicamus: nihilominus haud malè nos facturos putamus, ſi vnũ atque alterum par eorũ,

qui ſumma potentia, ampliſſimiſque rebus imprudentius vſi, illuſtria vitiorum documenta præbuiſſent, in hæc vitarum exempla inſereremus: non me hercule eó, vt varietate operis lectorem oblectemus, ſed quod ita demum attentiores præſtantium exemplorum ſpectatores imitatoréſque futuros exiſtimamus, ſi ne mala quidem incognita habeât. quomodo Iſmenias Thebanus diſcipulis ſuis & bene & malè ca nentes tibia oſtendens dicere ſolebat, Ita canendum eſt, ita non canendum eſt: & Antigenidas eo ſuauius audituros bonũ tibicinem adoleſcentes exiſtimabat, ſi malum experti fuiſſent. *Plutar. in Demet.*

Exemplorvm *vſus.*

Excellentiſſima facta animaduertendi, ne mediocria quidẽ præſtare rubori oportet eſſe. *Val. Maxim. l. 4. c. 6.*

Exercitatio.

Plus ad virtutem confert exercitatio quam genus. *Appia. l. 3. de bel. ciuil.*

Exercitvs.

Qua via exercitui facillima, eadem eſt breuiſſima. *Xen. de pæd. Cyri, lib. 2.*

Quonam modo validior phalanx fieri queat, quàm quę obtemperando bene inſtructa ſit, & ſuum amando principem fideliter adſit? *Xenoph. Orat. de Agiſilai laudibus.*

Diſcors exercitus nec ad vnum intentus imperium vario tumultu cuncta turbat. *Curt. l. 3.*

Militaris ſine duce turba, corpus ſine ſpiritu. *l. 10.*

Patientia periculorum bellíque experiẽtia duratur exercitus. *Vell. Paterc. lib. 2.*

Tanti eſt exercitus, quanti Imperator. *L. Flor. l. 2. c. 18.*

Exercitus labore proficit, ocio conſeneſcit. *Vegetius libr. tertio, capit. 26.*

Non tam timere quàm amore poſſid eri debet exercitus. *P. Diacon. in Hera. lio.*

Imperatoria acies ſtat non armis, ſed iuſtis cauſis. *Sudas in Valent. Iun.*

Nulla re magis quàm commeatus inopia exercitus vincitur. *P. Iouius, hiſt. l. 13.*

Exercitvs *apta collocatio.*

Arbitrabatur Cyrus etiam in familia præclarum eſſe ſtudium collocationis aptę, (nam ſi quò re quis fortaſſe indiget, planum eſt, quò ire debeat, vt eam capiat) ſed multò præclarius exiſtimabat eſſe, militares tribus apta collocatione diſtribui. Nam quanto magis ſubita ſunt in bellicis rebus temporum momenta: tanto plus ab iis delinquitur, qui tardius in iis ſe gerunt. Per illos verò qui maturè adſunt, ea fieri videbat, quæ bellicis in rebus quantiuis pretij ſunt. Quę cauſa fuit, vt aptæ collocationis eſſet perſtudioſus. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib. 8.*

Exercitvs *& dux cladis proximus.*

Facilè ſuperatur qui ſeneſcit in dies, qui non commeatus, non ſupplementum, non pecuniam habet. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Exercitvs *cui committendus.*

Græcorum, qui Spartanos bello aggreſſi ſunt, exercitus ſeptuaginta hominum millibus conſtabat, quorum ne duodecima quidẽ pars

Thebani erant: veruntamen gloria virorum efficiebat, vt eos duces ſocij taciti ſequerentur, etiam ſine decreto aut edicto Reipublicæ. Prima nimirum & validiſſima lex eſt, quæ ſaluti indigenti eum qui ſalutem adferre poteſt principem deſtinat. Ac quemadmodum nauigantes, cum ſereno cœlo vtuntur, aut prope littus decurrunt, nonnunquam contumelioſè & audacter gubernatorem laceſſunt, ſimul verò atque tempeſtas & periculum incidit, eundem reſpiciunt, & in eo ſpem ſuæ ſalutis collocāt: ita Argiui, Elei, Arcadéſque, ante in conciliis cum Thebanis de principatu contendere ſoliti tum reb. arduis certaminibúſque inſtantib. vltro duces eorum ſecuti ſunt. *Plutar. in Pelopida.*

EXERCITVS *confirmatio & conſeruatio.*

Arbitror ad exercitum confirmandum pertinere, vt primo quoque tempore duces ac centuriones in demortuorum locum ſubrogentur. Nihil enim omnino, ſi deſint qui imperent, vlla in re (vt breuiter dicam) bene ac præclarè geri poteſt: ſed in re bellica minimè, in qua & ordinis conſtantia rebus ſalutem, perniciem adfert perturbatio. *Xenoph. de Cyri expedit. libr.* 3.

EXERCITVS *deliciis frangitur.*

Annibal cæſis ad Trebiā, Thraſymenū & Cānas Romanis, in hyberna Capuā cōceſſit. Ibi partē maiorē hyemis exercitum in tectis habuit, aduerſus omnia mala ſæpe ac diu durantem, bonis inexpertum atque inſuetum. itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona, ac voluptates immodicæ; & eo impenſius quo auidius ex inſolentia in eas ſe immerſerant. ſomnus enim, & vinum, & epulæ, & ſcorta, balneáque, & ocium conſuetudine in dies blandius, ita eneruauerunt corpora animóſque, vt magis deinde præteritæ victoriæ eos, quàm præſentes tutarentur vires: maiúſque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quàm quòd non ex Cannenſi acie protinus ad vrbem Romam duxiſſet. illa enim cunctatio diſtuliſſe modo victoriam videri potuit, hic error vires ademiſſe ad vincendum. Itaque, velut ſi cum alio exercitu à Capua exiret, nihil vſquam priſtinæ diſciplinę tenuit. Nam & redierunt plerique ſcortis impliciti: & vbi primùm ſub pellibus haberi cœpti ſunt, viáque & alius militaris labor excepit, tyronum modo corporibus animiſque deficiebant: & deindè per omne æſtiuorum tempus magna pars ſine commeatibus ab ſignis dilabebantur: neque aliæ latebræ, quàm Capua, deſertoribus erant. *Liu. Decad. 3. lib. 3.*

Marcellus Conſul de Annibalis exercitu Capua relicta bellum repetente dicebat, milites iſtos marcere Campana luxuria, vino, ſcortis, omnibúſque luſtris per totam hyemem confectos, abiſſe illam vim, vigorémque: dilapſa eſſe robora corporū animorúmque, quibus Pyrenei Alpiúmque ſuperata iuga fuerant. reliquias illorum virorum vix arma membráque ſuſtinentes pugnare. Capuam Annibali Cannas fuiſſe. ibi virtutem bellicam, ibi militarem diſciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi ſpem futuri extinctam. *Idem, eod. l.*

EXERCITVS *ex variis populis ad arma tractanda ineptis, conflatus.*

Quintius, videns Romanos milites ad famam numeroſi cuiuſdã exercitus quem Syriæ rex Antiochus ducebat aliquantum commotos, iucunda narratione eos confirmauit, dicens, Rex peditum equitúmque nubes iactat, & conſternit maria ſuis claſſibus. Eſt autem res ſimillima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni, & ſciti conuiuatoris, apud quem Solſtitiali tempore comiter accepti cũ miraremur vnde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio, homo non quàm iſti ſunt glorioſus, renidẽs, condimentis ait varietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſue factam. Hoc dici aptè in copias regis, quæ paulò ante iactatæ ſint, poſſe. varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos, & Caduſios, & Elymæos, Syros omnes eſſe: haud paulò mancipiorum meliùs, propter ſeruilia ingenia, quàm militum genus. *Liu. Decad. 4. l. 5.*

EXERCITVS *ex variis populis conflatus.*

Carthaginienſes quod ex variis diuerſiſque hominum generibus exercitum componerent, partim quidem rectè faciebant: ſiquidem neque conſpirare inter ſe facilè a deo diuerſa gens poterat, & mandatis ducum vniuerſi facilius obtemperabant. At ſi quando furor, aut oblocutio, vel ſeditio in exercitu oritur, tunc neque mulcere quenquam, neque alicui modum imponere licet. Gens ignara cum impetu fertur, Vbi ſemel ad iram ventum eſt, more ferarum continuè magis crudeſcit, neque vllus eſt ſæuitiæ modus. *Polyb. l. 1.*

EXERCITVS *fortiſſimus.*

Fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus eſt, qui ante diſcrimen quietiſſimus. *Tacitus histor. libro primo.*

EXERCITVS *ignauus.*

Non vigor corporibus, non ardor animis. lentum & tarum agmen, impatiens ſolis, pulueris, tẽpeſtatum, fluxa arma, ſegnes equi: quantumq́ue hebes ad ſuſtinendũ laborem miles, tanto ad diſcordias promptior. *Tacit hiſt. l. 2.*

EXERCITVS *impius.*

Exercitus quem iniuria & audacia antecedit, plerunque cladem & interitum ominatur: & priuſquam hoſtis irruat, ipſi milites impij ſua timiditate euertuntur, ipſiq́ue ſibi hoſtes ſunt, diuina vindicta eum exitum decernente, quem facta illorum meruerunt. Neque enim probabile eſt, rem bene geſturos eos eſſe, qui pauperum lachrymas & execrationes pro viatico ſecum auferunt. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr. 6.*

EXERCITVS *incommoda.*

Vti corporis vulnera, ita exercitus incommoda tegenda ſunt, ne ſpes aduerſariis augeatur. *Caeſ. li. 2. de bel. ciuil.*

EXERCITVS *infelix.*

Quibuſcunque exercitus dicto audiens non fuerit, aut (malè re geſta) fortuna defuit: aut aliquo facinore comperto auaritia coniuncta eſt. *Caeſar, libro primo de bel. Gal.*

EXERCITVS *laus.*

Magna exercitui præmia & multò maximum decus, ſi incolumitatem principi vel Reipublicæ ſine ſangui-

ſanguine quæſierit. *Tacitus hiſtor. libro tertio.*

Exercitus *in hoſtilem agrum ducendus.*

Cyrus conſilium de deducendis in hoſtem copiis, Cyaxari proponens, inter alia dicebat: Nobis omnibus videtur, quum parati ſimus, non tum pugnandum eſſe, quum tuos fines hoſtis inuaſerit, neque amico in ſolo commorantibus illum exſpectandum eſſe: ſed quamprimùm in hoſtilem agrum excurrendum. Quum enim modò tua in regione ſimus, multę res tuæ per nos etiam inuitos detrimentũ capiunt. At ſi hoſtilem in terram diſcedamus, cum voluptate res ipſorum atteremus. Præterea magno ſumptu tuo nũc alimur: at ſi extra fines tuos exercitũ educamus, ex ipſorum ditione alemur. Quòd ſi porrò maius nobis iſtuc periculum, quàm hîc impenderet, fortaſſis id, quod tutiſſimum foret, eſſet eligẽdum. Nunc verò par futura eſt ratio illorum, ſiue adeo hîc eos exſpectemus, ſiue in ipſorum ditionem progreſſi obuiam eis eamus: par item noſtra in prœliando futura eſt ratio, ſiue ipſos aduenientes hîc excipiemus, ſiue ad ipſos profecti manum conſeremus. Verum enimuerò nos militum animos lõgè alacriores firmioréſque ſumus experturi, ſi aduerſus hoſtem contendemus, & non inuiti aduerſarios ſpectare videbimur. Itidem illi multò magis nos metuent, quũ nos audient non vt formidoloſos ipſorum metu percelli, ac domi deſidere: ſed animaduerſo ipſorũ aduentu occurrere, vt quàm celerrimè pedem conferamus: non item operiri, dum regio noſtra detrimento afficiatur, ſed præcepto ipſorum conatu terram eorum vaſtare. Atqui formidoloſiores ipſos reddi, nos audentiores, in lucro nobis inſigni ponendum exiſtimo. Nã hoc modo equidem ſtatuo minus periculi nobis fore, hoſtibus plurimum. Quin & meus pater & tu dicere ſoleris, cæteris omnibus adſentientibus, prælia magis animis decerni quàm corporum viribus. *Xenoph. de inſtitut. Cyri, libro 3.*

Exercitus *modum requirit.*

Exercitus dicitur tam legionũ, quàm etiam auxiliorum, nec non etiam equitum, ad gerendum bellum multitudo collecta. Huic modus à magiſtris quæritur armorũ. Nã cùm Xerxis, & Darij, & Mithridatis, cæterorúmque regum, qui innumerabiles armauerãt populos exempla releguntur, euidenter apparet, minimum copioſos exercitus, magis propria multitudine, quàm hoſtium virtute depreſſos. Nam pluribus caſibus ſubiacet amplior multitudo. In itineribus pro mole ſua ſemper eſt tardior, in lõgiorę autem agmine etiam à paucis ſuperuentum aſſolet pati. In locis autem aſperis vel fluminibus tranſeundis, propter impedimẽtorum moras, ſæpe decipitur. Præterea ingenti labore numeroſis animalibus equiſque pabula colliguntur. Rei quoque frumentariæ difficultas, quæ in omni expeditione vitanda eſt, citò maiores fatigat exercitus. Nam quantumlibet ſtudioſè præparetur annona, tantò maturius deficit, quantò pluribus erogatur. Aqua denique ipſa nimiæ multitudini aliquando vix ſufficit. Quòd ſi caſu acies verterit tergũ,

neceſſe eſt multas cadere de multis,& illos qui effugerint,vt ſemel territos, poſtea formidare conflictum. Veteres autem,qui remedia difficultatum experimentis didicerant,non tam numeroſos,quàm eruditos armis exercitus habere voluerunt.*Vegetius libro tertio,capite primo.*

EXERCITVS *nimium validus.*

Nihil eſt in imperio terribilius exercitu qui impetibus ab imperitia profectis,nulláque ratione aut conſilio coercitis feratur.*Plutar.in Galba.*

EXERCITVS *ocioſus.*

Difficile eſt vel vnum hominem alere ocioſum , multo etiam difficilius totam domum:ſed omnium eſt difficillimum,vniuerſum exercitum ocioſum alere.Nam & plurima ſunt in exercitu quæ veſcantur,& quæ à minimis incipiunt, & quæ iis quæ cœperint, vtantur affluentiſſimè.Itaque exercitum ceſſare nunquam decet. *Xen.de pædia Cyri, lib.1.*

EXERCITVS *officium.*

Ita ſunt diuiſa inter exercitum ducéſque munia : vt militibus pugnandi, cupido conueniat, duces autem prouidendo , conſultando, cunctatione ſæpius quàm temeritate proſint. *Tacitus hiſtor. libro tertio.*

EXERCITVS *temerè collectus.*

Non caſtra non ducem noſcitat, neque in victoria decus eſſe nouit, neque in fuga flagitium, primo impetu cæſus diſiectúſque.*Tacit.hiſt. libr.2.*

EXERCITVS *eur deleti.*

Multi magni exercitus à minoribus,alias propter imperitiam , alias propter timiditatē deleti ſunt. *Thucydid. libr.2.*

EXERCITVS *inuicti.*

Vires inexpugnabiles ſunt,quoties vnanimi ordine exercitus cōponuntur atque reguntur , & cordatum habent ducem. *Plutarch.in Arato.*

EXERCITVVM *diſſipatio.*

Atrox hiems,ſeu parum prouiſi commeatus , & orta ex vtroque tabes perpellunt exercituum duces emittere præſentia. *Tacit.Ann. libr.12.*

EXHORTATIO *vana.*

Ad agendum hortari eum , qui quid ſit agendum neſciat , ludibrij ſuſpicione non caret. *G.Pachymer. hiſt. l.4.*

EXHORTATIONVM *efficacia.*

Breuis exhortatio ſit apud præſtantes viros, ſed tantundem præſtat : magis in memoriam redigēs, quàm iubens.*Thucyd.l.4.*

EXILIVM.

Longè præſtat nullo flagitio admiſſo patria excidiſſe,quàm perpetrato malo aliquo facinore in ea remanſiſſe.*Dion,l.38.*

Si exiſtimationis rationem habes,longè præſtat te nullo flagitio admiſſo patria excidiſſe,quā perpetrato malo aliquo facinore in ea remanſiſſe. Nam,vt cætera omittam,dedecus profectò non in eū, qui iniquè in exilium mittitur:ſed in eos qui contra ius eum eiiciunt, redundat.*Idem,ibid.*

Illi qui ſemel imperauerit , exilium nequaquā tolerabile. *Procop. de bel. Per.ſ.l.1.*

EXISTIMATIO.

Exiſtimationis tuæ (*verba Alphonſi Regis ad Ferdinandum filium*) diligentiſſima tibi ratio habenda erit,

erit, putādūq́; nihil ea re in humanis rebus pluris eſſe aut fieri debere. Quippe cùm victoria nonnunquam magis exiſtimatione & fama, quàm militum robore ac virtute comparetur. Victoria quidem ſæpe cladibus mutatur: at exiſtimatio ſi cum probitate ac fide coniuncta fuerit, & permanet & cum omni æuo perdurat. *B. Facius hiſt.l.10.*

Multum tibi non ſolùm quid præſentes de te ſentiant, ſed etiam magis quid poſteri de te exiſtimaturi ſint, cogitandum eſt, quorum hoc liberiora fuerint de te iudicia, quò ab omni metu ac ſpe remotiores fuerint. *Idem, eod. libr.*

EXITVS *rerum.*

Hoc vetus dictum tanquam probum in mente habe, non ſtatim ab initio exitum omnem eſſe manifeſtum. *Herodot.l.7.*

Nec cauſa, nec virium excellentia habet certos exitus: ſed plerūque vincit incerta fortuna, quæ cùm ſit fallaciſſima, tamen eò eſt vtilis quòd timorem & prouidentiam hominibus adfert. *Thucydid. libr.4.*

Stultitia contentionum nequaquam putemus nos & conſilij noſtri & fortunę dominos eſſe, quam non habemus in noſtra poteſtate: & alios duco iuſtum idem facere quod ego facio (*inquit Hermocrates*) videlicet, vt quantum cedere ęquū eſt, id ſponte potius faciant, quàm deinde hoſtium armis coacti. *Ibidem.*

Rerum exitus ſimulata omniū conſilia patefacere ſolet. *P. Iouius, hiſt.li.3.*

EXPEDITIO *bellica.*

Felix procinctus, auxiliātiū ſuæ collegium habere, & ſolatia illorum, quibus delectat etiam ipſa ſimul ſubire diſcrimina. *Iornand. li. de reb. Getic.*

EXPERIENTIA.

Sua ſponte nihil fit, ſed omnia ab experimento hominibus fieri conſueuerunt. *Herodot.l.7.*

Cùm duo modi hominibus propoſiti ſint, quibus facilè mutari in melius queant, vnus ob ſuam cuiuſque calamitatem, alter ob alienæ calamitatis exemplum: proculdubio primus efficax quidem magis eſt, verùm non ſine detrimento eius cui accidit. Secundus verò, etſi non habet in ſe tātùm virium, ideo tamen præſtat, quòd omnis damni prorſus eſt expers. quo fit, vt priorem quidem modum nemo ſit qui ſponte eligat, quandoquidē abſque dolore atque periculo accidere id nemini poteſt. Hunc verò ſemper venari & amplecti conuenit, quod per eū ſine aliquo ſuō detrimento id quod melius eſt cernere vnicuique liceat. Idcirco rectè conſideranti, optima ad veram vitam inſtitutio videtur eſſe experientia, quę fit ex commemoratione rerum ab aliis geſtarum. Hæc enim duntaxat ſemoto prorſus omni detrimento, optimos veri boni iudices perficit. *Polybius libro primo.*

Multa experiendo fiunt quæ ſegnibus ardua videntur. *Tacit. Annal.lib.15.*

EXPLORATIO.

Non ſolùm in obſidionibus, ſed in vniuerſo genere bellorum ſupra omnia ducitur, hoſtium conſuetudinem explorare diligenter, ac noſſe. Opportunitas enim inſidiarum aliter non poteſt inueniri,

niſi ſcias quibus horis aduerſarius à laboris intentione diſcedat, quibus reddatur incautior,&c. *Veget. l.4.c.27.*

EXPLORATOR.

Cùm explorator hoſtium latenter oberrat in caſtris,omnes ad tẽtoria ſua per diem redire iubeantur,& ſtatim deprehenditur explorator.*Veget.l.3.c.26.*

EXVLES.

Exulibus, qui auxilio indigent callidè mentiri vtile eſt : & qui in præſenti periculo tantum verba dant,& ſi exitus ſint proſperi, non referunt dignam gratiam : ſin exitus ſint infelices trahũt amicos in perniciem.*Thucyd.l.6.*

F.

FABVLÆ.

Fabulæ, quæ ad veritatem alludunt,laudantur.*G.Pachymer.hiſtor.libr.4.*

FACETIÆ.

Acerbarum facetiarũ apud prępotentes in longum memoria eſt. *Tacit. Annl.5.*

Vbi multum ex vero traxere,acrẽ ſui memoriam aſperæ facetiæ relinquunt. *Idem,l.15.*

FACTA.

Sunt aliqua quæ fieri non oportet,etiam ſi liceat. *Ammin. Marcel. libr.30.*

FACTA verbis longè præſtantiora ſunt.

Lacedæmonij ad pugnam pergentes alij alios cohortabantur,iubentes ſuos meminiſſe, quòd viri fortes eſſent, & quòd rerum præclarè geſtarum vſus atque conſuetudo plura tueri & conſeruare ſoleret ,quàm breuis & ſubita adhortatio , quantũmuis venuſtis verbis compoſita.*Thucyd.l.5.*

Magis ad ſummam rerum pertinere arbitror,quid agendum quàm quid loquendum ſit.Facile erit,explicatis cõſiliis accommodare rebus verba.*Liuius , Decad. 1.l.8.*

FACTIONES.

Pace frui per inteſtina arma non licet,quorum cauſa atque initium ex factionum certamine oritur, quæ fuere erúntque pluribus populis magis exitio,quàm bella externa,quàm fames morbiue, quæque alia in Numinis iras velut vltima publicorum malorum vertunt. *Liuius,Decad.1.l.4.*

Illa domeſtica factionum dominatio triſtior eſt,peregrino imperio.*Thucyd.l.4.*

Ioanni Burgundiæ Duci grauis (ſub Carolo ſeptimo) interceſſit cum Aureliano duce ſimultas , ita quidem vt tota ferè Gallia factionibus & ſtudio alterius partis eſſet diuiſa , maximo cum detrimento Reipublicæ.Nam eiuſmodi factiones,vbi ſemel radices egerint, vix magna difficultate euelli poſſunt. *Ph.Comin.l.6.*

Omnes factiones cõiunctæ ſunt cum periculo , inter nobiles præſertim,qui multum alioquin in eã partem incumbunt. Dicat fortaſſe quiſpiam , illas partiũ offenſiones regibus non eſſe inutiles patefieri hac ratione omnia conſilia: nihil eſſe quod non efferatur ad regem, & in maiori ipſum eſſe obſeruantia. Non negarim equidem,ſi quis princeps adoleſcens eiuſmodi ſimultates ac contentiones in gynęceo ſuſcitet, quin maximã ſit habitu-

biturus ridendi, ſuíque oblectandi materiam. Nihil enim erit adeo ſecretum, quod in hac muliercularũ æmulatione & inuidia non reſciſcat. Verùm vt ea conſuetudo recipiatur in cœtu virorum, ingẽs profectò periculum in eo verſatur. Hoc enim vere ſit, ignem in tuis ędibus accendere, quem deinde nõ poſſis, niſi maximo tuo detrimento reſtinguere. Nam qui Principẽ à ſe vident alienatum eſſe, ij fere nouas incipiunt tentare amicitias, & illis ſe libẽter coniungunt, quos diſſidere putãt ab eo, quem ſui aduerſarij partes tueri vident. Ac, vt nullum extet aliud documentum, certè factiones illæ Aurelianæ & Burgundicæ familiæ, periculi magnitudinem & luctuoſos exitus demonſtrare nobis poſſunt. Ex iis enim ortum eſt bellum, quod per ſeptuaginta duos annos durauit, cui permixti Angli, magnam Galliæ partem occuparunt. *Idem, libro 10.*

FACVLTATVM *conſeruatio.*

Maius dedecus eſt parta amittere, quàm omnino non parauiſſe. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

FACVNDIA.

Vis facundiæ ea eſt vt omnia cõficere & ſubigere valeat. *Plutarc. in Demoſthene.*

FACVNDIÆ *vſus & abuſus.*

Eum qui in Republica potentia præſtare velit, eam eloquentia ſibi parare neceſſe eſt: contentum autem eſſe gloria facundię, inque inglumie quaſi eius acquieſcere, non eſt ingenuum. *Plutar. in Comp. Demoſt. & Ciceronis.*

FAMA.

Homines, famam rerum anteà geſtarum, etiam ſi illis domeſticæ fuerint, alij ab aliis, nullo iudicio examinatam, ſine diſcrimine arripiunt. *Thucyd. l. 1.*

Plerunque in nouitate fama antecedit. *Cæſar, libr. tertio de bel. ciuili.*

Incerta in maius vero famâ ferri ſolent. *Liu. Decad. 3. l. 1.*

Famâ bella ſtant, & is qui recedit fugere creditur. *Curt. l. 3.*

Fama infirmiſſimũ aduerſus vires fortes telum. *l. 4.*

Fama maximum in bello momentum. *l. 5.*

Fama bella conſtant, & ſæpe etiam quod creditum eſt, veri vicẽ obtinuit. *l. 8.*

Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illa tradẽte, maiora ſunt vero. *l. 9.*

Vnum eſt inſatiabiliter parandum, proſpera ſui memoria: nam contemptu famæ, contẽnuntur virtutes. *Tacit. Ann. l. 4.*

Fama in nouis cœptis validiſſima eſt. *Idem, l. 13.*

Magna motæ rei fama plurimũ in nouis conſiliis valet. *Idem, libro 15.*

Credula famæ inter gaudentes & incurioſos. *Tacit. hiſt. l. 1.*

Malè coercitam famam ſupprimentes augent. *Idem, eod. l.*

Vera & falſa, procurante fama, in maius innoteſcunt. *Idem libro quarto.*

Fama etiam boni ſæpe indulgent. *Tacit. in vita Agric.*

Haud ſemper errat fama aliquãdo & eligit. *Idem, ibid.*

Fama res maximas, vel obumbrantibus plurimis ſilere neſcit. *Amm. Marcel. l. 16.*

Credimus (neque enim dubium eſt) per aerios tramites famã præ-

petem volitare. *libr.* 18.

Fama rumorum nutrix maligna. *libr.* 31.

Fama nihil imperueſtigatum aut occultũ ſinit. *Nicet. in Io. Comn.*

Ea quoque quæ ſub terra latent fama perſpicit, & futura ſæpe, tanquam iam facta promulgare ſolet. *Idem. Andr. Comn. l.* 1.

Fama ſæpe veritatem opprimit, nec certi quicquam adfert. *Idem, Alex. Angel. l.* 2.

Non ſemper famæ præbendæ ſunt aures, nec ſi quem ea pro viro forti celebrat, is ſtatim vt talis eſt formidãdus, nec ſi quis pro timido & ignauo traducitur, ſpernendus, & reiiciendus eſt. Sed fama, vt non omnino vana, præſertim tam cælebris, non quidem planè eſt contemnenda, ſed ad res geſtas eorum qui vel malè vel bene audiunt, tanquam ad Lydium lapidem exigenda: ſæpe etiam oculo iudiciũ permittendum, & ſic ea vel, vt vera, probãnda eſt, vel, vt falſa repudianda. Aures enim non vident ipſam rem, ſed alienarum linguarum & ſæpe aduerſarum ſtrepitum conſeruant. Viſus verò certus eſt rerũ arbiter, &c. *Idem, Alexand. Angel. lib.* 1.

FAMA.

Fama nihil vanius, nihil rumoribus magis mendax in bonos. *P. Æmyl. l.* 10.

FAMÆ *bonæ neglectus.*

Contemptio boni nominis vitium eſt cum impudentia & inſania quadam coniunctum. *Plutar. in Alcibiade.*

FAMES.

Fames quàm peſtilentia triſtior. *Liu. Decad.* 1. *l.* 4.

Famem vnam Natura vinci non ſinit. *Idem, Decad.* 1. *l.* 5.

Vltimum ſupplicium humanorum, fames. *Idem, Decad.* 3. *l.* 1.

Fames conſultrix in rebus alienis peſſima, præſertim apud egenos omnium: nec eſt æquum rationem actorum poſtulare à turba miſera. *Appian. l. de bel. Pun.*

Profana & fœda in vſum neceſſitas vertit, *Tacit. hiſt. l.* 4.

Fames ignauiſſimum mortis genus. *Amm. Marcel. l.* 17.

Magna diſpoſitio eſt, hoſtem fame magis vrgere, quàm ferro. *Veget. l.* 3. *cap.* 26.

Nunquam periclitati ſunt fame, qui frugalitatem inter copiam ſeruare cœperunt. *Idem, libro quarto, cap.* 7.

Annonæ penuria machina firmiſſa & acerrima ad vrbium expugnationem, *Nicet. Iſaac. Angel. libro* 1.

Fames omnium malorum maximum & grauiſſimum. Nam cæteræ quidem calamitates aliquo modo tolerari poſſunt: ſola fames ad extremum ferri non poteſt. Satius eſt, vel iniquas quaſcunque cõditiones & leges ab hoſte accipere, quàm inedia maceratos vitam finire. *B. Facius, hiſt. l.* 4.

FAMILIA.

Coniuges & liberi in exercitu ſunt militibus hortamenta victoriæ, vel pulſis pudor. *Tacitus, hiſtor. libr.* 4.

FAMILIÆ *cura & administratio.*

In confeſſo illud eſt, præſtãtiorem ciuili nullam virtutem in hominem cadere. Huius autem partem non exiguam eſſe in rei familiaris adminiſtratione poſitam plerique fatentur. Ciuitas enim, corpus

pus quoddam ex familiis conflatū cùm ſit, & quaſi ſumma earum: ita demum Reſpubl. valida eſt, ſi priuatim res ciuium bene habeant. Quando Lycurgus etiam exterminato Sparta argento auróque, nomiſma de ferro igni corrupto ciuibus conſtituens, de rei familiaris cura nequaquam detraxit ſuos: ſed luxum: diuitiaſque parum ſanas, & immodicas tollens, haud minus quàm vllus quiſpiam alius legumlator proſpexit, vt omnibus rerum neceſſariarum & vtilium eſſet copia. exiſtimans ad ſocietatem ciuitatis hominem pauperem, & lare opibúſque deſtitutum nihilo tutius quàm diuitem & opibus nimiis grauem admitti. Hac in re Cato non minorem familiæ quàm Reipublicæ bene adminiſtratæ laudem meruiſſe videtur. Nam & ipſe rem domeſticam auxit, & multa vtiliáque præcepta collegit, quibus alios ad agri & rei familiaris procurationem inſtruxit. At verò Ariſtides paupertate ſua iuſtitiā quoque infamem fecit, vt quæ rem euerteret, ad pauperiem redigeret, deníque omnibus potius quàm iis qui ea eſſent præditi, conduceret. Atqui multis Heſiodus nos ad iuſtitiam cum rei familiaris cura coniungendam eſt cohortatus, ignauiam vt iniuſtitiæ cauſam traducens. Rectè & hæc Homerus cecinit:

Non operis etenim mihi, frugiferiue laboris,
Augendæque rei, quæ dulcia pignora aluntur
Cura fuit: ſtudium lembis remiſque dicatam,
Semper & horriferi ludum Mauortis amabam;
Spiculáque, & leues haſtas, volucréſque ſagittas.

Oſtendit enim eos qui rei familiaris ſtudium omittunt, iniuſtis rebus victum ſuum exercere. Neque verum eſt, quemadmodum medicis autoribus oleum corporis externis partibus conducit plurimū, internis maximum damnum adfert: ita iuſtum aliis prodeſſe & res ſuas nihil curare. Atque hac in parte Ariſtidis ratio ciuilis manca fuit. Siquidē ita mortuus eſt, quod plerique tradiderunt, vt neque ſibi de ſepultura, neque filiabus de dote proſpexerit. Vſque in quartum gradum Catonis progenies prætores & Conſules ſuppeditauit: nepotes enim Catonis, eorúmque filij ſummos Romæ magiſtratus obtinuerunt. At primi inter Græcos viri Ariſtidis poſteros ſumma paupertas vt ſomniis coniiciendis victum quærerent coegit, alios ad ſtipem publicè petendam compulit, neque vllum animum generis autore dignum gerere permiſit. *Plutarch. in comparat. Ariſtidis & Catonis M.*

FAMILIÆ *diſciplina.*

Domum ſuam coercere pleriſque haud minus eſt quàm prouinciam regere. *Taciti in vita Agric.*

FAMILIARITAS *nimia contemptum parit, non in omnibus.*

Ea vis eſt conſuetudinis cum amicis atque conuictus, vt omnem maieſtatem deprimere valeat: & in familiaritatibus retineri grauitas, quæ ad gloriam requiritur, vix poteſt. At in eo qui vera ſit virtute preditus ea pulcherrima videntur, quę maximè apparent: neque quicquam in viro bono exteri mirantur, quantum domeſtici quotidia-

ni vitæ rationem. *Plutarch. in Pericle.*

FATA.

Quæ fato manent, quamuis ſignificata, non vtuntur. *Tacit. hiſtor. libr.1.*

Ineluctabilis fatorum vis, cuiuſcunque fortunam mutare conſtituit, cõſilia corrumpit. *Velleius Patere. lib.2.*

Præualent fata conſiliis, omnẽque mentis humanæ aciem perſtringunt. quippe ita ſe res habet, vt plerunque qui fortunam mutaturus eſt, cõſilia corrũpat, efficiátque quod miſerrimum eſt, vt quod accidit etiam meritò accidiſſe videatur, & caſus in culpam trãſeat. *Idem, eod l.*

Manum iniectantibus fatis, ſolent hebetari ſenſus hominum & obtundi. *Amm. Marcel. l.14.*

Arduum fatalia deuertere: eóque futuri notio ſuperflua. *Aurel. Vict. l. de Cæſarib.*

Fatorum vis prudentiam humanam ſuperat. *Nicet. Iſaac. Angel. libr.1.*

FATVM.

Fatalia neceſſariò ferenda ſunt, fortiter autem ea quæ hoſtes faciunt. *Thucyd. l.2.*

Fati vim effugere nulla poſſunt homines ratione. *Pauſan. l.1.*

Hominum plerunque in rebus præclarè gerendis alacritatem nihilo ferè minus fatum quàm calculos fluuiorum limus obruit. *Idem, libr.4.*

Equidem æterna conſtitutione crediderim, nexúq; cauſarum latẽtium, & multò ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere. *Curt. l.5.*

Ineuitabile eſt fatum. *lib.4.*

Dubitare cogor, an fato & ſorte naſcendi, vt cætera, ita principũ inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceátque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum. *Tacit. Annal. l.4.*

Nulla vis humana vel virtus meruiſſe vnquam potuit, vt, quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat. *Amm. Marcel. l.23.*

Fatum, vt animantibus, ita etiã ciuitatibus ineuitabile. *Item.* Quod in fatis eſt: oppugnat ſapientiam. *G. Pachym. hiſt. l.2.*

Nimirũ fati magna vis eſt, quicquid contra machineris. *Idem, l.3.*

Id quod futurum eſt, ſemel diuinitus decretũ, nec murus (vt aiũt) ferreus, nec ignis impedire poterit. *Conſtan. Manaſſ. Ann. pag.105.*

Quod futurum eſt, quãuis re potius & valentius eſſe, ac mortaliũ ratiocinationes & corda vincere videtur. *Idem, pag.167.*

Plus fatum quàm mortale ingenium humanáque ſapientia poteſt pollétque. *P. Æmyl. l.6.*

Occulta vis fati ſæpenumero prudentes ad inſaniam vertit. *P. Iouius, hiſt. l.3.*

Fatali tempeſtati nec humanum conſilium nec conſtantia repugnare poteſt. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro 8.*

FATVM *Ethnicorum.*

Mihi in incerto iudicium eſt, fatóne res immortalium, & neceſſitate immutabili, an fortè voluãtur, quippe ſapiẽtiſſimos veterum, quique ſectam eorum æmulantur, diuerſos reperies: ac multis inſitã opinionem, non initia noſtri, non finem,

finem, non denique homines diis curæ. Ideo creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe. Contrà alij, fatum quidem congruere rebus putant, ſed nõ è vagis ſtellis, verùm apud principia, & nexus naturalium cauſſarum. ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala vel bona quæ vulgus putet: multos qui cõflictari aduerſus videantur, beatos: ac pleroſque, quanquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi grauem fortunam cõſtanter tolerent, hi proſpera incõſultè vtantur. Cæterum plurimis mortaliũ nõ eximi, quin primo cuiuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus quàm dicta ſint cadere, fallaciis ignara dicentium. *Tacit. Ann. l. 6.*

Felicitas.

Deus Græcis (*inquiebat Solon*) mediocriter ſentire dedit, tum ſapientiæ cuiuſdã fiducia eos impertiit, quæ mediocritatem reſpiciens, popularibus magis hominibus quàm regio ſplendori ſit commoda. Ea cùm videat hominum vitam nunquam non variis caſibus eſſe obnoxiam, non patitur quenquam præſentium bonorum cogitatione efferri, neque admirari alicuius hominis felicitatem, quam immutare tempus poſſit: vnicuique enim variæ res futuræ, de quibus certi nihil cõſtet, ingruunt. Cui verò res ſecundas vſque ad finem Deus prorogauit, hunc felicem eſſe ſtatuimus: at viuenti adhuc, & in diſcrimine verſanti felicitas quæ tribuitur, non magis certa atque rata eſt, quàm ſi victoriam coronámque alicui adhuc decertanti adſcribamus. *Plutarchus in Solone.*

Prouidorum hominum eſt, felicitatem ſuam pro certo habere, in incerto poſitã eſſe, vt ferendis accidentibus ſint inſtructiores: neque exiſtimare, quatenus voluerit quis aggredi bellum, eatenus ei facultatem adeſſe, ſed quatenus fortuita ſua ducent. *Thucydid. libro 4.*

Ita ſtatuo, homini ad felicitatem ſufficere, vt quæ ad vſum vitæ opus ſunt, omnia poſſideat, neque vllius rei qua ad ſe ſuſtentandum corpus indiget, deſtituatur: omne autem ſuperuacaneum, curas, negotia, & multorum inuidiã ſecum trahere exiſtimo. *Dion, libro 38.*

Omnes mortales non tam rebus ſecũdis ſuam felicitatem ſentiunt, quàm malis conflictati eam deſiderant *Idem, l. 56.*

Adoleſcentiam & perpetuam felicitatem, ferociora vtraque, quã quietis opus eſt conſiliis, metuo. *Liu. Decad. 3. l. 10.*

Superba eſt felicitas. *Curtius, libro 5.*

Felicitatis & moderationis diuiduum cõtubernium eſt. *Val. Max. lib. 9. cap. 5.*

Difficilius eſt temperare felicitati, qua te non putes diu vſurum. *Tacit. hiſt. l. 2.*

Neque enim quidquam aliud eſt felicitas (*Tullio teſte*) niſi honeſtarum rerum proſperitas. vel, vt alio modo definiam, felicitas eſt fortuna adiutrix conſiliorum bonorum, quibus qui non vtitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perditis impiiſque conſiliis quibus

Cæſar vſus erat, nulla potuit eſſe felicitas, feliciórque (meo iudicio) Camillus exſulans, quàm temporibus iiſdem Manlius, etiamſi, id quod cupierat, regnare potuiſſet. *Amm. Marcel. l. 21.*

Non procul à veritate antiquũ puto prouerbium, Quòd non pura Deus bona, ſed malis ſemper aliquibus admixta præbet hominibus: neque riſum ſine fletu habemus, réſque ſecundas ſemper calamitas quædam ſubſequitur, ac voluptatem triſtitia comitatur: denique legitima ſinceráque quandoque felicitate frui nuſquam datur. *Procop. de bel. Perſ. l. 2.*

Maximam felicitatem concordiæ ſtudium parit ac viuendi inter ſe æqualitas è ſtatuendis atque ſeruandis legibus nata. *Io. Ioui. Pontan. hiſt. libr. 1.*

FEMINÆ *lenitas.*

Lenitas feminea ad veritatis humanitatíſque viam reducere vtilia ſuadendo debet. *Ammon. Marcel. libr. 14.*

FEMINA *vino dedita.*

Quæcunque femina vini vſum immoderatè appetit, omnibus & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. *Valer. Maxim. libr. 6. cap. 3.*

FENUS.

Reipublicæ funebre malum, & ſeditionum diſcordiarúmque creberrima cauſa: eóque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. *Tacitus Annal. libro 6.*

FEROCES.

Ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi apparent. *Tacit. hiſtor. libr. 1.*

FESTINATIO.

Feſtinatio improuida eſt, & cæca. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Multos etiam bonos feſtinatio peſſumdedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, præmatura vel cum exitio properant. *Tacit. Ann. libr. 3.*

FESTINATIO *vtilis.*

Exercitui feſtinatio eſt vtilis, ſi ei pugnandum eſt aduerſus hoſtes non in procinctu & caſtris habitos, per opimæ regionis municipia deſides, tantum hoſpitibus metuendos, qui quanto ferocius ante ſe egerint, tanto cupidius inſolitas voluptates hauſerunt, qui circo, theatris, & amœnitate vrbis primariæ emolliti aut valetudinibus feſſi ſunt. Nam ſi eis additur ſpatium redit & his robur meditatione belli. *Tacitus hiſtor. libro tertio.*

FIDES.

Magna & perpulchra res eſt, quum aliis omnibus, tum viro principi, fas fidémque ſeruare, & ſe talem eſſe cognoſci. *Xen. ora. de Ageſilai laudib.*

Data fides omnem deliberationem excludit. *Plutarchus in Sertorio.*

Cum fidei abrogatione omnis humana ſocietas tollitur. *Liu. Decad. 1. l. 6.*

Vult ſibi quiſque credi, & habita fides ipſam plerunque obligat fidem. *Idem, Decad. 3. lib. 2.*

Circumuentis in ſolitudine natura ipſa ſubiicit, vt hominum quos nunquam viderint, fidem tamen implorent. *Idem, Decad. 4. libro 10.*

Fides non integra manet, vbi magnitudo quæſtum ſpectatur.

Ta-

Tacit. Annal. libr. 11.

Inter ciuiles diſcordias nuſquam fides aut amor: metu ac neceſſitate huc illuc mutantur. *Idem, hiſtor. libr.* 1.

Fides cum alacritate coniuncta, tametſi inuidiam vincere nequeas laudatur. *G. Pachymer. hiſtor. libro primo.*

Fides fundamentum præcipuũ eſt fœderum. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr.* 1.

Nihil eſt principe aut Republ. indignius, quàm fidem datam non ſeruare. *Idem, eod. l.*

Semper laudantur & in maiori pretio ij habentur qui fidem ſeruant. *Idem, l.* 10.

Fidem qui perdit nihil admodum poteſt perdere. *Ann. Ferron. libr.* 7.

FIDES *quomodo & quatenus hoſti adhibenda.*

Culpandi ſunt qui ſe ipſi incircunſpectius in poteſtatem hoſtiũ tradunt: culpandi verò non ſunt, qui quoad eius fieri poteſt, prudenter cuncta gerunt. Etenim prorſus nemini quicquam credere, non conducit ad res gerendas. Si verò argumentis quatenus fieri licet, certis habitis, quæ rationi conueniunt egeris, reprehenſione carebit. Sunt autem huiuſmodi vero ſimilia argumenta, iuſiurandum, liberi, vxores, & (quod maximum eſt) geſta anteacta. Quod ſi horum quoque fiducia captus in calamitatem incideris, non tua qui pateris, ſed eorum eſt culpa qui hoc faciunt. Quapropter talia potiſſimum quærenda ſunt argumenta & pignora, quorum gratia is cui creditur, fidem datam infringere non poſſit. Quoniam verò rarum eſt talia inuenire, proximum fuerit ea curare, quæ rationi conſentiunt: vt ſi hoc quoque pacto falſi fuerimus, excuſationem apud eos non amittamus, qui extra ſunt: id quod & pluribus anteceſſoribus noſtris euenit. *Polybius hiſtor. libr.* 8.

FIDVCIA.

Cùm vltimi diſcriminis tempus aduentat, in ſolicitudinẽ verſa fiducia eſt. *Curt. l.* 3.

Laudanda fiducia eſt, quæ exiſtimationem ſui certo pondere examinat, tantum ſibi arrogans, quãtum à contemptu & inſolentia diſtare ſatis eſt. *Valer. Maxim. libr.* 3. *cap.* 7.

FIDVCIA *nimia.*

Nimia fiducia maximæ calamitati ſolet eſſe. *Æmyl. Probus in Pelopida.*

FILII *heroum, noxæ.*

Mirum eſt robuſtiſſimorum hominum robuſtiſſimam ferè prolem eſſe: ſummorum virorum nobiliſſimorúmque ingeniorum ſobolem tandem hebeſcere: vtque ſinguli morituri naſcimur, ita indolem, ſtirpium, ſanguiníſque ac familiarum ſuos velut natales incrementaque habere, conſeneſcereque. *P. Æmyl. l.* 3.

FILII *principum.*

Non legiones, non claſſes perinde ſunt firma imperij munimẽta, quam numeri liberorum, *inquit Titus*: Nam amici tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, imminuuntur, transferuntur, deſinunt, ſuus cuique ſanguis indiſcretus, ſed maximè principibus: quorum proſperis & alij fruuntur, aduerſa ad iunctiſſimos

pertinent. Ne fratribus quidem manſura concordia, ni pater exemplum præbeat. *Tacitus hiſtor. libr.4.*

FILII *regum.*

Perſarum reges tot gentibus imperitantes, cum liberos ſuos ipſarum virtutum voce erudiri inſtituique non poſſe cognoſcerent, quod proximum erat, cõquiſitione ſummorum virorum facta, quatuor viros ex omni numero deligebant: vnum iuſtitia clariſſimum, alterum prudentia, tertium fortitudine animi, quartum continentia excellentem. Horum præceptis inſtitui iam inde à pueris Regum filij conſueuerant. Quæ diſciplina quandiu incorrupta permanſit, tandiu imperium illud maximum orbis terrarum extitit, & tot poſt ſeculis apud nos memorabile, ac imitatione digniſſimum. *P.Æmyl.l.8.*

FINIS.

Finis turpis laudem egregiam maculat. *Tacit.hiſt.l.4.*

FINIS, *rerum perfectio.*

Verbis res maximas aggredi prorſus eſt facile, difficile verò rem aliquam egregiam reipſa præſtare. Quapropter & hoc quidem quibuſuis in promptu eſt, & omnibus (vt ita dicam) tantùm audere ſcientibus commune, illud verò admodum rarum, & quod paucis in hac vita contingit. *Polybius libr.5.*

Res arduas grauiter ordiri, & impetu quodam ad incrementa rerum contendere, multis iam contigiſſe: ſed propoſitum ad finem deducere, & ſicubi fortuna obſtiterit, ratione & induſtria id quod alacritati ac promptitudini decedit, adimplere, paucorum eſſe videtur. *Idem, l.16.*

FLAGITIA.

Flagitiis manifeſtis ſubſidium ab audacia petitur. *Tacit. Annal. libr.11.*

FLETVS.

Non oportet eos qui iniuſtè pereunt, flere. *Procop. de bell.Perſ.libro primo.*

FOEDERA.

Fœdera ſancta ſunt apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur. *Liu. Decad.1.l.9.*

Aut verbis, aut armis caſtigandus eſt qui fœdus rumpit. *Idem, Decad.5.l.2.*

Par eſt, vt qui pro ineunda ſocietate ad proximos veniunt, in primis edoceant, iuſtiora quædam ſe deprecatum veniſſe, & futuris vt ſociis, ita & ſibi percommoda, & vt in eam ſententiam verba mox faciant *Gepedarum legati apud Procop.de bel.Goth.l.3.*

FOEDERA *principum.*

Vbi plures principes, qui ſe pares exiſtimant, coniunguntur, facilè inter ipſos ſuſpiciones cõtrouerſiæque exiſtunt: ex quo ſæpe fit: vt res magna ſpe cœptæ, in multas difficultates incidant ac tãdem euaneſcant. *F.Guicciardin.hiſt. libr.7.*

FOEDERATI.

Qui ſapiunt, ſociorum ſeu confœderatorum ſuorum iniurias nõ negligunt, nec differunt vltionẽ, cùm ipſorum non differatur iniuria. *Thucyd.l.1.*

Qui recens in amicitiam venerint, non infortunio, ſed beneficiis decenter affecti, ſeruare fidem cõſueuerunt. *Procop.de bel.Goth.l.1.*

Socius

Socius, non voluntate, ſed ingruentibus impedimentis retardatus, alteri ſocio iuſtam conquerendi cauſam, vel honeſtum à fœdere diſcedendi colorem non dat. *Fr. Guicciardin.hiſt.l.15.*

FOEDERATORVM *error.*

Quoties illi qui fœdere coniuncti ſunt, ſeceſſionem faciunt, & ſe diſſipari patiuntur, dubitari non debet quin paulatim omnes cladē aliquam accipiant, idque pertinet tam ad principes quàm ad ciuitates. *Ph.Comin.l.2.*

FOEDERATORVM *gradus & officium.*

Eos qui præſunt fœderatis oportet quidem in priuatis rebus æqualitatem ſeruare, in publicis verò plus habere authoritatis, vt aliis proſpiciant, eamque ob cauſam à cæteris honore afficiuntur. *Thucy. lib.1.*

FOEDERVM *firmitas.*

Scimus neque priuatis hominibus amicitiam ſtabilem eſſe, neque ciuitatibus ſocietatem, niſi fiat cum opinione virtutis, & niſi in cæteris rebus ſint ſimiles. Diſſidentibus enim opinionibus & voluntatibus fiunt opera diuerſa. *Thucyd.l.3.*

Metus mutuus vinculum eſt fidelis ſocietatis. Nam volens tranſgredi, ſi non antecellat, in inuadēdo abſterretur. *Ibid.*

Nullà poteſt eſſe amicitia aut fida libertas, in qua præter animi voluntatem, fœderati ſuſpicioſè alij alios obſeruant. *Ibid.*

FOEDERVM *lex.*

In fœderibus conſtitutum eſt, vt cùm incidunt controuerſiæ, iudiciis dirimantur, nec ante iudicium quiſquam poſſeſſione deiiciatur. *Thucyd.lib.1.*

FOEDERVM *violatores.*

Fœdera violant, non qui depellunt, ſed qui priores inferunt iniuriam. *Thucyd.l.1.*

Violant fœdera, non qui deſerti alia auxilia quærunt, ſed qui ſocios non defendunt. *Idem, eodem libr.*

Qui rupto fœdere iniuriam inferunt, Numinis ſunt contemptores. *Plutar.in Ageſil.*

FORTES *viri deſcripti.*

Qui prælio imminente poteſt alios fortiores reddere, is ſibi quoque proculdubio conſcius fuerit, hominem ſe perfectè fortem eſſe. Qui verò hæc ſibi ſoli ſuggerere poteſt, atque hoc adeo ſatis eſſe ſibi ducit : is meritò ſe imperfectè fortem modò arbitretur. *Xen.de inſtit.Cyri,l.3.*

Soli in rebus ſecundis non ſumus inſolentes, (*dictum Archidami Lacedæmoniorum R.*) & in aduerſis non frangimur animis. Nec incitamur laudibus, vt deliniti voluptate præter noſtram ſententiam aliquid moueamus, nec accuſati impellimur ira ac dolore: ſed propter grauitatem ſimul & bellicoſi & circumſpecti ſumus. Bellicoſi quia pudor cum grauitate coniunctus eſt, & cum pudore magnitudo animi. Circumſpecti verò ſumus, quia ſic inſtituimur, vt non ita ineptiamus, quam vt leges contemnamus. Et ſeuerius regimur cum quadam aſperitate quam vt detrectemus eis obedire. Sicque ſumus aſſuefacti, non vt in rebus inutilibus ſplēdida oratione ſapientes videamur, aut hoſtes vituperemus, aut reipſa impares in eos moueamus: ſed exiſtimamus etiam alios valere cō-

ſilio, & fortuitos caſus non poſſe proſpici: Aduerſus hoſtes factis ipſis nos præparamus, ratiocinantes, quid ipſi tanquam homines non ſtulti facturi ſint. Nec pendẽt nobis ſpes ex aliena ignauia, ſed ex noſtra diligentia & circunſpectione. Ac exiſtimandum eſt, homines non multùm natura inter ſe differre, ſed eos antecellere, qui in rebus neceſſariis rectè inſtituti ſunt. *Thucyd.l.1.*

Fortiſſimi ſunt, qui cùm optimè ſciant diſcrimen terribilium rerũ & ſuauium, propterea non fugiunt periculum. *Idem,l.2.*

Fortiſſimos eſſe oportet qui fortiſſimos vicerũt. *Idem,l.7.*

Fortium virorũ eſt magis mortem contemnere quàm odiſſe vitam. *Curt.l.5.*

Ferro atque audacia iter fit, quã uis per confertos hoſtes. *Liu.Decad.3 l.2.*

Etiam fortes viri ſubitis caſibus terrentur. *Tacitus Annal. libro decimoquinto.*

Paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria. *Vegetius libro tertio, cap.26.*

Pauci virtute inſtructi, maximas queunt hoſtium copias profligare. *Procop.de bel.Goth.l.1.*

Nullo modo prudentes ſapientéſve illi habendi ſunt, qui futura ſupra quàm par eſt timent. hoc nomen, hæc laus multò melius fortibus magnóque animo viris conuenit, qui pericula quidem cognoſcentes, eáque expendentes (in quo à temerariis, qui nec ea cognoſcũt, nec ponderant, differunt) tamen quã ſæpe homines nunc caſu, nunc virtute è multis difficultatibus ſeſe explicant, etiam animaduertũt. Itaque dum in deliberando nõ minus ſpem quàm formidinem in cõſilium acceſſunt, nec incertos euẽtus pro certis habent, haud tam facilè atque illi occaſiones, quæ ſecum vtilitatem cum dignitate adferunt, reſpuunt. *F.Guicciardin.hiſt. libr.3.*

Forti animo & honeſta petenti audẽtique neque Deus neque homines deſunt. *P.Iouius,hiſt.l.13.*

Fortibus viris fortia conſilia, quæ neceſſitas offerre videtur, in tempore ſunt præſumenda, conandumque ac impigrè agendum, dũ vires ad rem bene gerẽdam ſuperſunt. Nec in vna laborjs atque inediæ patientia, ſed in virtute atque audacia, & ſpes melioris fortunæ & ſumma totius belli victoria, poſtea eſſe videtur. *Idem,l.18.*

FORTITVDO.

Grauium hominum eſt, ſi non laceſſantur iniuria, quieſcere: fortium autem, ſi laceſſiti fuerint, pacem bello mutare: eoſdémque re bene geſta rurſus in concordiam redire: neque bellorum proſperitate extolli, neque ex otio pacis voluptate captos pati iniuriam. *Thucyd.l.1.*

Oportet in hoſtili terra militantes, animo quidem eſſe præſtanti, ad rem verò gerendam, cum metu ſe præparare. Ita nanque & ad inuadendum hoſtem promptiſſimi fuerint, & ad congrediendum tutiſſimi. *Idem,l.2.*

Ea fortitudo vera eſt, qua appetitus ratione coercentur. *Plutar. in Numa.*

Fortitudinem mihi videntur nõ vacuitatem à metu, ſed metum reprehenſionis & ignominiæ anti-

qui

qui iudicaſſe. Qui enim maximè leges timent, ij aduerſus hoſtem ſunt audaciſſimi: miniméque dolorem formidant, qui malè audire maximè timent. *Plutarchus in Cleomene.*

Efficit fortitudo bellica vt & aliæ virtutes earum poſſeſſoribus ſint fructuoſæ. *Dionyſ. Halicarn. libro 2.*

Nihil adeo arduum eſt, quod nō virtute (id eſt *fortitudine*) conſequi poſſit. *Cæſar libro ſeptimo, de bell. Gall.*

Nihil eſt tam arduum quod animi fortitudine ſuperari non poſſit. *Appian. l. de bel. Hiſp.*

Fortiter ſe gerere in aduerſis rebus, quid aliud eſt quàm ſæuientem fortunam, in adiutorium ſui, pudore victam conuertere? *Val. Max. lib. 3. c. 7.*

Cuncta virtute ſunt expugnabilia. *Tacit. Ann. l. 12.*

Decet viros fortes atque moderatos optima quidē optare, ſed ferre quæcunque incidunt. *Herodian. in Alexandro.*

In periculis virtutem impigram eſſe conuenit & audacem, ita (quū res poſtulat) regibilem & conſultam. His virtutem oportet eſſe cōtentam, quæ ſudore quæſiuit & dexteris. *Amm. Marcel. l. 17.*

Viri virtutem non ceptæ res arguunt, ſed peractę deſignāt. *Procop. de bel. Goth. l. 1.*

Equidem haud referre multum puto, vir fortis terra ne pugnet, an mari. Vtrobique vim eandem animi atque idem robur fortibus viris eſſe compertum eſt. Romanus miles primo bello Punico, nūquam antea ingreſſus mare, non dubitauit cum Pœno in maritimis rebus exercitatiſſimo claſſe confligere, victoriamque primo prælio adeptus eſt. *B. Facius, hiſtor. libro 4.*

FORTVNA.

In rebus omnibus modo infenſior, modo æquior eſt fortuna. *Pauſan. l. 10.*

Solet fortuna leui momento res maximas decernere. *Plutar. in Cleomene.*

Maxima bona hominibus maximè indignis fortuna temere largitur. *Dion. Halyc. l. 1.*

Inſtabilis & mutabilis admodum eſt fortunæ felicitas: & difficile eſt, vel in quantumuis beatis hominibus, aſſerere quandiu hæc ipſis ſit duratura. *Idem, l. 4.*

Fortunæ non eſt fidendum, quum homines ſæpe eam ſint experti in ſuis malis & bonis, quàm ſit variabilis & incerta. *Idem, libro ſexto.*

Naturam plerunque fortuna corrumpit. *Curt. l. 3.*

Homines cùm ſe permiſere fortunę, etiam naturam dediſcūt. *Eod. libr.*

Deſtinata ſalubriter omni ratione potentior fortuna diſcutit. *Eod. libr.*

Nunquam diu eodem veſtigio ſtat fortuna: ſempérque homines quantamcunque felicitatem habeant, inuidiam tamen ſentiūt maiorem. *l. 4.*

Fortuna quos vni ſibi credere cogit, magna ex parte auidos gloriæ magis quàm capaces facit. *Eod. l.*

Suam quiſque fortunam in conſilio habet, cùm de aliena deliberat. *lib. 5.*

Dignus eſt omni malo qui erubeſcit fortuita, & triſtē de mortalita-

te fert ſententiam, ac miſericordiam deſperat, quam ipſe denegaturus eſt. *Eod. lib.*

Fortunati ſemper pacem quærunt. *Eod. lib.*

In communi calamitate ſuam quiſque habet fortunam. *lib.6.*

Fortuna belli artem victos quoque docet, *lib.7.*

Sine pedibus, dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non ſinit. *eod. lib.*

Contra fortunam non ſatis cauta mortalitas eſt. *lib.8.*

Fortuna rebus famam pretiúmque conſtituit. *lib.9.*

Fortuna virtutem ſequitur. *Liuius, Decad.1. lib.4.*

Quæ ſumma ratione & conſilio aguntur, fortuna ſæpe ſequitur. *Decad.1. lib.5.*

Occæcat animos fortuna, vbi vim ſuam ingruentem refringi nõ vult. *Decad.1. lib.5.*

Per omnia humana, maximè in res bellicas, fortuna potens eſt. *Decad.1. lib.9.*

Fortuna plus humanis conſiliis pollet. *Decad.5 lib.4.*

Ex ſummo retro volui fortuna conſueuit. *Decad.5. lib.5.*

Qui ſe fortuna, etiam fauor hominum inclinat. *Iuſtin. lib.5.*

Humanarum rerum pleraque fortuna regit. *Salluſt. de bello Iugurth.*

Profectò fortuna in omni re dominatur. ea res cunctas ex libidine magis, quàm ex vero celebrat, obſcuratque. *Idem, de coniurat. Catil.*

Multum cùm in omnibus rebus, tum in re militari fortuna poteſt. *Cæſar, lib.6. de bello Gall.*

Fortuna multum in bello poteſt, & varios adfert caſus. *Idem, eod. lib.*

Fortuna, quæ plurimùm poteſt cùm in reliquis rebus tum præcipuè in bello, paruis momentis magnas rerum cõmutationes efficit. *Idem, lib.3. de bello ciuili.*

Plurimum in bellis poteſt fortuna. *Hirtius, lib. de bello Alexand.*

Rumpit, interdum moratur propoſita hominum, fortuna. *Velleius, Paterc. lib.2.*

Aduerſus res cupido animo inflitgit, ſecundas parce tribuit. Eadem vbi malignitatis obliuiſci ſibi imperauit, non ſolum plurima ac maxima, ſed etiam perpetua bona congerit. *Valer. Maxim. libr.7. cap.1.*

Quæ fortuitò patimur non oportet nos præcipuæ & intolerabilis amaritudinis iudicare. *Idẽ, eo. li. c.2.*

Quæ caſus offert, in ſapientiam vertenda ſunt. *Tacit. annal. lib.1.*

Illudit tyranno fortuna per vanitatem ipſius. *Idem, Annal. libro 16.*

Verſabiles fortunæ motus ludũt mortalitatẽ, nunc euehentes quoſdam in ſydera, nunc ad Cocyti profunda mergentes. *Amm. Marcell. lib.14.*

Fortuna vbi primùm aduerſa conſpicitur, ipſam ab ea decidentium mentem proſternit, atque in ſeruitutem redigit. *Procop. de bello Vandilico, lib.2.*

In rebus ſeſe offerentibus neglecta, non æquè poſtea redire ſolet. *Idem, eod. lib.*

Quæcunque ſupra humanas ſunt vires, vel his qui ſpe nonnunquam ſua fallantur, veniam præbent, & vt crimine vacent efficiunt: fortuna ſemper ad ſeipſam trahente rerum

geſtarum delicta. *Idem de bello Goth. libr.2.*

In rebus humanis fortuna ludere conſueuit, & proſperis aduerſa confundere. *B.Facius, hiſt.lib.6.*

Vt ignauos viros fortuna reiicit, ita fortibus præſto eſt. *Idem, hiſt.lib.9.*

Qui dominari in bello fortunam dicunt, non temere illi quidem mihi & ſentire videntur & dicere. Nō quòd belli adminiſtrationem victoriæque euentum in manu fortunæ collocatum exiſtimem: ſed quòd in conferendis præcipuè manibus propter ea quæ repentè accidunt, nunquam ſatis proſpici ab imperatoribus aut conſulendo queat, aut vbi conſilium captum eſt, ſtrenuè rem gnauitérque gerendo. Quo enim conſilio aut quánam proſpicientia equorum confoſſiones, militum transfugia, falſi rumores, malè accepta imperia, cœli tempeſtates, locorum iniquitates, in itinere faciundo, equitum, centurionum tribunorum, aut imperatoris ipſius caſus in conferendo prelio, aliáque huiuſcemodi prope innumerabilia aut prouideri ne accidant, aut poſtquam accidere, ne damno ſint, ſatis vbique perſpicere poterit? cùm nullum perſæpe ad proſpiciendum ſpatium propter temporis exiguitatem, nulla opportunitas ob rerum difficultatem imperatori relinquatur, nec idem ipſe & hic & illic vno in tempore adeſſe, nec plura ſimul aut imperare aliis, aut adminiſtrare ipſe valeat. Equidem ego ita ſe habere rem non magis magiſtro ab aliquo in Scholis, quàm ipſo ab vſu, qui humanarum actionum optimus ac ſapientiſſimus magiſter eſt, doctus affirmare audeo: quippe qui iam ſexagenarius quam militiam adoleſcens ſequi cœpi, eam adhuc ſequor. Quo interim tempore animaduerſum à me eſt, non ſemel etiam leuiſſimum caſum ex victo victorem, ex victore victum exercitum reddidiſſe. Tot igitur annorum vſus, & hæc ætas abundè me monere debent, ne quid temerè incipiendum, ne quid inconſultò audendum conſulam. Velle autem tētare fortunam eius eſſe arbitror, cuius res cùm anguſtæ ſint, ſpes etiam anguſtior in dies futura videatur. *Dictum Simonetti ducis apud Io. Ioui. Pontan. hiſt. lib.1.*

Tentare fortunam, vbi conſilio locus eſt, temerarium. *Idem, eodem lib.*

Statuendum eſt fortunam reuera nihil aliud eſſe quàm figmētum poeticum & iudicandum eſt ſuper his peccatoribus iratum eſſe Deum & grauiter offenſum. *Ph. Comineus lib.6.*

Fortunæ nec tu, nec vllus mortalium imperare poteſt. Ipſa arbitrio ſuo pacem, ſed maximè bella gerit. *P. Æmyl. lib.1.*

Fortuna quum benigna ſemel arriſerit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur. *P. Iouius, hiſtor. libro 2.*

Id bellicis rebus fortunam omni prudentia maiorem ſæpe experimur. *eod. lib.*

Fortuna recta monentes ſæpius eludit *lib.4.*

Fortuna (vt plærunque ſolet) ſubtilibus artificiis nihil arridens, tum maximè quum oportet, rationiatque operi ſucceſſum eripit *lib.11.*

Maxima ſæpe rerum momenta in ipſis negotiis fortuna afferre cōſueuit. *lib.13.*

Maxima eſt, vt omnes norunt, in rebus humanis omnibus fortunæ poteſtas: maior in bellicis rebus: ſed incredibilis, immenſa, infinita, in ipſo martis conflictu: vbi ſi quid temerè factum, ſi qua vox vel à gregario milite inaniter miſſa, ea victoriam ad eos transfert, qui iam victi videbantur: vbi repentè caſus innumerabiles accidunt, quos nec proſpicere, nec gubernare conſilio duces vllo modo poſſunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 2.*

FRAGILITAS.

Humanæ fragilitatis nimia in proſperis rebus obliuio eſt. *Curtius, libr. 4.*

Quid tu? ignoras arbores magnas diu creſcere, vna hora exſtirpari? ſtultus eſt, qui fructus earũ ſpectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo cõſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab inualido. *lib. 7.*

FRATRVM *concordia.*

Qui eodem ſanguine prognati, alti ab eadem matre, iiſdem in ædibus creuerunt, & ab iiſdem parentibus diliguntur, eundémque tum patrem tum matrem appellant: quî fieri poſſit, vt non omnium ſint cõiunctiſſimi? Sui ipſius verò curam gerit, qui fratri proſpicit. Nam cui potens frater adeo eſt ornamento, vt fratri? Quis hominem potentem honore tanto proſequetur, quanto frater? quemnam aliquis magis metuat, ſi fratrem potentem habeat, atque ipſum fratrem? Cuinam gratificaturus maiorem te initurum gratiam ſperare debeas, quàm ſi gratificeris fratri? Cui opem ferens belli ſocium firmiorem tibi adiunges? Quem turpius eſt non amare, quàm fratrem? quemnam omnium pulchrius eſt honore anteuertere, quàm fratrem? *Xenoph. de inſtitut. Cyri. lib. 8.*

FRAVDES *vitandæ.*

Turpius eſt his qui imperia tenent, inſidiari honeſto prætextu quàm manifeſta violentia vti. Nam violentia videtur aliquid iuris habere, propter potentiam à fortuna datam: ſed fraus tantum ab iniuſtitia oritur. *Thucyd. lib. 4.*

FRAVDIS *qui ſecuri.*

Qui nihil metuit & nihil ſuſpicatur, nullam ille fraudi anſam præbet, ſicut & in lucta qui ſe nũquam mouet, nullum ad ſternendum colluctandi momentum dat. *Plutarch. in Ageſilao.*

FRAVS.

Fraus fidem in paruis ſibi præſtruit, vt cùm operæpretium ſit cũ mercede magna fallat. *Liuius, Decad. 3. lib. 8.*

FRAVDVLENTI.

Parua integritas & exigua fides ab eis, quos opinamur creuiſſe fraude & artibus, expectatur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 4.*

FRVGALITAS.

Genitrix virtutum frugalitas. *Iuſtin. hiſt. lib. 20.*

Bonæ valetudinis veterum quaſi quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris vſu auerſa. *Valer. Max. lib. 2. cap. 5.*

FVGA.

Stultum eſt qui potiri volunt victoria, hoſ terga, & eas corporis partes

partes quæ & oculis & armis carēt & manibus, per fugam aduerſariis opponere. *Xenophon de pædia Cyri, lib.1.*

Fermè fugiendo in media fata ruitur. *Liu. Decad.1.lib.8.*

In fuga ſalutem ſperare, cùm arma, quibus corpus tegitur ab hoſtibus, abieceris, eaverò dementia eſt. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Contra opinionem militum famámque omnium, videri prælio diffugiſſe, magnum detrimentum affert. *Cæſar, lib.1. de bello ciuili.*

Fuga, quæ ſalutem nunquam reperit, irriti conatus ſtultitiam indicat. *Amm. Marcell. lib.16.*

Nondum in belli periculum venientibus nulla poteſt accidere turbatio: ſi autem ad manus ventum fuerit, anxietate metúque capti, in confuſionem vt par eſt conſuetam faciles cedendo incidunt. *Procop. de bello Perſ. lib.1.*

Fugere idçirco homines ſolent, aciémque ac ſigna deſerere, vt ſuperſtites eſſe poſſint. Quòd ſi mortē & hanc quidem conſpicuam illatura eſt fuga, profectò qui diſcrimen ſubierit longè tutior erit, quàm qui fugam capeſſerit. *Idem de bello Goth. lib.3.*

FVGÆ *pictura.*

Conſule lancea transfixo, magnæ partis fuga inde primùm cœpit: & iam nec lacus nec montes obſtabant pauori. per omnia arcta prę ruptáque veluti cæci euadunt: armáque & viri ſuper virum alij pręcipitantur. pars magna, vbi locus fugæ deeſt, per prima vada paludis in aquam progreſſi, quoad capitibus humeríſque extare poſſunt, ſeſe immergunt. fuere quos inconſultus pauor nando etiam capeſſere fugam impulerit. quæ vbi immenſa ac ſine ſpe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut vbi ne quicquam feſtinauerāt, retro ęgerrimè terram repetebant, atque ibi ab ingreſſis aquam hoſtiū equitibus paſſim trucidabantur. *Liuius, Decad.3.lib.2.*

FVGÆ *repreſſio.*

Non à pedibus tergóque imbelli, ſed ab armata dextra præſidium ſaluti quærēdum eſt: in virtute audaciáque victoria, præda, gloria poſita, in fuga ignauiáque ſeruitus, dedecus, exitium collocatum. *P. Æmyl. lib.1.*

FVGACES *& victi.*

Stultum eſt, eos qui victoria potiri velint cæcas corporis partes, & armis ac manibus deſtitutas, per fugam hoſtibus obuertere. Stultus item, quicunque vitæ cupidus fugæ ſe commiſerit, quum in victoria ſita ſit ſalus, & qui fugam arripiunt, magis intereant, quàm qui ſubſiſtunt. Eſt & is ſtultus, qui opum cupiditate accenſus, vinci ſe patitur. Nā quis ignorat, victoribus & ſuas res ſaluas eſſe, & eoſdem præter illas ſuccumbentium quoque bona conſequi? quum victi eodem momento & ſeipſis & ſuis bonis ſpolientur. *Xenophon de inſtitut. Cyri, lib.3.*

FVRES.

Soli fures de paupertate conqueruntur, dum volunt vitæ ſuæ ſcelera tegere. *Æl. Lamprid. in Al. Seuero.*

FVRIÆ.

Furiæ à diis geniíſque immittūtur impiis & facinoroſis hominibus à quibus & anima & corpore excruciati vitam miſeram perpetuò tolerant, & triſtem vitæ finē

expectant *Dionyſ.Halic.lib.*8.

FVTVRA.

Nulli mortalium Dij certam futurorum ſcientiam dederunt, nec poſt homines natos inuenias quenquam cui omnia ex animi ſententia ſucceſſerint, ita vt nulla in re fortuna ei ſit aduerſata. *Dionyſ.Halic.lib.*8.

Non ita facilè de rebus futuris, quænam illæ futurę ſint, vt de præteritis, iudicari poteſt: Sed illas quidem ſenſibus & cladibus percipimus, has verò diuinationibus & coniecturis coniicimus in quibus plurimum ineſt fallaciæ. *Idem, libr.9.*

Optimè de futuris conſultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis ſumunt. *Idem.lib.*10.

Res futuræ difficulter ab hominibus præcaueri poſſunt: neque facilè quiſquã pericula euadet, niſi numine exorato diuinitus cuſtodiatur, malorúmque leuamen impetret. *Nicet.Manuel.Comn.lib.6.*

FVTVRA.

Futurorum notitia cum agnitione cordium ſoli Deo peculiaris eſt. *Mich.Glyca, Annal.par.*1.

FVTVRA *cautè proſpicienda.*

Nunquam de futuris rebus velut iam factis conſultandum eſt, neque ſpes eſt in iis collocanda quæ aliter euenire poſſunt: ſed ſemper pars aliqua iis quæ præter ſpem accidere poſſunt reſeruanda, cum omnibus in rebus, quandoquidem ſumus homines, tum vel maximè in bellicis. *Polyb.lib.*2.

FVTVRA *incerta.*

Multa perficit Deus inexpectata: quę expectabãtur, fruſtrata ſunt: quæ verò nemo expectabat eorum exitum reperit Deus. Nam futurarum rerum prędictiones, ſiue per ſomnia, ſiue aliis ſexcentis rationibus ſignificentur, multa caligine inuolutæ, multos ab officio depulerunt, & in errorem induxerunt, aliis felicem præter ſpem exitum adeptis, aliis diuerſum. *Niceph.Gregoras, hiſt.lib.*8.

Futura in æquilibrio quodam collocanda ſunt nec in iucunda, nec in triſtia minis inclinante animo: *Idem, ibid.*

FVTVRI *conſideratio.*

Si futura reſpicias, nihil in præſentia neque magnum eſt, neque paruum: ſed idem & mutationum fortunæ & vitæ eſt finis. *Plutarch. in Q. Flaminio.*

FVTVRORVM *contemplatio.*

Ex præteritis factis contemplari futura homines queunt, & in tuto eadem conſtituere. *Longobard. legati apud Procop. de bello Goth. lib.*3.

FVTVRORVM *ignoratio.*

Homines multa ſibiipſis incommoda, ob futurorum ignorationem inferunt. *Procop. de bello Perſ. lib.*2.

G

GAVDIA *triſtibus interturbantur.*

Plerunque magnis gaudiis dolores adhæreſcunt. *Niceph.Gregoras, hiſt lib.*5.

GAVDIVM.

Proprium (& continuum) gaudium bellantibus fortuna tribuere non

non decreuit. *Hirtius, lib. de bello Africano.*

Gavdivm *ineptum.*

Gaudium abſque ratione & conſilio animo accidens, magis eum perturbat æſtúque afficit, & ſui impotem facit, quàm vel dolor vel motus. *Plutarch. in Arato.*

Generosi.

Generoſos homines ſemper & vbique fortiter agere decet. *Procop. de bello Vandilico, lib. 2.*

Viri generoſi ac fortes vel ſi aliqua vna in re fortaſſè fallantur, vel vtcunque ad vota aliquid ſibi minus ſucceſſerit, apud hoſtes exiſtimant ſuam autoritatē imminui. *Idem, de bello Goth. lib. 1.*

Generositas.

Nobiles & fortes viri, antequam contumeliam patiantur, mortem ſibi anteponendam putant. *Xiphilin. Cæſ. Auguſt.*

Turpe eſt, generoſum hominem ingenium in vilibus rebus oſtentare. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib. 9.*

Eſt animi generoſi contemnere quæ vulgus hominum effutit. *Ph. Comineus, lib. 2. de bello Neap.*

Vt animi generoſi verbis incaleſcant, propterea quòd ſæpe cum hac ratione indignationis pars efferbuerit, de factorum atrocitate remittunt, optandum eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 9.*

Generosvs.

Generoſi hominis eſt, honeſtis rationibus victoriam quærere, turpibus ne ſalutem quidem. *Plutarch. in Sertorio.*

Genvs.

Terra mutata non mutat genus. *Liuius, Decad. 4. lib. 7.*

Gentivm *mentes.*

Omnium gentium mentes communis vnus morbus agitare conſueuit, vt ſe contraria in ſtudia ſcindant, & ſi externa deſint mala, inſanis diſſentionibus domi ſæuiant. *P. Iouius, hiſt. lib. 11.*

Gloria.

Gloria maximè ſequitur virtutem ipſam: etenim omnes quodammodo ſtrenuis auxilio eſſe volunt. *Xenophon de repub. & leg. Laced.*

Ex maximis periculis vrbes & priuati homines adipiſcuntur magnam gloriam. *Thucyd. lib. 1.*

Vile corpus eſt iis qui magnam gloriam petunt. *Liuius, Decad. 1. libro 2.*

Spreta in tempore gloria, interdum cumulatior redit. *Idem, eod. lib.*

Gloriam qui ſpreuerit, veram habebit. *Idem, Decad. 3. lib. 2.*

Gloriam parare & quærere arduum eſt: neſcio an tueri difficilius ſit. *Idem, Decad 4. lib. 7.*

Citò gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus. Nec quicquam indignius eſt, quàm conſumi eam vbi non poſſit oſtendi. *Curtius, lib. 9.*

Pulchrum eſt benefacere Reipub. etiam bene dicere haud abſurdum eſt. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Mihi rectiùs eſſe videtur ingenij quàm virium, opibus gloriam quærere, &, quoniam vita ipſa, qua fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quàm maximè longam efficere. *Idem, ibid.*

Gloria induſtria alitur; vbi eam dem ſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt. *Idem, in fragm.*

Expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire Socrates dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam eſſenț,

Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipſam potius virtutem, quàm vmbram eius conſectarentur. *Valer. Maxim. libr. 7. cap. 2.*

Nulla eſt tanta humilitas quæ dulcedine gloriæ non tangatur. *Idem, lib. 8. cap. 14.*

Solet ampliſſima gloria obiecta eſſe ſemper inuidiæ. *Amm. Marcell. libr. 17.*

Multum poſſe ad ſalutem alterius honori multis, parum potuiſſe ad exitium probro! nemini fuit. *Amm. Marcell. lib. 30.*

Longè præſtat cum virtute pugnando perire quàm ſine certamine turpiter incolumē ſeruari: quū hæc proditio potius quàm ſalus appellari poſſit. *Procop. de bello Perſico, lib. 2.*

Plurimum ſibi laudis pariunt, nō q̄ inferiores deuicerint, ſed qui vel in minori apparatu animi magnitudine pręſtēt. Qui verò ſuapte ſūt potius natura timidiores, his, vt audaces ſe præſtent, contulerit maximè. Nam omnes plerunque, quibus à ferro & armis res pendent, ſolo periculorum contemptu incolumes fiunt. *Idem, de bello Goth. libr. 2.*

Gloriæ iactura generoſis animis omni incommodo & calamitate debet eſſe grauior. *B. Facius, hiſtor. libr. 9.*

Magnificentius eſt virtute acquirere parua regna, quàm ex regum regibus naſci: *P. Æmyl. lib. 5.*

GLORIÆ *amor reges præcipuè decet.*

Magnus campus regibus patet ad gloriam, & ad eam cuncti mortales, ſed maximè omnium reges, ſtudio incitati feruntur. Digniſſimum enim diademate cenſuerim, qui quicquid in cæteris pulchri paſſim aut legerit, aut audierit, id omne ſibi vniuerſúmque expetat: & quod deſiderarit in aliis, id prætereà ipſe præſtet. *P. Æmyl. lib. 8.*

GLORIA *cupiditas.*

Sola dulcedo glorię non ſeneſcit: nec, vt quidam aiunt, in ſenecta lucrari magis delectat quàm honore affici. *Thucyd. lib. 2.*

In iis qui pro paribus præmiis certant, par ſtudium & gloriæ cupiditas ad ipſas res gerendas innaſci ſolet: in iis verò ad quos nullus inde fructus & emolumentum redit, nū quam innaſcuntur generoſi ſpiritus. *Dionyſ. Halic. lib. 5.*

Gloriæ cupiditas res eſt infinita, & quæ terminum ad quem perueniri poſſit, nullum hābet. *Plutarch. in Cicerone.*

Optimi mortalium, altiſſima cupiunt. *Tacitus, annal. lib. 4.*

Etiam ſapientibus, cupido gloriæ nouiſſima exuitur. *Idem, hiſt. lib. 4.*

GLORIA *falſa.*

Veterum Græcorum ætate ſumma gloria floruerunt Gorgias Leōtinus Philolai filius, & Protagoras filius Democriti. Sapientiā verò tantùm adfuerunt, quantum à viris pueri. Nam fama popularis & gloria quodammodo videtur non ſemper veritatem perſpicere & audire. Quam ob cauſam ſæpenumero fallit, & tum ad gratiam blanditur, tum etiam mendacia ſpargit. *Ælian. var. hiſt. lib 1. cap. 23*

GLORIA *principum.*

Ea eſt vera ſtabiliſque principum ac regum gloria, ciuium ac populorum quieti ac vtilitati conſulere, vt quas calamitates bello acceperunt,

reperunt, reſarcire per pacem queant. *B. Facius, hiſt. lib.* 8.

GLORIÆ *vis.*

Profectò ea vis eſt gloriæ, vt eius ſtudium eorum qui in Republica verſantur ex animis doctrinam, veluti tincturam aliquam eluere poſſit, affectúſque multitudinis ob conſuetudinem in iis effingere: niſi ſi quis admodum cautus ita cum hominibus agit, vt rerum, non affectionum quæ eas ſequuntur, particeps eſſe ſtudeat. *Plutar. h. in Cicerone.*

GLORIÆ *neglectus & appetitus.*

Qui mollicie præſentem gloriam amittunt, digni ſunt accuſatione, & digni odio qui appetunt nō conuenientem gloriam. *Thucyd. lib.* 2.

GLORIÆ *ſtudium & conſeruatio.*

Viris qui multa ſtipendia meruerunt, nihil omnino potius & carius eſſe debet, quàm tueri priſtinū decus. Hoc enim integro vniuerſi fiūt incolumes, ſuperantque omne periculum inſtantis belli, ſi innatæ virtutis memores eſſe velint; & ſe animo demittere veterano militi longè turpiſſimum exiſtimaut. *P. Iouius, hiſt. lib.* 16.

GLORIÆ *vana affectatio.*

Gloria ne ab his quidem qui contēptum eius introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligēter adiiciunt, vt quod profeſſione eleuant, vſurpatione memoriæ conſequantur. Sed qualiſcunque horum diſſimulatio, propoſito illorū longe tolerabilior eſt, qui dummodo æternam memoriam aſſequantur, etiam ſceleribus innoteſcere non dubitant. *Valer. Max. lib.* 8. *cap.* 14.

Erat Ludouicus Sforcia æternitatis appetens, & gloriæ auidus, ſed qui peruerſis rationibus inanē pro ſolida ſectaretur, vt plerique principes ſolent, qui adepto ſtatim rerū faſtidio, dum veræ virtutis obliuiſcuntur, per ſuperbiam atque animi vanitatem inſaniunt. *P. Iouius, hiſt. libr.* 1.

GRATIA.

Sæpe ex iniuria gratia poſt modum orta eſt. *Liuius, Decad.* 1. *lib.* 1.

Tarda ſunt quæ in commune expoſtulantur: priuatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias. *Tacit. Annal. lib.* 1.

Apud Reges facilius malis quàm bonis artibus homines conſequuntur. *P. Iouius, hiſt. lib.* 18.

Inanis atque admodum caduca eſt popularis gratia in libera ciuitate dominātibus: ciuéſque ipſi dum ex nouarum rerum motibus libertatem reſpiciunt, nulla æquabilis imperij, nulla priſtinæ amplitudinis, nulla denique beneficiorum priuatè vel publicè acceptorum memoria permouentur. *P. Iou. hiſt. lib.* 1.

GRATITVDO.

Qui gratis beneficium accepēre, hi iucundè ſemper beneficio inſeruiunt, tum quia beneficio ſunt affecti, tum quia prius crediti ſunt digni eſſe qui gratiarum depoſitum tuerentur. *Xenoph. orat. de Ageſilai laudib.*

Non cum ipſis corporibus hominum de nobis bene meritorum ipſam beneficiorum acceptorum memoriam defodere decet. *Dionyſ. Halic. lib.* 4.

Æs alienum etiam hæredibus creditorum reddi poteſt: compenſationes beneficiorum niſi ſentiente benefactore fiāt, bonis iuſtiſque ſunt

I

moleſtæ. *Plutarch. in Pyrrho.*

Ei qui ex neceſſitate gratiam fecerit ſuccumbat neceſſe eſt, qui beneficio ſit affectus. *Longobard. legati apud Procop. de bello Goth. lib. 3.*

GRAVITAS.

Grauitate ac manſuetudine ad virtutem ciuilē maximè opus eſt. *Plutarch. in Coriolano.*

Admodum eſt efficax animi ſermoniſque abſciſſa grauitas. *Valer. Max. lib. 6. cap. 4.*

GVBERNATIO *moderata.*

Res fouet tranquilla moderatio imperij, eóque nutriendo perducit, vt bonam frugem libertatis maturis iam frugibus ferre poſſint. *Liuius, Decad. 1. lib. 2.*

GVBERNATORES *Reipublicæ.*

Plerunque rudiores homines melius regunt ſuas reſpublicas quàm aſtuti. Hi enim volunt videri ſapiētiores legibus, & vincere ea quæ ab aliis dicuntur, quia ingenia in maiori re oſtentare non poſſunt, ideo in multis negotiis ciuitates euertunt. Rudiores verò diffidentes ingeniis non volūt eſſe callidiores legibus, nec certare dicendo cum aliis, conſcij ſibi ſuæ infirmitatis, ideo ſæpius proſunt ciuitatibus. *Thuc. lib. 3.*

H

HABERE.

Nihil habenti nihil deeſt. *Curtius, lib. 4.*

HABITVS.

Nemo pius habitu corporis ſuos ęſtimat, vtrique ſæuitia hoſtis, non natura calamitoſos. *Curtius, lib. 5.*

HÆRETICI *& ſchiſmatici.*

Quod ex inuidia fugere vidētur, id veritate victi confitentur. *G. Pachymer. hiſt. lib. 8.*

Pertinacia & temeritate ſua turbant Eccleſiam, & nondum planè ſedatas tempeſtates denuo concitant. *Idem, eod. lib.*

Ea eſt inter diuerſa ſentientes animorum alienatio, vt etiam à congreſſibus & colloquiis abhorreant. *Ibidem.*

HEROES.

Diuina quædam indignatio viris illuſtribus aduerſatur, aut quædam hominum inuidia illis bellum facit. *Dionyſ. Halic. lib. 8.*

Vegeta & ſtrenua ingenia, quò plus receſſus ſumunt, hoc vehemētiores impetus edunt. *Valer. Max. lib. 3. cap. 6.*

Summi viri neque franguntur rebus aduerſis, neque tumeſcunt ſecundis. *P. Æmyl. lib. 5.*

HILARITAS.

Ariſtippus validiſſimis argumentis & ſermonibus vſus hortabatur, neque de præteritis curam poſtea ſuſcipiendam, neque de futuris antea. Id enim animi bene conſtituti eſſe ſignum, & hilaræ cogitationis argumētum. Iubebat autē in diem animum intendere, & diei illam ſolummodo partē, qua quiſque quid ageret, aut cogitaret. Solum enim pręſens in manu noſtra (inquiebat) eſt poſitum: non præteritum, neque inſtans. Illud enim abiit, hoc an euenturum ſit, incertum eſt. *Ælian. var. hiſt. lib 14. cap. 6.*

HISTORIA.

Conſcribitur hiſtoria vt ſit theſaurus potius ad omnem poſteritatem, quàm ludicrum quoddam, quo ad præſens tantum tempus aures demulceantur. *Thucyd. lib. 1.*

In hiſtoriis veritatem, prudentię & ſa-

& ſapientiæ initium, reconditã eſſe exiſtimamus. *Dionyſ. Halic. lib. 1.*

Ex hiſtoria accuratè ſcripta hæc duo, quæ ſunt optima & æquiſſima eueniunt, vt viri fortes, qui fatum ſuum impleuerunt gloriam immortalem adipiſcantur, & à poſteris laudentur: vtque diuinorum illorum virorum & præſens & futura progenies, non iucundiſſimum & facillimum, ſed generoſiſſimum & laborioſiſſimum vitæ genus ſequatur: dum ſecum reputat debere eos qui generis præclara primordia ceperunt, magnificè de ſe ſentire, & nulli rei maiorum inſtitutis indignæ operam dare. *Eod. lib.*

Veritatis & æquitatis ſtudium præcipuum debet eſſe omnis hiſtoriæ ſcopus. *Eod. lib.*

Hiſtoriæ lectores non ſatis capiunt vtilitatis ſi ipſum ſolum rerũ exitum audiant. Nam vnuſquiſque vult ipſas etiam rerum cauſas quærere, & modos quibus res peracta ſit, & mentem eorum qui rem peregerunt & varios fortunę caſus: denique nullas rerum circunſtantias præterire, ſed omnes audire cupit. *Idem, lib. 5.*

Famæ rerum ſtandum eſt, vbi certam derogat vetuſtas fidem. *Liuius, Decad. 1. lib. 7.*

Difficilis inueſtigatu res eſt hiſtoria vera, cùm poſterioribus præteritum tempus cognitionem rerum præripiat: qui verò æquales ſunt eius, cuius vitam aut acta deſcribũt, ij partim inuidia odióque, partim gratificandi ſtudio & adulatione corrupti veritati officiunt. *Plutarc. in Pericle.*

Hiſtoriæ primum ſtudium primariáque conſideratio eſſe videtur inſoliti: grauiſque caſus principio cauſas inueſtigare. *Diodor. Sicul. Antiq. lib 12.*

Et qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere multi laudantur. Ac mihi quidem, tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorẽ, & actorẽ rerum, tamen in primis arduum videtur, res geſtas ſcribere: primùm, quòd facta dictis ſunt exæquanda: dehinc, quia pleriq; quæ delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant: vbi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quę ſibi quiſque facilia factũ putat, æquo animo accipit: ſupra ea, veluti ficta pro falſis ducit. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Ex iis negotiis, quę ingenio exercentur, in primis magno vſui eſt memoria rerum geſtarum. *Salluſt. de bello Iugurth.*

Præcipuum munus Annaliũ reor, ne virtutes ſileantur, vtque prauis dictis factiſque ex poſteritate & infamia metus ſit. *Tacit. Annal. lib. 3.*

Ea debent poni in hiſtoria ab hiſtoriographis, quæ aut fugiẽda ſint aut ſequenda. *Iul. Capit. in Gordianis.*

Haud ab re liber viuentiũ appellatur hiſtoria, rerúmque geſtarũ deſcriptio tubæ clangor, quo iã olim mortui velut è ſepulchris excitati, in mediũ producũtur. *Nicet. Io. Com.*

Quicquid non apertũ eſt atque in promptu poſitum, hiſtoria abominatur: quicquid ſimplex & naturale eſt, atque intelligentiæ obuium libenter admittit. Nã cùm ad veritatem tanquam ad vnicum ſcopũ collimet, atque ab oratoria calliditate & poeticis fabulis quàm remotiſſima ſit: etiam à forma dicendi iis facultatibus propria abhorret. Quãuis autem multum grauitatis & reuerentiæ hiſtoriã comitetur: tamẽ

quia vel opificibus,militibus & mulierculis etiã nota eſſecupit,formulis elegãtiorib⁹ delectatur, veſtémq; amat nõ ſanè luxurioſam & exoticam,ſed ſimplicem & mundam:nec perſpicuitate & breuitate quicquã habet antiquius. *Ibidem.*

Tantus eſt honos hiſtoriæ, vt vel ineptè ſcripta nõ inſulſos homines magnopere delectet. *P. Iouius, præfat.in lib.hiſt.*

HISTORIÆ *ſcribendæ ratio.*

Cùm omnia in quibus hiſtoria verſatur complecti rerum ſcriptores deceat: tũ verò maximè, quomodo quæque res ſingulatim deſcribẽdæ ſint, cura videtur ſuſcipienda. Non enim tantũmodo hæc notatio particularis diligentiáque priuatis hominibus ad conſeruandas augẽdáſque fortunas proficit, verùm hiſtoricis etiam plurimùm adfert decoris atque ornamenti. Quidam, quorum ob eloquentiam ac rerum geſtarũ copiã meritò laudatur opus, in ſingularum rerum deſcriptione aberrarunt: vt eorum labor atque induſtria à legentibus in recenſenda hiſtoria comprobetur, ſcribendi ordo reprehenſione non careat. *Diodor.Sicul.Antiq.lib.6.cap.1.*

HISTORIÆ *antiquioris cenſura.*

Haud ſanè nos fugit, vetuſtarum rerum ſcriptoribus, vt in multis labantur, contingere. Nã & antiquiora illa paululum ſub obſcuram ambiguitatem præbent ſcribentibus: & temporum deſcriptio haud facilis cognitu, quandoque detrahit legentibus fidem. Heroum præterea & cæterorum virorum multiplex ac varium genus non ſatis exquiſitè explicari poteſt. Accidit inſuper, quod omnium eſt difficillimum, vt de antiquorum geſtis ſcriptores inter ſe admodum diſſentiant. *Diodor.Sicul.Antiq.præfat.lib.5.*

HISTORIÆ *lectio difficilis.*

Ambitionem ſcriptorum facilè aduerſamur. Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiũtur: quippe adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt. *Tacit.hiſt.lib.1.*

HISTORIA *ciuilis philoſophiæ par.*

Ciuili philoſophia hiſtoriã haud longè inferiorem duxerim, ni fortè plus aliquid cõferat. Siquidem hæc ipſa hiſtoria haudſecus ac domina, nec mũtabunda quidem, nec adulatrix, iubet plerunque & planè conſtituit, quibuſnam ſit inhærendum, quæve ſint fugienda: & perinde neceſſitatem perſuadendo immiſcet, in animos ſe dum inſinuat, virtutémque collocat, vbi primũ allicibili vtitur oratione, vel exemplorũ varietate, veluti condimentis, quæ narrantur, excolit: ea dicẽdo confirmans, in quibus homines rectiore conſilio vſi, vel æquitate probatiores ſint redditi, vel fortè pro cuiuſquam ſententia, ſiue fortuna duce & hac aduerſante falſi quandoque à recto decoróque aberrauerint. *Agath.lib.1.de bello Goth.*

HISTORIÆ *prima lex, veritas.*

Bonum virum amicorum patriæque amicum eſſe decet, & amicorũ amicos colere, inimicos odiſſe: at eum qui ſcribendæ hiſtoriæ munus ſuſceperit, omnia huiuſcemodi obliuiſci decet, & ſæpe numero ſummis laudibus extollere inimicos, cùm res geſtæ eorũ ita exigere videntur, interdũ amicos neceſſariò ſque reprehẽdere, cùm eorum errores digni ſunt qui reprehendantur. Et enim perinde ac ſi quis oculos ani-

animanti effoderit, quicquid ſupereſt corporis, inutile fit: ita dempta ex hiſtoria veritate, narratio omnis inutilis eſt. Quamobrẽ neque à reprehenſione amicorum, neque ab inimicorum laudibus, cùm ita res feret, abſtinendum: neque turpe putandum, ſi eoſdem aliquando reprehẽdamus, interim laudemus. Siquidem eos qui in rebus gerendis verſantur, neque ſemper rectè facere, neque cõtinuè errare veriſimile eſt. Oportet itaque vt a perſonis abſtinentes, de geſtis illarum competẽter in commentariis ſentiamus ac pronunciemus. *Poly. lib. 1.*

HISTORIÆ *proprium.*

Id maximè proprium hiſtoriç exiſtimamus, caſus varios poſteris tradere: ne fortè noſtri homines eiuſcemodi rerum ignari, ſubitas ac temerarias Barbarorum irruptiones facilè pertimeſcant: ſed certi, quàm leuiter quamque nullo negotio ea gens poſt primos ſtatim impetus, ſi quis eis obſtiterit, infringatur & corruat, omnem potius fortunæ euentum experiri malint, quam aliquid neceſſariũ, vt Barbaris cedãt, prætermittere. *Polyb lib. 2.*

HISTORIÆ *proprium.*

Non tam hiſtoriæ proprium eſt ſcelera atque flagitia hominũ, quàm quæ iuſtè honeſtéque facta ſunt cõmemorare: & qui hiſtorias legunt plus vtilitatis ex rebus ſtudio & æmulatione dignis, quàm ex iniquis & fugiẽdis conſequũtur. *Polyb. li. 2.*

Maximè proprium eſt hiſtoriæ, laudem atque memoriam rerum egregiè geſtarum perſequi. *Idem, eod. lib.*

HISTORIÆ *vniuerſalis & particularis vtilitas.*

Multa humanus animus ex vniuerſalis hiſtoriæ cognitione ad particularium rerum hiſtoriam neceſſaria percipit, nec parũ etiam particularium rerum peritia ad vniuerſalis hiſtoriæ ſcientiam confert: quod ſi vtrumque inuicem iũctum veluti vnam ex ambabus faciẽ prębeat, incredibilem ſanè legentibus fructum adfert. *Polyb lib. 3.*

HISTORIÆ *vniuerſalis neceſſitas & vtilitas.*

Res noſtro ſeculo geſtas ex iis qui priuatas hiſtorias ſcripſerunt intelligere non poſſumus, niſi fortè quis ſit qui cùm priuatas ciuitates ſingulatim traņſierit, aut ſeorſum pictas viderit, putet ſe propter ea vniuerſi orbis ſitum, figuram atque ordinem intellexiſſe: quod nullo modo veriſimile eſt. Ac mihi quidem omnino videntur, qui per particularem hiſtoriam ſatis intelligi poſſe vniuerſa exiſtimant, non minus à vero deflectere, quàm ſi quis, cùm animati atque formoſi corporis ſeparatas inuicem partes conſideret, ideo arbitretur ſe omnẽ eius animalis operationẽ atque ornatũ intellexiſſe. Etenim ſi quis diſtinctas illas ac ſeparatas partes ſumat, coniũgátque inuicem, & animal adhibita forma atq; ornatu animi perfectum efficiat, deinde id rurſus illis oſtẽdat: profectò fateãtur ſe lõgè antea aberraſſe, ſimiléſque ſomniantibus fuiſſe. quendã enim conceptum totius, viſis partibus, facere certè licet: certam verò ſcientiam ac cognitionẽ eius habere impoſſibile eſt. *Polyb. lib. 1.*

HISTORIÆ *vniuerſalis præſtantia.*

Facilius eſt habere atque perdiſcere paucos libros ordine digeſtos, in quibus orbis partium hiſtoriæ

comprehendātur, quàm tot particularium hiſtoriarū volumina vel acquirere vel legere. Nam præterquàm quòd & numero & magnitudine librorum hiſtoriæ vniuerſalis deſcriptionem ſuperant, difficile eſt quicquam certi apud eos cōprehendere. primò quòd non idē omnes de iiſdē rebus ſcribunt, tū quòd res ſimul geſtas prætereunt: quæ ſi inuicem conferantur, longè clarius diſcerni veritas poteſt: denique quòd id quod maximè propriū eſt hiſtoriæ ne attingere quidem poſſunt, hoc eſt ea quæ res geſtas præceſſerūt, quęque ſecuta ſunt, & pręſertim quę ad cauſas attinent. At in vniuerſali hiſtoria nos ita bellum Antiochi conſideramus, vt à Philippico cauſam ſumpſit: Philippicum, vt à Punico: Punicum, vt à Siculo. Vbi quęcunque interea rerum ſunt geſta, & ad idem caput referri poſſunt diligentiſſimè rimantur. Quæ omnia apud eum quidē qui vniuerſalē hiſtoriam ſcribat facilè intelligere licet: apud eos verò qui de particularibus bellis diſſerunt, vt puta Perſico aut Philippico, impoſſibile: niſi fortè aliquis ex vno certamine totius belli ſummam putet ſe poſſe intelligere, quod fieri non poteſt. Itaque quanto præſtat didiciſſe aliquid perfectè, quam id tantūmodo audiuiſſe, tantò vniuerſalis noſtra hiſtoria particularibus bellorum deſcriptionibus præſtantior exiſtimanda eſt. *Polyb. lib. 3.*

HISTORIÆ *ſacræ & ſecularis commendatio.*

Cùm pleroſque veterū hiſtoricorū qui ad noſtrā vſque ætatem fuerūt, ſe ad res geſtas monimētis literarū immortalitati mādandas, diuinitus impulſos eſſe profiteri, è crebra illorū lectione cognouiſſē: aliquādiu verba illa ex ambitione atque inani oſtētatione profecta eſſe iudicaui. Poſt verò, acuti veritatis inſpectores viri illi, res ipſa verò Dei opus eſſe mihi viſa eſt, manu illorū inſtrumenti vice vtētis, quę parū ac nihil potiꝰ (vt paucis dicā) à cœlo & terra, maximis & primis eius operibus differret: quòd quidē ad arcanā eius gloriæ prędicationem, quatenus eā aſſequi licet, pertineret. Nā illa quidē, tanquā taciti præcones amplitudinis diuini opificij, ſenſuū dūtaxat elicere teſtimonia nō deſiſtūt. Hiſtorię verò viua & clara vox, & verè animatū ac vocale pręconiū, ad omnē pertinet poſteritatem, quo velut in vniuerſitatis tabula quidā, tū res ab omni æuo geſtæ, tū naturæ rerū explicatio, quatenus eę perceptæ ignorataeve ſint: tū quibꝰ aliâs alij vel difficultatibꝰ implicati, vel proſperrimis ſucceſſibus, diuinitꝰ ornati, ac pręter omnem expectationē adiuti fuerint, poſteris inſpiciēdæ proponūtur. Ac (vt mea fert quidē opinio) cœlorū & terræ gloriæ hoc ſcripti genere illuſtratur, & magis exſplēdeſcit. Nā ſublata hiſtoria, vnde ſcirēt mortales, cœlū primo illo & immutabili motu agitatū, ſolē & lunā cęteráſq; ſtellas cōtinuēter proferre conſtanti & apta varietate, deique gloriā noctes diéſq; perpetuò enarrare: terrā verò immutabilē illā mutationē, qua ab initio prædita fuit, cōſtanter retinere, ac eundē ortum atque interitū poſteris omnibus denūtiare? Quāobrē ſi nō maiori, pari certè admiratione cuiuſuis cordati hominis digna eſt. Nā qua parte huius mundi opificiū veluti mancū erat, quòd è cœli machina affirmare ac perſuadere nemo poſſit, olim æ-

quę

què genera hominũ extitiſſe,quótque illa fuiſſẽt,& quãdiu illa durafſent,& quid in vita egiſſẽt,quæque beneficia tũ à Deo,tũ à cęlo,tũ à terra,aliis atque aliis tẽporibus atque ætatibus accepiſſẽt, hiſtoria nõ id modò pręſtat:ſed etiã lectores ſuos alio quodã modo vates reddit,quæ futura ſint,ex iis quę pręterierũt cõiiciẽtes.Iã vt is qui in exigua & definita terrę parte habitat,orbis terrarũ fines & extremitates,peculiaréſq; gẽtium & locorũ naturas annorúmque & tẽporum diſcrimina, quæ diuerſis terræ partibus exiſtunt, aliáque bona infinita norit: quis largitur hominibus,niſi vna hiſtorię explicatio? *Nicep.Greg.hiſt.l.*1.

HISTORIÆ *noſtri temporis præſtantia & contemptus.*

Etſi nonnullos viros hæc ætas tulit qui præſtanti ingenio atque doctrina prædiri, tum ad alia quęque, tum ad res geſtas ſcribendas peridonei exiſtimari poſſunt, fuerintque & noſtra & patrum noſtrorum memoria aliquot populi ac principes clari qui magna ac laudabilia facinora geſſere: ea tamen eſt apud pleroſque nouarum rerũ negligentia;vt perpauci ad ſcribendam hiſtoriam ſeſe conferant. Sũt enim quos,cùm legerint aut Alexandri, aut Cæſaris,aut populi Romani facta, hæc noua ac recentiora non multum delectent. Námque ita ſe res habet, vt quæ nobis notiora & familiariora ſunt, hæc in minore pretio neſcio quonam modo habeamus. Ego verò haud abnuerim, nec regem,nec ducem, nec ciuitatem vllam ætate noſtra aut etiam auorum noſtrorum,extitiſſe rerum geſtarum gloria & virtute cum iis comparandam. Quanquam quis eſt adeo imperitus rerum qui neſciat, vel eorum res, quos modò nominaui, deſertorum ſcriptorum beneficio non nihil illuſtriores atque ampliores factas eſſe? Sed certe & hæc recentiora iudicio meo tanti ſunt, vt eos etiam in ætatem ſuam quodãmodo ingratos atque iniquos putem, qui quæ ſuo tempore contigerunt, veluti læuia quædam ac notitia parum digna negligere videantur:cùm ea ipſi potius extollere deberent,& aut aliorum ingeniis illuſtrata perlegere, atque in honore habere, aut eloquentiam hominum,vt res ſui ſeculi ab interitu vindicare vellent, excitare. Hæc tametſi veniebant in mentẽ, non vſque adeo tamen valuere, vt me à rebus noſtris memoriæ mandandis deterruerint,exiſtimantem me nulla in re honeſtiore ac iucundiore exerceri poſſe ingenium. Námque, vt fructum taceam, qui ex hiſtoria maximus capitur, nulla profectò res eſt quæ tanta cum delectatione aut ſcribentis aut legentis animum teneat, cùm propter alia multa, tum propter temporum viciſſitudines, fortunæque varietates,quibus ea redundat omnis. *B.Facius,hiſt.l.*1.

HISTORIÆ *vtilitas,neceſſitas,vſus.*

Nulla hominibus facilior ad vitæ inſtitutionem via eſt quàm rerum ante geſtarum cognitio: nec tantum aliqui, neque aliquatenus, ſed omnes, vt ita dicam hoc principio hócque fine vtuntur, vt veram diſciplinam exercitationémque ad res ciuiles hiſtoriæ cognitionem eſſe dicant,eámque ſolam, ob exempla alienorum incommodorum effectricem & magiſtram.

vt quis poſſit fortunæ varietatem æquo animo ferre. *Polyb. lib. primo.*

HISTORIÆ *neceſſitas & vtilitas.*

Si quis omnibus neceſſariis ita inſtructus ſit, vt nulla re extrinſecus egeat, huic iucundam quidem non tamē fortaſſis neceſſariam fore præteritarum rerum cognitionem. Si quis autem id neque in priuatis, neque in publicis rebus affirmare auſit, cùm homo ſit, ac præſentem felicitatem (vt ſunt res humanæ fluxæ atque inſtabiles) labi poſſe intelligat, non modò iucundam, verum etiam neceſſariam rerum geſtarum peritiam dixerim. Etenim quo pacto quiſpiam, vel illata ſibi, aut patriæ, iniuria, ſocios atque adiutores ad eam propulſandam inuenerit? vel nouis rebus ſtudens, alios in ſuam traxerit ſententiam? vel proſperè cedentibus cūctis ſuorum animos rectè confirmauerit? niſi et ſingula quæque, prout à maioribus noſtris geſta ſunt, cognita perſpectáque habuerit? Ita enim in rebus præſentibus paratus ſemper atque inſtructus ea loqui & agere poterit, quibus & conſilia cunctorum intelligantur, & veritas omnibus pateſiat. Præteritæ quippe res optima ſunt gerendarum rerum documenta, facilèque nobis oſtendunt vniuſcuiuſque rationes, conſilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parere poſſit, quid quenquā aduerſus nos mouere, quid ad miſericordiam, quid ad indignationē, quid ad iuſtitiam atque æquitatem impellere. Quæ omnia & publicè & priuatim plurimum in vitam mortalium momenti habent. *Idem, l. 3.*

Magnas meritò gratias rerum ſcriptoribus homines debent, qui ſuo labore plurimum vitæ mortalium profuerunt. Oſtendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis appetendum ſit, quidve fugiendum. Nam qui multarum experimenta rerum variis cum laboribus periculiſque procul ipſi ab omni diſcrimine geſta legimus nos admonent maximè quid conferat ad degēdam vitam. Ideóque heroum ſapientiſſimus habitus eſt is, qui ſæpius aduerſam fortunam expertus, multorum vrbes ac mores conſpexit. Cognitio verò ex aliorum tum ſecundis tū aduerſis rebus percepta, doctrinā habet omnium periculorum expertem. Omnes præterea mortales mutua quadā cognatione vinctos, licet locis ac tempore diſtātes, ſub vnum veluti conſpectum redigūt: diuinam ſanè prouidentiam imitati, quæ tum cœli ornatum, tum naturas hominum varias communi ordine quodam per omne æuum complexa, quid quenque deceat, diuino munere impertitur. Eodem pacto qui totius orbis, velut vnius ciuitatis acta ſuis operibus inſtruxerunt, in communem vtilitatem ea conſcripſere. Pulchrum eſt igitur, ex aliorum erratis in melius inſtituere vitā noſtrā: & nō quid alij egerint quærere: ſed qd optimè actū ſit, nobis pponere ad imitādū.

Seniorum conſilia quod longa ætas prudentiores effecit, laudantur à iunioribus. At hos tantò antecellit hiſtoria, quantò plura exēpla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaque ad vitæ inſtitutionem vtiliſſima hiſtoria cenſenda eſt, tum iunioribus quos lectio diuerſarum rerum antiquioribus æquat prudētia

tia: tum verò ætate maturis, quibus diuturna vita rerum experimenta ſubminiſtrauit. Adde quòd priuatos viros imperio dignos efficit, imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit, milites propter laudẽ, quæ mortuos ſequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria ſubeũda, improbos timore infamię à malis facinoribus deterret. Denique literarum monumentis quæ teſtimonium virtuti præbent, moti quidam, tum condidere ciuitates, tum leges vtiles vitæ mortalium ediderunt. Nonnulli nouarum artiũ doctrinarúmque inuentores ad vſum gentium extitere.

Sed omnium rerum quibus felicitas hominis paratur, laudem pręcipuam cauſamque hiſtoriæ tribui decet. Eſt enim cuſtos eorum quæ cum virtute acta ſunt, teſtẽ ſe malefactis beneficámque erga omne hominum genus præbens. Etenim ſi ea quæ de inferis, & quidem fabuloſè, feruntur, multum conferunt hominibus ad pietatem ac iuſtitiam ſeruandam: quanto magis putandum eſt, hiſtoriam veritatis aſſertricem, tanquam totius philoſophiæ parentem, mores noſtros effingere ad virtutem? Omnes enim ferè mortales naturæ infirmitate maiorẽ vitæ partẽ otioſi ac ſegnes degũt: quorum vitæ ac mortis ęqua obliuio eſt, cùm parvtriuſque interitus ſequatur. Virtutis verò facinora immortalia ſunt: præſertim cùm hiſtoriæ beneficium acceſſit. Equidẽ decorũ eſt, vt homines pro gloria immortali labores perferãt. Hercules quidẽ magnos multóſq; dum vixit, labores ac pericula ſpõte adiit, vt pro ſuis erga oẽs gentes beneficiis immortalitate douaretur. Cęteros egregios virtute viros, ſũmos honores aſſecutos videmus, omnes certè magna laude dignos, ſed eorum tamen omnium geſta ac virtutes hiſtoria ab interitu vindicauit. Etenim cætera monumenta ad paruum tempus perdurant, variis caſibus diſturbata: hiſtoriæ virtus per vniuerſum orbem diffuſa, ipſum, quod cætera conſumit, tempus, cuſtodem ſui habet.

Adfert prætereà multum opis eloquentiæ: qua nihil ferè præclarius reperitur. Hac Græci Barbaris, docti indoctis præferuntur: cùm hæc vna ſit, qua homines inter ſe cæteris antecellant. Videtur quoque res eſſe tanti, quanti fuerit dicentis virtus & eloquentia. Et quidem viros bonos laude dignos arbitramur: vt qui virtutis iter nobis oſtenderunt. Verùm cũ alij aliud iter ſibi delegerint, Poeſis quidẽ magis oblectare animos, quàm prodeſſe videtur: & gẽtium leges atque inſtituta magis punire quàm docere. Ita & artium reliquarum hæ nihil ad felicitatem conferunt, harum vtilitas damno permiſta eſt. Quædam pro vero docent mentiri. Sola hiſtoria pares verbis res geſtas reprę́ſentans omnem complectitur vtilitatẽ. Nam & ad honeſtum impellit, deteſtatur vitia, probos extollit, deprimit improbos. Deniq; rerum quas deſcribit experimento plurimum proficit ad rectam vitam. *Diodor. Sicul. Antiq l. 1. præfat.*

Cũ genere humano beneac pręclarè ageretur, ſi ſũmi duces, Regéſq; ac Imperatores quę gerũt, ea velut in omniũ gentiũ theatro, ac poſteritatis oculis ſe gerere arbitrarentur: & quæ maximè excellũt, Hiſtoricorum monumentis conſecrata,

cæteri virtutis ſtudio accenſi lectitarent. Pulcherrimum enim cer tamen per multa ſecula intermiſſum tandem repeteretur: ac vtrum illuſtres opibus proceres ſua ætate præclara facinora edendo, an nobiles fide ſcriptores in omne tempus profutura memoriæ prodendo, plus vtilitatis mortalibus afferant, ambigeretur. Illud quoque accedit, quòd guſtata ſemel tantæ rei dulcedine, totius præterea antiquitatis cognoſcendæ cupiditate facilè omnes incenderemur, minúſque iuris Fortunæ libidinique in nos eſſet. In primis bella rarius conſideratiúſque ſuſciperentur: incruentiúſque, ac maiore virtute minoréque vaſtitate geſta, faciliùs, & magis feſta pace dirimerentur: quòd qui rerũ potirẽtur, dum ſe quiſque incorruptis futurorum ſeculorum iudiciis, claraſque in luce ſpectandos componerent, plura fidei clementięque, quàm flagitiorum atrocitatíſve exempla ad veram magnitudinem, nominiſque immortalitatem contendenti propoſita eſſe cognoſcerent: nec nouorum ſemper armorum terrore cognitioni mortalium clauſus maxima ex parte, imperuiúſve orbis terrarum foret: quem, à quibus incolitur, ignorari turpiſſimum duco. Simul vita tutior & minore cupiditate degeretur: ſanctiúſque homini cœleſte numen eſſet, cognitis ſemel veræ Religionis initiis, ac quibus rebus publica fœlicitas, & animorum integritas conſtituta conſeruataque fuerit. Et quia non tam pietas, conſciúſque ſui animus, quàm ſua quenque commoda damnáve mouent, antiquitatis ignoratio, vel eos, qui in cæteris liberalibus artibus conſenuerunt, ſemper pueros, & ſenſus vitæque communis ignaros videri cogit, & in patria ipſos ſua peregrinos, & à Reipublicæ gubernaculis, conſiliorumque cõſociatione ablegendos: quandoquidem ciuilis militariſq; diſciplina ad hoc inſtituta, iuráq; Regnorum, ſimul arces & quibus pariantur, & quib. breuis æui, & quibus longioris ſint, ſimul quibus floreant, quibus intermortua reuiuiſcunt: omnia hæc vna Hiſtoriarum fide continentur: & eorum inſcitia compten tióque, maximorum incommodorum, publicique excidij perſæpe cauſa extitit, futuráque eſt, quoad erit dulcior iuncta cum bonarum artium negligentia ſui admiratio, quàm antiquitatis omnium probarum rerum inuentricis contem platio. *P. Æmil. præfat. hiſtor. Gall.*

HISTORIARVM *regula & defectus.*

Quemadmodum regula etiam ſi longitudine minor & latitudine humilior ſit, ſi tamen id habeat quod regulæ proprium eſt, regula vocatur: ſi verò ad rectitudinem & proprium regulæ non acceſſerit, diuina potius quàm regula vocari debet: ita & commentarij hiſtoriographorum, etiam ſi vel voculis quibuſdam, vel ſtilo, vel alia re quapiam ab iis partibus quæ ipſis ſunt propriæ aberrauerint, ſi veritatem retinuerint, nomen hiſtoriæ recipiunt: ſi verò a veritate defecerint non ſunt amplius hiſtoriæ nomine vocandi. Ego verò, quod huiuſmodi commentarij veraces cẽſeri debeant fateor, & alicubi dixi,

xi,quod ſicuti corpus animatum,ſi oſſa ſint exempta, totum redditur inutile: ita & hiſtoria,ſi veritatem illi abſtuleris, quòd reliquum eſt inanis redditur narratio. Diximus autem duo eſſe mẽdaciorum genera. Vnum, quod fit per ignorantiam,alterum quod ſtudio profertur. Illis qui per ignorantiam aberrant à veritate, ignoſcendum eſt:qui ſtudio autem mentiuntur, implacabiliter ſuccenſendum. Sicut enim qui mente præditi ſunt, quando hoſtes vlciſci ſtatuunt, nõ id primum ſpectant quid meritò patiatur proximus,ſed magis quid ipſos facere deceat: ita & de conuiciatoribus ſentiendum eſt,& primò curandum,non quid inimicos audire,ſed quid nos dicere conueniat,idque impenſiſſimè cogitandum.Illi verò qui cuncta ſecũdum iram & ambitionem ſuam metiuntur, neceſſe eſt vt in omnibus delinquant,& à recto decidant,quando non loquuntur vt conuenit.*Polyb hiſt.l.12.*

HISTORIARVM *præſtantia.*

Vnius ætatis ſunt quæ fortiter fiunt, quæ verò pro vtilitate Reipublicę ſcribuntur,ęterna ſunt.*Veget.l.2.c.3.*

HISTORICI.

Hiſtoricis eligenda ſunt argumenta præclara & magnifica, & quæ magnam vtilitatem lectorib. afferant. Deinde cum magna diligentia & induſtria idonea ſubſidia ad argumentum ſcribendum parãda.*Dionyſ.Halic.l.1.*

Quicquid omnibus videre, aut ab iis qui viderũt audire nefas eſt, ne ſcriptis quidem prodendum cenſeo, quinetiam aliis ſuccenſeo, qui curioſius quærere aut cognoſcere volunt plura quàm legibus eſt conceſſum. *Eod.l.*

Ei qui hiſtoriam ſcribendam ſuſceperit,non ex iis quæ domeſtica & in promptu poſita, ſed peregrinis maiori ſui parte, & aliorum in libris hinc inde diſperſis conſtãtem narrationibus, re vera primò omnium opus eſt vrbe nobili, rerũ honeſtarũ ſtudioſa,hominúmque multitudine affluente:vt & in omnis generis librorum copia verſans, & ea quæ à ſcriptoribus omiſſa,memoriæ tamen beneficio conſeruata fidem merentur, percontando audiendóque percipiens,ita ſuum opus abſoluat & vt ne multa aut neceſſaria in eo deſiderari non poſſint. *Plutar.in Demoſt.*

Græci ſua tantum mirantur:Romani dum vetera extollunt,recentium ſunt incurioſi. *Tacit. Annal. libr.2.*

Iunius Tiberianus Tr.Pollionẽ ad ſcribendam Cæſarum hiſtoriam inuitans dicebat,ſcribe vt libet,ſecurus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites,quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur autores. *Fl.Vopiſc.in Aurel.*

Omnes omnium virtutes tantæ ſunt quantas videri eas voluerint eorum ingenia qui vnius cuiuſque facta deſcripſerint. *Fl.Vopiſc.in Probo.*

Tantum gratia doctarum artiũ valet, vt ſcriptoribus ne ſæui mores quidem ad memoriam officiãt. Quinetiam mors violẽta ipſis gloriæ,exſecrationi actoribus eſt: cũ omnes præcipuéque poſteri,ſic habent,illa ingenia, niſi publico latrocinio,ac per dementiam,opprimi non potuiſſe. *Aurel.Vict.l.de Cæſarib.*

Fruſtra conſcriptio eſſet & memoria rerum, niſi eam ſequerentur regnandi præcepta, ſuæque cuique Reipublicę Regiæve exempla frugifera. *P. Æmyl. l. 1.*

HISTORICI *antiquiores cur in pleriſque fabuloſi cenſentur.*

Nonnulli legentium haud recto iudicio vſi, nimis exquiſitè antiquas res, ex his quæ nunc gerũtur, perpendunt, æſtimantes Herculis virtutem ex noſtrorum hominum imbecillitate. Ita rerum geſtarum nimia magnitudine moti, haudquaquam hiſtoricis crediderunt. *Diodor. Sicul. Antiq. libro quinto, capit. 2.*

HISTORICI *felices qui.*

Rara temporum ea eſt felicitas, vbi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet. *Tacitus hiſtor. libro 1.*

HISTORICORVM *munus.*

Ego quidem ita cenſeo, ſcriptores hiſtoriarum, eoque qui in earũ lectione verſantur, non tam res geſtas, quàm quid eas ſequatur, atque antecedat animaduertere oportere. Nam ſi quis ex hiſtoria tollat, quid, quomodo, cuius gratia actũ ſit, quis finis fuerit: quod ſupererit, veluti contentio quædam & nõ doctrina videbitur: in præſentia quidẽ iucunditatis fortaſſe aliquid, in poſterum verò nullam prorſus ad vitam humanam vtilitatem adferens. *Polyb. l. 3.*

Decet, vt qui ſcribunt hiſtorias, non reſpiciant ad laudes eorum de quibus loquuntur, & multa ſæpe, quæ non exactè norunt prætereant. Quantum ad me pertinet, nihil ſum dicturus alienum à vero, nihil quod vel ipſe non viderim, vel ab hominibus fide digniſſimis acceperim, in eóque nullam habui rationem affectatæ laudationis. *P. Comin. l. 8.*

HISTORICI *parum probati.*

Ego nihil hauſtum ex vano velim, quo nimis inclinant fermè ſcribentium animi. *Liu. Decad. 3. libro 2.*

HISTORICI *inepti & falſi.*

Scriptores quidam non inuſitatis deſcriptionibus, & ficta rerum magnitudine legentium animos perterrefacere ſtudent, non animaduertunt ſe in duo labi ab hiſtoriæ lege alieniſſima. Siquidem & falſa ſcribere, & planè inter ſe pugnantia coguntur: tragœdiarúmq; potius quàm hiſtoriarum ſcriptoribus ſimiles appareant. Nam vt illi frequenter dramata ſua, aut diis aliquibus, aut machinis terminant, quòd falſa irrationabiliáque ſumant principia: hi etiam rerum geſtarum enarratores ſimile quiddam patiuntur: & dum falſa ſumunt exordia, tandem ad deos aliquos ſiue heroas confugere coguntur. Nam quî fieri poteſt, vt ex falſis initiis ſequantur veri fines? *Polyb. l. 3.*

HISTORICI *pſeudohiſtorici, id eſt, imperiti, maledici, Sycophantæ, deſcripti.*

Sæpe, inquit Imper. Andronicus Palæologus, mecum ipſe miratus ſum, quî fieret, cùm pleriſque mortalium quietam & tranquillã prorſus agere vitam liceret, ac plurimos habere quibus admirationi eſſent, nullos verò penitus inimicos: vt ipſi ad quoſuis profcindendos propenſi, linguas improbas, futiles & contumelioſas vltro exacuerent: idque nulla ſæpe occaſio-

ne data, quę ad huiuſmodi maledicentiam iure illos incenderet. Illos verò magis etiam ſum miratus, qui Imperatores ſimul & Patriarchas falſis maledictis inceſſere, ac impudenter proſcindere audent. Sed hi admiratione omnium maxima me affecerunt, qui tam falſa maledicta ſua mandare literis non dubitarunt. Nam conuicia quæ lingua proferuntur ſtatim aura diſſipat. Quæ verò ſcribuntur & libris imprimuntur, diutius & grauius eos quos læſere iniuria, præmunt: autoritate à ſcriptura petita, & longo tempore ſe iactante.

Ignoro autem vtrum, nec ſcio qua gratia hæc facere ſtudeant, aut cuius lucri ſpe in talia præcipitia incurrant. Nam ſiue vt ſingularem ſuam improbitatem expleant, adeo falſa maledicta congerunt, malè faciunt, ac turpiter admodùm, ſuóque (quod aiunt) capiti nocent. Nam improbitatis ſuæ monimentum produnt poſteris, quòd cùm benedicendo & celebranda veritate innoteſcere auditoribus liceiſſet, plauſtris conuiciorum in innocentes effundendis ſemetipſos publicè traducere maluerunt: haud ſecus ac ſi is, cui liceret in terra cõtinente beatè ſecuréque viuere, in Atlantici maris tempeſtates ac fluctus vltro ſe coniiceret. Scelerum porro exempla ſcriptis ſuis proponere poſteris, & interitus eorum ſponte reum fieri, id verò quę præcipitia non meretur, cùm duplicibus aut triplicibus criminibus ſe obſtringant? Quas enim res vt inſolitas ciuitatibus & improbatas, quam longiſſimè exterminaturi & abominaturi erant, eorum metu quibus & inſectari & vrbibus eas exigere promptum eſſet, quemadmodum olim Athenis ex albo iudicum delebant per fraudem inſcriptos & republica indignos: has iam cupidè amplectentur, vt ab aliis ante factas & probatas, & à conſuetudine non abhorrentes. Solent enim homines, quorumuis criminum rei, ſuam imitationem ad exẽpla veterum referre, vt cauſam habeant inuehendi in eos qui illa arguere inſtituerint.

Siue igitur hac de cauſa ita conuiciantur & mentiuntur, multum falluntur: ſiue ob diuturnitatem ſcriptorum ſuorum, etiam ſic procul à ſcopo aberrant, infirmis rationum ſuarũ iactis fundamẽtis. Sciunt illi quidem forſitã, vulgi aures inſectatione aliorum quàm eõl laudatione magis delectari, ac iniurias quàm rectè facta libentius legi, quanuis illas prolixa mendacia venditent, hæc verò lux veritatis antecedat: eóque ſic hiſtorias ſuas componunt, vt ij qui multis ſeculis poſt futuri ſunt, eas longiſſimo tempore cum voluptate legant. Nec in hoc vel iuſtitiæ præſidem animis intuentur, vel æqua & recta bonorum virorũ iudicia reuerentur. Quę res nõ adeo illis obeſt quos vituperant, quàm ipſis obtrectatoribus: quòd & homines cordati malis ſuſpicionibus aduerſus illos conceptis, quæ mille probris ſcatent, eos inter improbos perpetuò numerabunt: & Deus, iuſtitiæ præſes, linguas eorum grauioribus pœnis perſequetur.

Atque etiam interdum ex ignoratione veri & imperitia rerum, quæ à quouis audierint, priuſquam expendant, ſiatne probabilia & ve-

ritati conſentanea, an verò abſurda,& ab ea prorſus abhorreant,ſic illas chartis illinunt, ac memoriæ mandant, eáſque cauſas adferunt quæ nullæ ſunt, & ea dicunt, quæ neque facta ſunt,neq; omnino fieri poſſunt: quales eſſe Platonis Ideas accepimus,& tragelaphos ex Indicis monſtris in Aſia narrari ab iis qui figmenta figmentis cumulant,vt maiorem in animis auditorum admirationem excitent. Quapropter huiuſmodi portenta ſcriptorum noſtræ ætatis, quoad potuero,coarguam, qui nec acrib. ingeniis præditi, nec in Republica verſati ſunt, vnde iudicium gerendarum rerum peterent, vſu & experientia partum; qua multas etiam ſegnes naturas velut è ſomno tandem excitari videmus,& vrbaniores reddi,vt inter eos numerentur qui prudentia pollent, & aliorum conſuetudine linguas excoluerunt; id quod fit ciuilibus quæſtionibus pro tempore propoſitis: ſed illa immatura ætate perperam deſcripſerunt,& in ocio atque exercitatione literaria multis annis conſumptis, veluti ſurdis auribus res quolibet tempore geſtas prætervecti,omnẽ ętatẽ exegerũt. Quòd ſi rem non tam ineptè tractaſſent,minus eſſet illis ſuccenſendum. Vſque adeo tenebris & angulis digni illi homines, nullo ingenio, nulla dexteritate,ad eloquentiæ exercitationem ſeſe contulerunt. Omnis enim ſcientiæ & artis perfectio, tanquam fundamento & baſi, ingenio nititur Quod ſanũ ſi fuerit, magnum adfert ad rem ritè conficiendam adiumentum: veluti ferrum & æs,quod fabro facilè cedit. Sin illud infirmum fuerit, ſcientiæ doctrinæque fundamentum labaſcit ac corruit. Id quod bonis iſtis viris accidit, qui ferè ſegnibus & inertibus ingeniis præditi,ſi quid ex inſtitutione doctrinæ conſecuti ſunt,caducum tamen illud & maximis vitiis inquinatum protulerunt. Ego verò quoſdam veterum ſapientum dixiſſe audio,iis qui ad ſcribendum adiecerint animum,peritos pictores eſſe imitandos,qui ſi archetypum aliquo naturæ vitio laboret,ſiue exceſſu,ſiue defectu partium corporis, non id totum in pictura imaginis exprimunt,ſed alicubi quidẽ ad ſimilitudinem oſtendendã inſerunt,alicubi verò prætereunt; ne vel perpetua ſit imaginis deformitas,vel naturæ probrum quoddam oculis ſemper obuerſetur,ac dicacibus hominibus ioci deriſúſque materiam præbeat. At præclari iſti vel ignari,vel inimici veritatis tãtùm abeſt vt aliquid verorum erratorum ſilentio diſſimularint, vt etiam multa,quæ nec dicta,nec facta fuere, literis mandarint: adeo acerbi & petulantes veritatis hoſtes extiterunt. In quas verò ſalebras non inciderent,qui ea ſcribẽda ſuſcipiunt,quę nec ipſi viderũt, nec ex iis qui res geſſerunt aut viderunt, audire ſtuduerunt: ſed ea portenta, quæ in proſtibulis ebria lingua, aut à deliris auiculis referuntur. *Niceph. Gregoras, hiſtor. libro primo.*

HISTORICI *imperiti.*

Ad portenta prodenda plerique ſcriptores inclinant. *P. Æmyl. libro primo.*

HISTORICI *malæ fidei, notati.*

Scriptores horum temporum, & vulgares,& eruditi paſſim res ita nar-

ta narrant & contexunt, inuolucris vt rerum & verborum veritatis amiciſſimam ſimplicitatem tegant: potentiorum vt auribus omnia data prudentes rerum æſtimatores intelligant, totaque mente in ea cogitatione curáque verſari videntur, ea demum vt literis mandent, quæ illis grata ſunt, & ad id vnde aliquis flatus oſtendi poteſt vela dant, vt quam lucem veritatis, vitæ memoriam, nunciam vetuſtatis hiſtoriam ſapientiſſimi homines dixerunt eam (quoad eius fieri potuit) artificioſum mendacium, corruptelam diſciplinarũ reddant. *Ar. Ferron. pref. in hiſt. Gall.*

HISTORICVS.

Non decet hiſtoriæ ſcriptorem duntaxat res crudeles, atque legẽtibus exponere. *Polyb. l. 2.*

HISTORICI *munus.*

Scriptorem hiſtoriæ decet firmatas in conſiliis ſententias principibus tribuere, quorum nutu omnia gubernantur. Qui verò hiſtoriam aut legunt, aut audiunt, exiſtimare debent, eiuſmodi ſententias eorum eſſe, qui cùm prudentiores, tũ proximiores ſunt principibus. *Polyb. l. 4.*

Conandum eſt in hiſtoriis, vt auditori ad faciendam fidem ſatiſfiat. *Idem, eod. l.*

Hiſtoriæ ſcriptorem conuenit non ea tantùm quæ ad obloquendum & accuſandum faciunt, ad poſteros commemorando tranſmittere, ſed & quę ad laudem viri ſpectant. Eſt enim id hiſtoricę propriũ. Nam qui virtutes omittunt, id nõ minus quàm mendacium in illis eſt culpabile. *Polyb. hiſtor. l. 12.*

Ego hiſtorias honore ſuo frui dixerim: quando vel ij ſcribere hiſtorias conantur qui rebus gerendis ſunt exercitati, nõ obiter, quẽadmodum nunc accidit, ſed hoc quoque ſibi & ſummopere neceſſarium & optimum eſſe iudicantes, vt indiuulſè per vitam ſuam huic parti incumbant, vel qui ſcribere aggrediuntur, habitum ex ipſis rebus contractum conſcribendæ hiſtoriæ neceſſarium iudicant. *Idem, eod. l.*

In omni rerum geſtarum narratione, illud ſcribentis videtur eſſe officium, vt libris ſingulis ciuitatum aut regum facta integra ab initio ad finem vſque comprehendat: quòd ita præcipuè narratæ res fideliori memoria retineantur, & aptiores fiant ad cognoſcendum. Quæ enim interrupta finem principio continuum non habent, ea intentionem & ſtudium legentiũ abrumpunt: quæ verò continenter ad exitum deducuntur, abſoluta vtique rerum ipſarum vtuntur declaratione. *Diod. Sicul. Antiq. lib. 16.*

HISTORICI *prudentia.*

Neceſſarium eſt eoſdem aliquãdo laudare, rurſus aliquando vituperare: eo quòd rerum momenta & euentus cùm ad peiora, vel aliquando ad meliora inclinant, mortalium animos frequenter immutant. Accedit etiam aliquando, vt homines ſecundum naturam ſuam nunc ad ea quæ conueniunt, nunc ad contraria contendant. *Polyb. hiſtor. l. 16.*

HISTORICI *poetæ diſcrimen.*

Scriptorem rerum geſtarum docet non mouere hominũ affectus, neque orationem ad id aptam perquirere, neque calamitates mortalium inſectari, quod Tragœdiarũ ſcriptores faciunt, ſed dicta factá-

que hominum verè referre, etiam ſi mediocria fuerint. Neque enim eſt idem hiſtoriæ atque tragœdiæ finis, ſed planè contrarius. quippe in hac elaborandum vt veriſimili oratione animos audientium in ſpem, metum ſolicitudinem, voluptatem, aut alium huiuſcemodi affectum trahamus. illic autem totis viribus adnitendum, vt operũ noſtrorũ ſtudioſis dicta factaque hominum verè referamus. Quam ob rem illic veriſimilibus rebus opus eſt, vt ſpectatores facilius decipiantur: hîc veris, quia in vtilitatem legentium ſcribuntur. Adde quod idem author plerunque inter ſcribendum, nullam neque cauſam, neque rationem earum rerum adducit, ſine quibus neque ad miſericordiam, neque ad indignationẽ mouere quempiam iuſtè poſſumus in rebus humanis. Nam quis eſt qui non indignum putet, hominem liberum cædi? tamẽ ſi quis ob patratum à ſe delictum quid paſſus fuerit, iure eum id paſſum fatemur. Porro ſi caſtigandi emendandíque gratia quiſpiam hominem liberũ verberaret, nonne honore ac gratia dignus ab omnibus iudicabitur? Eodem modo ciuem interficere nefas eſt, ídque punitur acerrimè. At ſi quis furem, aut adulterum interfecerit, nónne inſons eſt? Quod ſi proditorem patriæ aut tyrannum quiſpiam obtruncarit, nõne ab omnibus laudabitur? cõmendabitur? extolletur? Ita in omni re finis & intentio hominis ſpectari debet, ídque nõ ibi eo quod cõmittitur, ſed in cauſis ac propoſito, cõſideratis rerũ differentiis. *Poly. li. 2.*

HOMICIDIVM.

Nihil intereſt, vtrum ipſe occidas, an cædis cauſam præbeas. *Nicet. Iſaac. Angel. l. 1.*

HOMINES.

Quòd homines errent, vt homines, nihil puto mirandum eſſe. *Xenoph. de pædia Cyri, l. 5.*

Eos hortabantur ne, quum homines eſſent, quicquam præter humanam naturam ſentirẽt, néve immortales iras in mortali corpore gererent. *Dionyſ. Hal. l. 5.*

Quæ proſunt & quæ obſunt homines facillimè cognoſcunt, quãdo ea ex multorum exemplis vident; iiſque qui ſe ad hæc hortantur prudentiæ magnæque ſapientiæ teſtimonium dicunt. *Idem, l. 11.*

Quantamcunque felicitatem habeant homines, ſemper tamẽ inuidiam ſentiunt maiorem. *Curt. l. 4.*

HOMINVM *amiſsio.*

Non agrorum aut villarũ amiſſio, ſed hominum deploranda eſt. Non enim prædia potiuntur viris, ſed viri prædiis. *Thucy. l. 1.*

HOMINVM *conſuetudo periculoſa.*

Timon, cognomine miſanthropos, ſolus nouit felicitatis compotem eſſe non poſſe, qui hominũ aliorum conſuetudinem non defugiſſet. *Pauſ. l. 1.*

HOMINVM *genus.*

Prolis humanæ portio res eſt diis omnium longè chariſſima. *Dionyſ. Hal. l. 1.*

HOMINVM *imbecillitas.*

Neminẽ ex omni numero mortalium crimine carere cerno. *Xen. de reb. geſt. Græc. l. 6.*

HOMINVM *ingenium.*

Homines, ob cætera quidẽ delicta admiſſa, ſolent iraſci, ſed quãdo eſt aliqua proditionis ſuſpicio exiſtimant magnæ eſſe prudentiæ, ſi vano metu territi potius ſibi ab

ea caueant, quàm ob eius contemptionem ſe funditus euerti patiantur. *Dionyſ. Hal. l.5.*

Homines quum audiunt ea quæ in aliqua ciuitate geſta ſunt, nō ſatis habent ipſa rerum capita & earum euentum cognoſcere: ſed etiā & quænā fuerunt neceſſitates quibus ciuitas preſſa tum hæc atrocia & miſeranda mala pertulerit, & quibus rationibus ciues adducti, & quorum oratione impulſi, id fecerint, & omnia quæ res ipſas comitantur ſcire volunt. *Idem, l.11.*

Auguſtus cùm eſſet luxuriç ſeruiens, erat tamen eiuſdem vitij ſeuerissimus vltor, more hominum, qui in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgēt, acres ſunt. *P. Diacon. in. Auguſt. hiſt. l.7.*

Commune humani generis vitium eſt, vt ſeruire externis malint, quàm cedere ſuis. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.3.*

Illud eſt communi hominum naturæ inſitum, vt prius propinquiora pericula timeant, & præſentia pluris quàm decet faciant, futurarum verò rerum atque remotarum minorem habeant quàm debent rationem: quoniam ad ea multa remedia & caſibus & tēporibus ſperari poſſunt. *Idem l.7.*

HOMINVM *miſeria.*

Falſò quæritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla atque æui breuis, ſorte potius quàm virtute regatur. Nam, contrà reputando, neque maius aliud, neque præſtabilius, inuenias magiſque naturæ, induſtriam hominum quàm vim aut tempus deeſſe. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

HOMINVM *vecordia.*

In calamitates varias neſcio quo modo cuncti homines, palam & apertè incidentes, ſibi tamē conſulere nequeunt, imò ne ad momentum vel breuiſſimum diffidere norunt: à brutis animantibus hac in parte ſuperati. Nam bruta, ſi ob eſcam in retia inciderint, aliúd ve periculū ſubierint ſemel, haud facile ad foueam & laquei vmbrā poſtea adduxeris: ſed & locum ipſum ſuſpectum habent, & quibuſlibet eiuſmodi ſpeciem habentibus diffidunt. Homines verò cū de aliis audiant, alios adhuc hoc pacto perire videant, nihilominus tamen quamprimum quis blādioribus verbis vſus ſpem meliorem propoſuerit, ad illecebras incauti accedunt, etſi certò ſciant neminem vnquam ex illis euaſiſſe qui huiuſmodi eſcas vorarunt, ſed cunctis indubitato fuiſſe exitio. *Polyb. hiſt. l.15.*

Humanum genus, quod omnium animantium vaferrimum eſſe videtur, multum rationis habet ad hoc vt ſit vitioſiſſimum. Etenim reliqua quidem animantia, corporalibus concupiſcentiis ſeruientia, per eas ſolas ſeducuntur. Humanum verò genus quoniam gloriæ ſtudioſum eſt, non minus per incogitantiam, quàm per naturam peccat. *Idem, l.17.*

Facta audacia & præclara multi quidem appetunt, pauci verò aggrediuntur. *Idem, eod. l.*

HOMO.

Omnino calamitoſa res eſt homo. *Herodot. l.1.*

Si homo es, id quod es, ſemper eſſe te cogita. *Curt. l.7.*

Noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt: animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur. Al-

terum nobis cum diis, alterum cū belluis commune eſt. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Homo *animal ſtolidiſſimum.*

Quidam belli dux factis cum Selgenſibus ciuibus quos obſidione premebât induciis, ſpem fœderis ineundi iniecit, copias validiores expectans, & cuidam in vrbe proditori perficiendæ rei crudeliſſimæ, id eſt ciuium cladis opportunitatem præbens. Inter hæc cum in ſermone oppidani & oppugnatores frequenter conuenirent, paulatim quaſi conſuetudine quadam factum eſt, vt milites commeatus gratia liberè in vrbem proficiſcerentur, quæ res multis ſæpenumero internecionis cauſa fuit. Quo fit, vt mihi quidem videatur ex omnibus animalibus nullum ſtolidius, aut magis expers rationis eſſe, quàm hominem, qui à pleriſque callidiſſimus omnium iudicari ſolet. Quot enim caſtra? quot munimenta? quot arces? quot & quales ciuitates per hunc modum in manus hoſtium deuenere? Quæ cùm quotidie accidant, cernantúrque ab omnibus, ſemper tamen neſcio quo modo noui ac rudes in huiuſmodi rebus eſſe videmur. quod ideo fit quia ea quæ ſuperioribus ſeculis maioribus noſtris acciderunt, non conſideramus: ſed ad apparatum frumenti, pecuniarum, murorum & ſagittarum intenti cū labore & ſumptu hæc duntaxat cō quirimus. Quod verò facilimum eſt, maximóſque in periculoſiſſimis temporibus vſus adfert, id omnes contemnimus, ac pro nihilo habemus: cùm nobis alioquin liceat cum quiete & tranquillitate in hiſtoriis & rerum geſtarum commētariis ediſcere, & quaſi experiri. *Polyb. hiſt. l. 5.*

Homo *nullus perfectus.*

Mortalium in terris nemo planè labis expers eſt, etiam ſi quis ad ſummum virtutis verticem perueniat. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 150.*

Homo *qua ratione domatur.*

Homo ſuapte natura neque efferum eſt neque quod domari non poſſit animal, ſed vitiis contra naturam vtendo degenerat: diſciplina porrò, locorúmq; & victus mutatione etiam feræ cicurantur, ſæuitiámque ſuam, cultui mãſuetiori adhibitæ, exuunt. *Plutarchus in Pompeio.*

Hominis *ingenium.*

Humanus animus inſatiabilis eſt eo quod fortuna ſpondet. *Liu. Decad. 1. l. 4.*

Honestas.

Honeſtas idoneum militem reddit. *Veget. l. 1. c. 7.*

Honeſtati incumbendū eſt, qua detracta, nec principi Deo placere, neque apud mortales auctoritatem vllam ſtabilem aut gloriam conſequi poſſumus. *B. Facius, hiſt. libr. 10.*

Honestum.

Quum quis res alienas nō appetit, ſed ſuas tantum repoſcit, & paſſus repulſam armis ius ſuum perſequitur, hoc omnium confeſſione honeſtum eſt. *Dionyſ. Halicarn. libro 8.*

Animo per libidines corrupto, nihil noſtri ineſt. *Tacit. Annal. libro 11.*

Honesti *& vtilis diſcrimen.*

Iis qui proſunt merces & gratia ab iis qui accipiunt id beneficium, bonis verò honor à bonis ſemper debetur.

debetur. *Plutarc. in Philopœm.*

HONOR.

Gratia atque honos opportunio ra interdum non cupientibus ſunt. *Liu. Decad.* 1. *l.* 4.

Virtutis vberrimum alimẽtum eſt honos. *Valer. Maxim. libro* 2. *caput.* 6.

Honorem in hominum pectoribus generis claritas alit. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 1.

HONORIS *in iuuenes collati effectus varius.*

Vt decus & honor maturius collatus in iuuenes leui tantum gloriæ cupiditate affectos, ardorem eum extinguit, ſiti q; ſtatim expleta ſatietatẽ adfert: ita eadẽ grauis ac conſtantis ingenij iuuenibus tributa, augent apud eos ſtudium gloriæ, auræque inſtar afflantis impellunt ad honeſtatem perſequẽdam. non enim quaſi accepto præmio, ſed vt ſi pignore ſeſe obligaſſent, turpe ſibi putant fore, ſi exiſtimationi ſuæ deſint, ac non aliis ſuper alia præclarè factis de ſe conceptã expectationem vincant. *Plutarch. in Coriolano.*

HONORES.

Magni fiunt animi magnis honoribus. *Liu. Decad.* 1. *l.* 4.

Honores, opes, & quicquid eſt eius generis, ab alieno pendent arbitratu. *P. Comin. in præfat.*

HONORES. *aliis collati.*

Candidis animis voluptatem præbent in conſpicuo poſita, quæ cuique magnifica meritò contigerunt. Quia æquè præmiorum virtus, atque honorum contemplatio iudicanda eſt, ipſa natura nobis alacritatem ſubminiſtrante, cùm honorẽ induſtriè appeti & exolui gratè videmus. *Val. Max. l.* 8. *c.* 15.

HONORES *principibus delati.*

Quod reges aut principes de beneuolentia multitudinis erga ipſos ſtatuunt ex abundantia honorum ſibi oblatorum, leuiſſimum ac ferè vanum ſequuntur iudicium: etenim his honoribus, quorum pulchritudo à voluntate eorum qui offerunt æſtimanda eſt, fidem metus derogat, cùm ij & metus & beneuolentiæ cauſa decerni poſſint. Itaque qui ſapiunt, ij nõ ad ſtatuas, picturas, diuinóſve honores, ſed ad ſuas ipſorum actiones reſpiciẽtes, illis aut vt honoris cauſa delatis fidunt, aut vt neceſſitate extortis diffidunt: intelligentes populum ſæpe tum maximè, cùm honores decernit, odio habere eos, qui immodicos honores, idque ab inuitis accipiunt. *Plut. in Demet.*

HONORES *mutant mores.*

Magni honores, immodicæque poteſtates etiam hominũ animos ad faſtum extollunt atque corrũpunt. *Dion, l.* 36.

HOSPES.

Orationis acerbitas aduerſus hoſpitem ſubeunda, ſicut medici cùm ſalutis cauſa triſtiora remedia adhibent. *Liu. Deca.* 5. *l.* 2.

HOSTIS.

Bona maláque hoſtium ex propinquo ingreſſus fines aſpicias. *Liuius, Decad.* 3. *l* 8.

Nihil in hoſtibus, pręſertim barbaris, tam cauendum, quàm dolos, perfidiam, & deceptionem. Itaque nihil eſt quo facilius aut melius ſe tueri ac defendere ab iis duces & milites poſſint, quàm diffidentia & incredulitas. *Polyænus, Strateg. lib.* 7.

Qui vnum hoſtem ſponte ſuſcipit, multos inuitus habet. Amici

ſinguli in periculis, hoſtes gregatim occurrunt. *P. Æmyl. libro primo.*

Non eſt difficile contundere ferociã hoſtis, qui abiecta iuſti prælij ſpe latebras captat & furtis inſidiarum nititur. *Idem, l.2.*

Nec temere contemnere hoſtes, nec eos demiſsè nimis ac perditè timere oportet. *P. Iouius, hiſtor. libr.3.*

Quæ pleriſque ardua videntur, opinione omnium faciliora euadunt: conatúſque hoſtium maiore aliquanto cum voluptate quàm periculo militum noſtrorum penitus eluduntur. *P. Iouius, hiſtor. libro 3.*

HOSTES *contemnendi, qui.*

Hoſtes qui noſtræ tantùm externæ inordinationi confiſi contra nos veniunt, vbi ſe ſpe fruſtratos eſſe ſenſerint, facilè pugnam detrectant. Multitudo verò qua ſe illi timeri putant, omnino eſt deſpicienda. *Procop. de bel. Perſ. l.1.*

HOSTES *non contemnendi.*

Nemo hoſtes contemnendos idcirco ducat, quia multitudine ſint inferiores, vel quia cum deuictis ſit decertandum, & in eos eundũ, qui fracti iam animo ſint. Multi námque falſa opinione decepti, ſeipſos ſæpius fefellerunt, & dum importunè alios paruifaciunt, partas iam vires diſſoluere potuerũt. Nam aliàs antehac res malè geſtæ viros ſolent ad egregium aliquod facinus factitandum hortari, nimirum cum fortuna ipſa vel deſperatis iam rebus ad optima quæque & maxima audendum compellit. *Procop. de bel. Goth. l.3.*

HOSTES *debellati quomodo tractandi.*

Æſtus, frigus, cibi, potus, ſomnus & labores communes nobis eſſe cum ſeruis debent: ſed ita tamẽ hæc cum ipſis communicabimus, vt enitamur in his primùm potiores ipſis conſpici. Militaris verò ſcientiæ atque exercitationis nihil omnino communicare cum his debemus, quos & operarios noſtros & vectigales efficere volumus: ſed hiſce exercitiis nos ſuperiores ipſis eſſe debemus, atque adeo ſcire Deum hominibus hæc libertatis beatitatíſque inſtrumenta demonſtraſſe. Et quemadmodum ipſis ademimus arma, ſic nos ipſos nunquam ab armis deſtitui oportet: adeóque ſciendum, eis omnia quæcunque velint maximè propria eſſe, qui quam proximè ab armis abſint. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib.7.*

HOSTES *cautè aggrediendi.*

Iniquo atque infelici loco hoſtem adoriri, nihil aliud eſt quàm feras exagitare, atque ipſas vltimo ſalutis diſcrimine efferatas, irritare: vltima ſiquidem neceſſitas in rabiem vertit, atque eos plerũque, qui penitus de vita deſperent, ex timidis longè fortiſſimos facit. *P. Iouius, l.2. hiſt.*

HOSTES *damno afficere.*

Tũc aliquis maximè nocet hoſtibus, quando ea damna quæ maximè intelligit eos metuere infert. Credibile eſt enim quemlibet ſua pericula & maximè intelligere & metuere. *Thucyd. l.6.*

HOSTES *decipere.*

Hoſtes non modò decipi iuſtè poſſe Ageſilaus dicebat, ſed & gloriam ei rei, & cum voluptate lucrũ comi-

comitari. *Plutarch. in Ageſilao.*

HOSTIS *qui formidabiles.*

Magis metuunt homines illos hoſtes, qui priores audent inuadere, aut certè qui oſtendunt, ſi laceſſiti fuerint, ſe ad bellũ propugnãdum paratiſſimos: quia illi ſe par periculum incurrere vident. *Thucyd. l. 6.*

HOSTIS *fugientes num perſequendi ſint.*

Quum Cyrus de Aſſyriis fuſis fugatis perſequendis daret conſiliũ Cyaxares in hunc modum reſpondit, inter homines cæteros, mi Cyre, vos Perſas maximè hoc meditari, vt nulli prorſus voluptati addicti ſitis, equidem & videndo & audiendo cognoui. Mihi verò multò magis conducere videtur, vt maximè quis voluptati non ſuccumbat. Quid verò voluptatem hominibus maiorem conciliauerit, quã fortuna proſpera, quæ hoc tempore nobis obtigit? Si ergo, quum res nobis ſecundæ ſint, temperanter hanc conſeruemus, fortaſſe poſſimus ad ſenectutem vſque nullis obnoxij periculis feliciter agere. Sin eius nulla nos capiet ſatietas, ſed aliam ex alia perſequi conabimur: videte ne idem nobis accidat, quod accidiſſe multis in mari dicitur, vt elati fortuna proſpera finem nauigandi facere nollẽt, donec interirent. Multos itidẽ aiunt victoriam adeptos, dum alteram expeterent, priorem quoque amiſiſſe. Nam ſi hoſtes fugiẽtes nobis pauciores forent, fortaſſe tutum eſſet pauciores perſequi. Nunc verò cõſideres velim, cum quantula ipſorum parte nos omnes prælio congreſſi vicerimus. Cæteri pugnæ nõ adfuerunt, quos ſi ad pugnandum non cogemus, & noſtrûm & ſui ipſorum ignari, propter imperitiã & animi mollitiem, diſcedẽt. Sin animaduertẽt, nihilo ſe minus in periculo fore ſi abeant, quàm ſi ſubſiſtãt; vide ne cogamus eos, vt prçter animi ſentẽtiam fortiter ſe gerant. Nam ſcire debes, non tam illorum vxores ac liberos capiundi te cupidum eſſe, quàm ipſi ſeruandi ſint cupidi. Etiam ſues ſylueſtres cogitato, poſteaquam viſæ ſunt, cũ natis fugere, tametſi multæ ſint numero. Sin quis natos venetur, nõ iã amplius, ne ſi vna quidem ſit, fugit: ſed eum qui capere conatur inuadit. Nunc quidem intra munitionẽ occluſi, poteſtatem nobis conceſſerunt pugnandi cum tanto ipſorum numero, quanto nobis viſum eſſet. At ſi lata in planicie cum ipſis congrediemur ſeparatímque, diſcent partim nobis à frõte obſiſtere, partim ab latere vno, partim ab altero, partim denique à tergo: vide ne cuique noſtrûm multis & oculis & manibus ſit opus. Præterea nolim noſtros milites, quos nunc hilaritati ſe dediſſe video, abductos ad periculoſum iter cogere. *Xen. de inſtit. Cyri, l. 4.*

HOSTIS *imperitè bellum gerentes deſcripti.*

Barbaros haud nimium metuite, cogitantes (*inquiebat Braſidas*) quòd prius cum Macedonibus qui pars eorum ſunt dimicaſtis: & ſicut ego coniecturam facio, atque aliorum de illis ſermones audiui, non vſque adeo formidabiles fore confido. quæ enim re ipſa infirma ſunt apud hoſtes, & tamen opinionem habent roboris, atque formidanda eſſe videntur: cùm accedit vera de his exploratio, & experientia, ani-

mi eorum, quibus cũ his dimicandum eſt, magis confirmantur. Quibus verò ineſt vera virtus. cum his fortaſſe hoſtes ignari audacius cõgrediuntur. Sed hi expectatione futuri impetus terrẽt imperitos: ſunt enim, multitudinis reſpectu, terribiles, & clamoris magnitudine intolerabiles: illa etiã inanis armorũ vibratio atque inter ſe concuſſio præbet ſpeciem quandam comminationis: ſed ad cominus præliandum cũ reſiſtentibus non pari animo præditi ſunt. Neque enim ordines ſeruant, nec verentur locum ſuum in acie cùm vi premũtur relinquere: & fuga atque congreſſio cũ hoſte eãdem virtutis opinionẽ atque gloriam ſortitur: ita fit vt nõ ſpectetur vera virtus, ſed inexplorata maneat. Pugna verò, penes quam ſunt omnia, præcipuè præbere poteſt occaſionẽ honeſtæ defendendæ ſalutis cuique. At iſti inani ſtrepitu ſine periculo ſuo hoſtem terrere tutius exiſtimant, quã conferre manum: niſi enim ita putarent potius omiſſis terroribus iſtis manu rem gererent. Manifeſtè quicquid eſt ab ipſis periculi, vel terroris, id ante pugnam effunditur quod ſi ad rem conferas, non magni momenti eſt, viſu verò atq; auditu hoſtem terret atque perturbat. Hanc primam coitionem & impetum in concurſu ſi ſuſtinebitis, & ſeruatis ordinibus (cùm erit occaſio) rurſum vos ſubducitis, facilè in locum tutum poteritis vos recipere, & poſtea intelligetis quòd talis hominum turba primũ eorum impetũ excipiẽtibus, tantummodo procul expectationẽ virium & virtutis ſuæ minacib. terroribus oſtẽtare ſolet: Si quis verò eis cedit, ac fugit, tunc ex tuto celeritate pedũ in inſequẽdo vires oſtendunt. *Thucyd l.4.*

HOSTIS.

Nil tutò in hoſte deſpicitur: quẽ ſpreueris valentiorem negligentiã facies. *Curt. l.6.*

Non graui nec vno incurſu conſectandus hoſtis vagus. *Tacit. Ann. lib.4.*

Nõ ille hoſtis vincitur ſolus qui cadit in acie, pondere armorũ oppreſſus & viriũ: ſed multò tutius, etiam turba tacente, ſub iugo mittitur voluntarius qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec leuitatem in ſupplices animos deeſſe. *Amm. Marc. l.l.14.*

Qui quæ hoſtibus placent prõptius exequitur, iure pro hoſte habendus eſt: ſiue præſens is ſit, ſiue vnà militiam faciat, ſiue ſuæ genti fuerit quã proximus. *Agat. hiſt. l.4.*

Publicus hoſtis ſalubria tutaq; conſilia aduerſariis aliquando tulit. *P. Iouius, hiſt. l.4.*

HOSTIS *contemptus.*

Sæpe contẽptus hoſtis cruẽtum certamẽ edidit, & inclyti populi regéſq; perleui momento victi ſunt. *Liu. Decad. 3. l.1.*

HOSTIS *non contemnendus.*

Turcarũ princeps audito Theodori Laſcaris ad bellum apparatu, anceps animi huius expeditionis famam nunc pro ſomnio habebat, nunc audaciæ ſimul & impetus celeritatẽ leuitati ac clemẽtiæ tribuebat. Tamen res non negligenda viſa eſt: quod exiguum malum neglectum ingens periculum interdũ peperiſſet: & paruæ copiæ celeritate & feſtinatione ſæpe magnos exercitus ob ſocordiam, officiiq; neglectum, ſuperaſſent. *Niceph. Grego-*

ras,

ra, hiſtor. libro primo.

Nihil tutò in hoſte contēnitur, præſertim qui conſilio valet & rei militaris ſcientia: ſed forti animo contra eundum atque audendum eſt. *B.Fa. ius, hiſt.l.8.*

Hostis *fugiens.*

Fortiſſimis peritiſſimiſque ab imperatoribus vſurpatū eſſe ſcio, fugiēti hoſti pontē quoque vel ex argento conſtituēdum eſſe. *Io.Iouian Pont.hiſt.l.1.*

Hostis *profligatus.*

Profligare hoſtem in acie, in omni bello maximum videtur, *Ibid.*

Humanitas.

Humanitatis quā militaris ſciētiæ opera deſignare, multò eſt iucundius: quoniam hæc deſignantē adficere maleficio homines neceſſe eſt, illa cum beneficio cōiuncta ſunt. *Xen.de inſtit.Cyri,l.18.*

Catonem maiorem abuſum mācipiis, ac ſi iumenta eſſent, ea deinde cōfecta ętate expellere & vēdere, ſummæ ego duriciei morū eſſe iudico, & eius, qui niſi vtilitatis cauſa nihil homini cū homine putaret eſſe cōmune. Atq cernim⁹ ampliorem eſſe bonitatis, quā iuſtitiæ locū: ſiquidē legib. & iuſtitia tātum ērga homines vtimur, beneficia & gratias nonnunquam etiam brutis dantur: etenim de manſuetudine, tanquam vbere fonte, profluunt. Humanitatis itaque eſt, equos confectos laboribus alere, itēmque canum nō catulos modò, ſed & ipſos ſenio graues. Athenienſium populus cùm templum Hecatompedon Mineruæ ædificaret, mulas quæ laborem plurimum toleraſſent, liberas ad paſcendum dimiſit: vnum vnā harum aiunt vltro ad opus acceſſiſſe, & iumentis quæ carros ad arcē traherent comitem ſe dediſſe, pręeundóque veluti adhortatam ad laborandum: decretúmque eſt, vt ea ad mortē vſque publicè aleretur. Equarum porro Cimonis, quibus ter Olympia is vicit, prope ipſius monumentum ſunt ſepulcra. Canes ſecum educatos & conſuetos cùm multi alij, tum Xantippus ille antiquus eum, qui Athenienſib. vrbem deſerentibus iuxta triremem in Salaminam enatauerat, in promōtorio humauit, quod adhuc Cynos sema, id eſt, Canis monumentum nominatur. Non enim vt calceis aut vaſis vtendum eſt rebus animatis, quæ rupta vel vſu attrita abiiciuntur: ſed in his ſi nullam aliam ob cauſam, at vt ad humanitatem nos adſuefaciamus tamen, exercere manſuetudinem conuenit. Ipſe quidem ne bouem quidem operarium ſenij cauſa vendiderim, nedum hominem ætate prouectū ex loco in quo fuit educatus, & cōſueto victu tanquam è patria exigui lucelli cauſa pellam, cum iam inutilis ementi ſit perinde atque vendenti factus. *Plutarch.in Catone maiore.*

Solent homines non tantùm cognatos & populares afflictos, ſed hoſtes etiam ſuppliciter benignè tractare. *Nicet. Alex. Angel.l.3.*

Humilitas.

Satis ſupérque humilis eſt, quī iure æquo in ciuitate viuit, nec inferendo iniuriam, nec patiēdo. *Liu. Decad.1.l.3.*

Ego vel poſtremo loco contētus ero. *G.Pachym.hiſt.l.1.*

Hypocrisis.

A verbis eorum qui rē aliquam peragere cupiunt, hęc quę ea re cōfecta ab ipſis agūtur, diſcrepare ſo-

ſet. Eius enim rei conſequēdæ cauſæ nihil non ſimulant: conſecuti, nihil quod libido ſuaſerit omittũt. Accedit huc quod ſemper poſteriores priorum conatus excedere cupiunt, ac ſimilia priorum facinoribus facinora, vilia iã, propterea quòd iam antè viſa ſint, eſſe cenſent: inaudita autem, tanquam ſola ipſis digna, propter nouitatem ſibi proponunt. *Dion, l.45.*

Pietatis prætextus, multorũ malorum fons. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.16.*

HYPOCRITÆ.

Qui verſuti ſunt & ſubdolis moribus, & falſam præ ſe ferunt benignitatem, verbiſque ex arte delinientibus credulos fallunt, ſunt proculdubio inutiles. *Agath. hiſt. l.3.*

Qui ſuam iuſtitiam quærunt, ad Dei iuſtitiam non perueniunt. *G. Pachym. hiſt. l.6.*

I.

IACTANTIA.

De ſuis laudibus homines libēter prædicant. *Caſar, l.2. de bel. ciuil.*

Argiuorum exercitus non credebatur eſſe tãtus, quantus ferebatur, propter familiarem eorum iactantiam, vſitatam hominibus qui ſua extollere ſolent. *Thucyd. l.5.*

In bellis iactantia inutilis eſt: & cum hoſte propinquo, non verbis ſed factis demõſtrare oportet qui ſint viri fortes. *Zonar. in Baſil.*

IACTVRA.

Villas & agros qui amittuntur, non decet nos deplorare, ſed corpora. Nõ enim poſſeſſiones viros, ſed viri poſſeſſiones nanciſcuntur. *Thucyd. l.1.*

Semper grauior in paucitate iactura eſt. *Curtius, libr.4.*

IGNAVIA.

Nobilis equus vmbra quoque regitur: ignauus ne calcari quidem concitari poteſt. *Curt. l.5.*

Non eſt prudentum neque generoſorũ hominum res alienas fortitudine quærere, & pati ſuas per ignauiam amitti. *Dionyſ. Halic. libr. vndecimo.*

Nemo ignauia immortalis factus eſt: neque quiſquam parens liberis, vti æterni forent, optauit; magis vti boni honeſtique vitam exigerent. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Enerues animos odiſſe virtus ſolet. *Val. Max. l.2. c.7.*

Stultorum arbitror eſſe hominum à Deo petere, vt det euenire meliora, ipſis aduerſus ire timentibus ac in cauſa exiſtentibus vt cõtra eueniat. *Procop. de bel. Vandilic. libr.1.*

Ignauiã etiam ſecundis in rebus extremo contemptu Romani dignam iudicant. *Zonar. Annal. tom.2.*

IGNAVIÆ *cenſura.*

Victoria de hoſte partã, de eo quod deinceps agendum eſt, equidem ſic ſtatuo: ſi ſocordiæ ignauorúmque hominum voluptati noſmet dederimus (qui laborare arbitrantur ærumnoſiſſimum eſſe, ac vitam laboris expertem agere pro voluptate ducunt) citò nos a- io nobis ipſis etiam nullius homines pretij futuros, & celeriter adeò bona hæc vniuerſa amiſſuros. Non enim ſatis eſt ſtrenuos fuiſſe viros, ad hoc vt ſtrenuitas ea perpetua ſit, niſi quis in hoc adſiduè elaboret: ſed vt artes etiam reliquæ neglectæ minoris æſtimantur, & corpora ipſa rectè adfecta, ſi ad deſidiam relaxentur, rurſum malè adfi-

adficiuntur, ſic & temperantia, & continentia,& robur, quum quis horum exercitationem remittit, ad prauitatem viciſſim conuertuntur. Non igitur ceſſare debemus, neque ad voluptates præſentes nos met proiicere. *Xenoph.de inſtit.Cyri, lib.7.*

IGNAVI *in exercitu non ferendi.*

Ego ſtatuo,inquiebat Cyrus, ignauos, ſiquidem nauum & dicto audientem habere exercitum velimus, exauctorandos eſſe. Nam militum vulgus mihi ſic comparatum eſſe videtur,vt ſequatur quacunque quis duxerit. Ducere verò, mea quidem ſententia, viri fortes ac præclari conantur ad res præclaras ac magnas:ad improbas,improbi. Atque adeo frequenter accidit,vt inertes ſuam in ſententiam plures pertrahant,quàm induſtrij. Nam improbitas per voluptates illico ſe offerentes incedendo, multis horum opera perſuadet, vti ſecum ſentiant. Virtus autem in arduum ducens,non admodum efficax eſt in hominibus illico temeréque ſibi adiungendis:maximè ſi ſint alij,qui è diuerſo ad decliuem mollémque viam cohortentur. icirco ſi qui ex ignauia laborúmque detrectatione ſolùm improbi ſunt, eos equidem arbitror quaſi fucos ſumptu modò ſocios defraudare. Qui verò communes ſibi cũ aliis labores eſſe nolunt, & ad captandum commoda ſua ſtrenui ſunt atque impudentes, hi etiam ad res improbas ſe duces præſtant: quippe qui demõſtrare ſæpenumero poſſint improbitati præcipua cõmoda cedere. Quapropter omnino ſunt homines eiuſmodi nobis exauctorandi.

Neque ſanè conſiderandum vobis eſt,quì de ciuibus ordines ſuppleatis: ſed quemadmodum equos optimos quæritis, non veſtra in patria natos: ſic homines ex omnibus ſumite, quoſcunque vobis & roboris & ornamenti plurimum allaturos exiſtimabitis. Mihi quidem hoc quoque teſtimonio eſt, rectè nobis id ceſſurum, quòd nequit eſſe currus celer, in quo equi tardi ſunt. Neque domus rectè adminiſtratur, quæ famulis improbis vtitur. Immo etiam minus detrimenti accipit,ſi ſeruis egeat,quã ſi ab iniuſtis perturbetur. Hoc quidem certè ſcire vos volo, milites malos exauctoratos non eam modò nobis vtilitatẽ allaturos, quod mali aberũt:ſed illorum etiam qui nobiſcum manebunt,quotquot ſanè pleni iam improbitatis eſſe cœperant,rurſum ab ea repurgabuntur:& boni malos ignominia notatos quum viderint,multò alacrius virtutem colent *Xen. de Cyri ped. lib.2.*

Ignauis omnia aduerſa ſubeunda veniunt. Atque hoc ipſum Dei quodammodo voluntate accidit. Is enim illis,qui ſibi labores ad optima quæque conſequenda nolunt imperare,tribuit alios qui imperent. *Eod.l.*

IGNAVI *& ocioſi.*

Aliæ ciuitates in eos duntaxat animaduertunt,qui proximè iniuriam intulerint: at Lycurgus cum non minus plectendum voluit,qui manifeſtò neglexiſſet rationem qua præſtantiſſimus euaderet. Exiſtimabat enim, vt videtur, ab iis

qui captiuos quoſdam rapuiſſent, aut quicquam furto vel alia illegitima ratione abſtuliſſent, in eos qui læderentur ſolùm perpetrari iniuriam: ab ocioſis verò ignauiſque hominibus reſpublicas prodi. *Xenoph. de repub. & leg. Laced.*

Sæpe tædio laboris ad vtilitatem ſui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit. *Curtius, lib. 5.*

Timidi ac ignaui ad deſperationem formidine properant. *Tacitus, hiſt. lib. 2.*

IGNAVORVM *ceremonia.*

Deus ignauorum & meticuloſorum ſacra votáque non accipit, neque fas eſt vel eum qui non iaculetur ſcopum tangere, vel eum qui fugiat victoria potiri, & omnino neque bene agere qui nihil agit, neque malus homo felix eſſe poteſt. *Plutarch. in Æmyl. Paulo.*

IGNOMINIA.

Viro forti ignominia triſtior eſt morte, quæ eum gloria & ſpe publicæ ſalutis ſine longo cruciatu aditur. *Thucyd. lib. 2.*

Turpitudinem quidem fugiendam eſſe, ac cauendam, verum eſt: omnem verò ignominiam vereri, modeſti quidē id & ſimplicis, puſilli tamen animi eſt. *Plutarch. in comparat. Timoleontis & P. Æmyl.*

IGNORANTIA.

Qui præ ignorantia ſemel circunuenti falluntur, ſi rurſum in infortunium recidant, quia minus periclitando præuideant conſuetam ſibi calamitatem, haudquaquam ex aduerſante fortuna id fieri videbitur, ſed quia ſe deliquiſſe planè ignorent. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

IGNORANTIÆ *& induſtriæ diſcrimen.*

Tantum apud homines ignorantiã & ſegnities à prudentia atque induſtria differt, non ſolùm in priuata vita, verumetiam in publicis rebus, vt in his ſecundæ res detrimentum, in illis aduerſæ emendationem quandam errorum adferre videantur. *Polyb. lib. 5.*

ILLVSTRES *viri.*

Satis clarus eſt, apud timentem quiſquis timetur. *Tacitus, hiſtor. libro 2.*

INVIDIA.

Ciuis quidem ciui ſecundis rebus prædito inuidet, eumque tacito proſequitur odio: neque ciui conſiliũ petenti dederit ciuis quod putet eſſe optimum, niſi ſummum virtutis gradum attingat: quales pauci ſunt. At hoſpes hoſpiti proſpera fortuna vtenti omnium eſt beneuolentiſſimus, eíque conſultanti optimè conſulit. *Herodot. libro 7.*

Præclara facinora & res à quopiam egregiè geſtæ magnam plerunque inuidiam & graues calumnias conflare ſolent, quibus ciues quidem affinium atque amicorum multitudine freti facilè reſiſtunt: peregrini verò omnis præſidij expertes, vtroque malo quàm celerrimè conteruntur. *Polyb. libr. 1.*

Præclarè facit, qui inuidiam pro pter res honeſtas & magnas perfert. Odia enim non ſunt perpetua, ſed præſentem ſplendorem gloria æterna ſequitur. *Thucyd. lib. 2.*

Inuidia viuentes exercet: ſed mortuis beneuolentia ſine obtrectatione præſtatur. *Idem, eod. lib.*

Stultum eſt eos inuadere, quos victor

victor in officio retinere non poſſis. *Idem, lib. 6.*

In ciuium inuidiam plerique duces nimia honorum & potentiæ cupiditate prouecti impingunt. *Plutarch. in Timoleonte.*

A rebus publicis inuidia nunquam abeſſe poteſt. *Idem, in Pelopida.*

Diuitiis grauis & peruicax innaſcitur inuidia. *Ibid.*

Cæca inuidia eſt, nec quicquam aliud ſcit, quam detrectare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum. *Liuius, Decad. 4. libro 8.*

Procliuius eſt impedire aliquem, eiúſque incrementis obſtare, quàm eundem velle ad magnum faſtigiũ promouere: idque cùm alias ob cauſas, tum eo præſertim nomine quòd iis qui obſtat alicuius incrementis, & ab aliis gratiam init & ſibi proſpicit: contrà qui alium extollit, is tum & ſibi & cæteris moleſtum efficit. *Dion, lib. 37.*

Vnum eſt doloris, quæ homines ex aliorum bonis capiunt remedium, ſi nimirum qui inuident, alio rum bonis non putent ea eſſe amplius aliena. *Dionyſ. Halic. lib. 3.*

Eos quos in ſua poteſtate tenet inuidia ſapere non ſinit. *Idem, libro 11.*

Sicuti plæraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta eſt. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Viuos interdum fortuna, ſæpe inuidia fatigat: vbi anima naturæ ceſſit, demtis obtrectatoribus ipſa ſe virtus magis magiſque extollit. *Idem in fragmen.*

Aſſidua eſt eminentis fortunæ comes inuidia, altiſſimiſque adhæret. *Velleius Paterc. lib. 1.*

Nunquam eminentia inuidia carent. *Vell. Pater. eod. lib.*

Sequitur inuidia inertiam. *Ibid.*

Rarò inuidetur eorum hominibus, quorum vis non timetur: contra in iis homines extraordinariæ reformidant, qui ea ſuo arbitrio aut depoſituri aut retenturi videntur, & modum in voluntate habẽt. *Idem, lib. 2.*

Inſitum eſt mortalibus naturâ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modúmq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo viderunt. *Tacit. hiſt. lib. 2.*

Eſt hoc commune vitium in magnis liberíſque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes ſit & libenter de iis homines detrahunt, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. *Æmyl. Probus, in Chabria.*

Solet ampliſſima gloria obiecta eſſe ſẽpẽr, inuidię. *Am. Marc. l. li. 17.*

Inuidia, turbarum acerrima concitatrix. *lib. 21.*

Rectæ poteſtatis inuidia eſt ſocia. *lib. 30.*

In magna felicitate euenire ſolet inuidia. *Procop. de bello Vandilico, lib. 2.*

Inuidia non tantum prouinciarum & vrbium dominos ſubinde obliquò intuetur oculo, ſed & inſidiatores in proximo alit, mediocres etiam inſectatur. *Nicet. Man. Comnen. lib. 3.*

Inuidiæ autori eſt in more poſitum, vt acerbas aliquas calamitates atque infeſtas proſperis ſucceſſibus admiſceat, tanquam ſegeti lolium, nec vllum ferè humanæ vitæ gaudium ſolidum ac perpetuũ

eſſe patiatur. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib.4.*

Honeſtiſſimam Beliſarij fortiſſimi & ſapientiſſimi ducis famam ſceleratiſſima inuidia parum æquis oculis intuebatur, & toto impetu gloriam eius impugnabat. Nam, vulgo quod dicitur, quid vtile ſit ignorat ambitio. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 86.*

Inuidia, vt in magna felicitate contingit fieri, etiam in Beliſarium cecidit. *P. Diacon. in Inſtini.*

In magnorum principum familiis regnare ſolet inuidia. *Ph. Cominaeus, lib. 4. de bello Neapol.*

Communis regnorum peſtis atque pernicies, inuidia. *B. Facius, hiſtor. lib. 2. & 3.*

Invidi.

Commune hoc inuidiæ ſuæ ſolatium habent maleuoli, quibus ipſi meliores vt habeantur præſtare non poſſunt, vt eos tamen aliis deteriores eſſe oſtendere conentur. *Plutarch. in Pelopida.*

Quibuſdam abſentem carpere imperatorem, quàm præſentem monere, melius videtur. *Liuius, Decad. 5. lib. 4.*

Homines inuidi nihil aliud ſunt quàm ipſorum tormenta. *Curtius, lib. 8.*

Imago pulcherrima.

Multò pulchriorem imaginem iudicamus eſſe eam qua mores ingeniúmque, quàm qua corpus & facies exprimitur. *Plutarch. in Cimone.*

Imbecilla.

Quæ nec legibus conſtant, nec optimis quibuſuis inſtitutis ab omni virtute deſtituantur neceſſe eſt. *Procop. lib. 3.*

Imbecillitas humana.

Eſt hoc in hominibus acerbiſſimum, quod is qui multum ſapit, nihil in ſua poteſtate habeat. *Herodot. lib. 9.*

Nihil peccare in magnis rebus humana conditione altius eſt: qui peccauerit, eum errore ſuo in poſterum doctrinæ loco vti, viri boni eſt & cordati officium. *Plutarch. in Fabio Max.*

Humana imbecillitas in eo maximè deploranda eſt, quòd in nobiliſſimis & inſigniter ad virtutem aptis ingeniis bonum abſque vllo næuo exiſtere poteſt. *Idem, in Cleomene.*

Longè aliud eſt, pro aliis verba facere, quàm ſibi ipſe conſulere. Nam quæ pro aliis dicimus, ea quũ à recta atque integra ratione proficiſcantur, vtique vim ſuam obtinent: verùm animus, vbi quis eum morbus occupauit, obtunditur, caligóque ei offunditur, ita vt nihil idoneum excogitare poſſit. Itaque vetus illud rectiſſimè dictum eſt, facilius eſſe alios adhortari quàm ſeipſum contra aduerſas res obfirmare. *Dion, lib. 38.*

Mors Pompeij euidens argumẽtum eſt imbecillitatis atque incertorum caſuum humanæ ſortis. Qui enim prudentiæ nihil ſibi antè reliquum fecerat, atque ab omnibus malis quæ inferri poſſe videbantur, tutiſſimum ſe cauendo præſtiterat, tum fraude circumuentus eſt: qui à puero multis per Africam Aſiámque & Europam, fidem excedentibus, terreſtribus Maritimíſque victoriis potitus fuerat, annum agens duodeſexageſimum inopinata clade fractus eſt: qui mare

re vniuerſum, quod Romanis parebat, pacauerat, in eo ipſo periit: ac, qui olim mille nauibus (tot enim feruntur) præfuerat, tunc in nauicula prope Ægyptum occiſus eſt, idque ab eo Ptolemæo quo dammodo, cuius patrem ipſe in eam regionem ac regnum reduxerat. *Idem. lib.* 42.

Nullæ ſunt hominum aduerſus Deos vires. *Iuſtin. hiſt. lib.* 2.

Nihil rerum mortalium tam inſtabile & fluxum eſt quàm fama potentiæ non ſua vi nixæ. *Tacitus, Annal. lib.* 13.

Deſperatis rebus, conſilium ab omnibus datur, periculum pauci ſumunt. *Idem, hiſt. lib.* 3.

Humillimi quique, maximè vbi alta acceſſerunt, ſuperbia atque ambitione ſunt immodici. *Sex. Aurel. vict. Diocletian.*

Sine crimine certè, & deteriorum affectionum prorſus expers nemo reperietur. Id enim diuinæ felicitatis proprium fuerit, nec vnquam in hominis naturam cadet. *Zonar. in Alex. Comn. tom.* 3.

In humana natura nihil eſt quod omnino ſit labis expers, & ab omni abſurditate alienum. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag.* 72.

Illud profectò veriſſimum eſt, Non ſemper homines ſapientes videre perfectè aut iudicare: ſigna enim non rarò imbecillitatis humanæ mentis exiſtant neceſſe eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 1.

Imbecillitatis profectò noſtræ non meminimus, quum quæ ſupra nos ſunt ſuperba ingeniorum vanitate perſcrutamur: vnde iam hoc totum rerum ſcientiæ nomen tot vigiliis & ſumptibus partum profiteri diſpudeat, poſtquam adeo pauca ſcire, & de ſingulis ambigere diſputando confitemur. *P. Iouius hiſt. lib.* 18.

IMBELLES.

Eorum regio maximè vaſtatur à prædonibus qui dites ſunt & imbelles. *Tacitus, Annal. libro.* 11.

IMMANITAS.

Naturæ iniuria fit, & humanitatis ius ab eo violatur, qui iracundiæ vltra victoriam indulget. *Nicet. Bald. Fland.*

Solet humanum ingenium in magna fortuna & inſperata victoria humanitatis obliuiſci, niſi incerta fortunæ momenta ſingulari prudentia moderetur. In pugna quidem & acie quicquid egeris excuſationem habet, cùm ratio oppreſſa iacet, & manus, velut ebriæ, mẽte non reguntur. Verùm periculis iam propulſatis, & animorum æſtu ſedato, ac tranquillitate menti reſtituta, ſæuire, & ab officio decedere, improbi animi eſt argumentum. *Niceph. Gregoras, hiſtor. lib.* 6.

IMMORTALITAS.

Immortalitatem quidem homo conſequi nemo poteſt, verum tamen hæc ipſa, quodammodo iuſta vita honeſtáque morte nobis paratur, *Dion, lib.* 53.

IMMORTALITAS *animæ, humanæ.*

Si naturam animæ à Deo nobis datæ exceſſerimus, nobiſcumque reputauerimus tranſitum ex infelici hac conditione ad aliam commodiorem fieri per mortem, profectò ſalutare viaticum nanciſcemur, quod nos in tranquillitatem veram animi perducet. *Ar. Ferron, lib.* 2.

IMPATIENTIA.

Eſt ita natura comparatum, vt homines moleſtè, ſupra quàm dici poſſit, ferant, ſi videant rerum e uenta virtuti non reſpondere. *Pauſan. lib.* 4.

IMITATIO *praua.*

Adeo plerique magis actiones aliorum, quanlibet prauas, imitantur, quàm infortunia eorum cauēt. *Dion, lib.* 53.

IMPERATOR.

In bono imperatore inter cæteras artes hæc requiritur vt ſeuerè imperare ſciat, & molliter contumacibus credere. *Dionyſ. Halic. lib.* 5.

Prudentium eſt imperatorum non ſolùm res ſuas corroborare, ſed etiam res hoſtium debilitare, præcipuè verò ſine vllo prælio & labore bella conficere: ſin minus, ſaltem cum minimo militaris multitudinis detrimento. *Idem, libr. eodem.*

Non decet Imperatorem properè quicquam agere. *Dion in M. Anton. Phil.*

Malum eſt Imperatorem habere ſub quo nemini licet quicquam facere: ſed multo peius eſt quum omnia licent omnibus. *Dion in Nerua.*

Miſera eſt conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide niſi occiſis nō poteſt credi. *Vul. Gallic. in A. Caſsio.*

In Imperatore auaritia eſt acerbiſſimum malum. *Id. ibid.*

Nihil quicquam eſt quod Imperatorem melius commendet gentibus quàm clementia. *Ibid.*

Imperatorem eſſe fortunæ eſt. *Ælian. Lamprid. in Heliogab.*

Sint imperio digni quos ad regendi neceſſitatem vis fatalis adduxerit. *Ibid.*

Miſer eſt Imperator, inquit iunior Gordianus, apud quem vera reticentur: qui quum ipſe publicè ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat, & vel audita, vel à pluribus roborata confirmet. *Iul. Capitol. in Gord.*

Imperator dum æquus omnibus alienæ cuſtos ſalutis, nihil non ad ſui ſpectare tutelam rationes populorum cognoſcit, & remedia cuncta quæ ſtatus negotiorum admittit arripere debet alacriter, ſecunda numinis voluntate delata. *Amm. Marcell. lib.* 14.

Regēti imperium, omnia nimia, velut prærupti ſcopuli, ſunt deuitanda. *Ammian. Marcell. lib. trigeſimo.*

Delicta corrigere, Imperatorem admodum decet, vt charos præterea & amicos ſoletur, eius & dignitatis eſt, & prudentiæ: quo fiet, vt non ſolùm nunc ipſi à moleſtiis quondam illatis & grauibus ſubditi vindicentur, ſed ſtatim vt liceat imperatoris beneuolentia frui, qua re nil dignius afferri poteſt mortalibus. *Procop. de bello Goth. libro.* 3.

Sine adminiſtris non poteſt fieri in bellicis rebus imperator. *Idem, ibid.*

Sine dubio Deus terrenus eſt Imperator, contra quem quicunque leuare manum auſus fuerit, ipſe ſui ſanguinis reus erit. *P. Diacon. in Grat. &c.*

Qui ſeuerius in imperatores inquiſierit, equidem non arbitror vllum Romanorum principatu antiquitus potitum inuenturum eſ-

ſe

ſe, in quo nihil ad conſummatam laudem deſideretur. Ex quo fit vt vniuſcuiuſcunque gubernatio ex morum & actionum eius maiori parte iudicetur. *Zonar. in Alex. Comn. tom. 3.*

Homini priuato ſatis eſt moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu & victu modus. Imperatori verò præter hæc eſt iuſtitia & colenda & ratio ciuium habenda, & vetera inſtituta ſunt tuenda. *Idem. ibid.*

Nihil eſt quin ab Imperatoribus emendari queat: nec vllum peccatum eſt, quod vires eorum ſuperet. *Nicet. Alex. Angel. lib. 3.*

Vide *Dux*, & *Princeps*, vbi plura de Imperatoris, ſeu Ducis exercitus, officio.

IMPERATORES.

Egregij imperatores quamuis exiguas habeant copias, tamen celeriter eas augent. *Dionyſ. Halic. libro 6.*

Imperatorum impetus & potentia non quieſcere ſolet, niſi diuina humanáque pro ſuo lubito mutarint. *Nicet. Iſaac. Angel. libro 2.*

IMPERIA.

Obſequio mitigantur imperia. Vbi verò reuerentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus, ibi opus eſt vt vim repellamus. *Curtius, lib. 8.*

Magna imperia ignauia non continentur. Id in ſumma fortuna æquius, quod validius. Sua retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regia laus. *Tacitus, Annal. libro. 15.*

Magna imperia niſi armis vltro illatis laceſſantur, niſi primo quoque tempore aut euertantur, aut ita affíciantur, vt tollere vltra caput ſubleuaríque non poſſint, exitium iis adferunt qui exitium ſpe illis diſtinauerant. *P. Æmyl. lib. 6.*

IMPERIORVM mutationes.

Vbi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia inuaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

IMPERIVM.

Semper ita iudicant homines præſens imperium eſſe graue. *Thucyd. lib. 1.*

Periculoſum eſt prægraue imperium, & difficile eſt continere quod capere non poſſis. *Curtius, l. 4.*

In nouo & precario imperio, adhuc iugum eius rigida ceruice ſubeuntibus barbaris, tempore opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior cõſuetudo permulcet. *libr. 6.*

Spernitur ducis imperium, vbi turbatis acri* metus quàm dux imperare cœpit, & totidem ſunt imperatores quot agmina errant. *libro 8.*

Iis qui in alios imperium ſunt habituri hæc duo adeſſe oportet, in bello vires: & in conſilio prudentia. *Dionyſ. Halic. lib. 3.*

Nulla alia re æquè ac hominum frequentia opus eſſe illi ciuitati quæ ad imperium aſpirat, & quæ res magnas affectat. *Idem, lib. 4.*

Longè optimum ac firmiſſimum id eſt imperium quod beneficiis non ſuppliciis ſubditos in officio continere ſolet. Illorum enim beneuolentia, horum verò timor eſt omnes, Quicquid autem eſt formi-

dabile, id neceſſitate naturali omnibus eſt maximè exoſum. *Idem, lib.6.*

Imperij vis omnis in conſenſu obedientium eſt. *Liuius, Decad.1. lib.2.*

Id firmiſſimum longè imperium eſt, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus eſt quicquid ſtatuere placet. *Liuius, Decad.1.lib.8.*

Quo plus poteſtis, eo moderatius vti imperio debetis. *Decad.4. lib.4.*

Quæ vrbs voluptati plurimum tribuit, imperium amittit, quæ labore delectatur, occupat. *Valer. Max.lib.4.cap.3.*

Non multorum ſuppliciis, ſed fida & diligenti cuſtodia imperium eſt tenendum. *Xiphilin. Caſ. Auguſt.*

Summum imperium inuidiam habet, nec tutum vnquam ab inſidiis eſt. *Ibid.*

Imperium facilè iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt. *Salluſt.de coniurat.Catil.*

Impatiens conſortis eſt imperium, infidelitatiſque & maleuolentiæ plenum. *Plutarch. in Demetrio.*

Nullum eſt imperium tutum, niſi beneuolentia munitum. *Æmil. Probus in Dione.*

Ea conditio eſt imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni ratio reddatur. *Tacitus, Annal. libr.1.*

Nemo vnquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit. *Idem, hiſt.libr.1.*

Arduum & ſubiectum fortunæ, regendi cuncta onus. *Eod.lib.*

Imperium cupientibus, nihil medium inter ſumma aut præcipitia. *Tacit.hiſt.lib.2.*

Bonum(i.imite & clemẽs) imperium nulla vis lædit. *Vulc. Gallic.in Auid.Caſſio.*

Seuerus moriens dicebat, firmũ imperium Antoninis meis relinquo, ſi boni ſunt: imbecillum, ſi mali. *Æl.Spartian.in Seuero.*

Imperium eſt in virtute, non in decore. *Lamprid.in Al Seuero.*

Quis melius quàm grauis imperat? quis melius quàm literatus imperat? ſcit quemadmodum imperare debeat qui alios principes pertulit, & qui de aliis principibus iudicauit. *Fl.Vopiſc.in Tacito.*

Nihil eſt difficilius quàm bene imperare: nam quiſque pro voto de principe loquitur. *Pomp. Lat. in Dioclet.*

Saturninus ſuis dicebat, Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare. Gladij & tela noſtris ceruicibus impẽdent, imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. Adde quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex eſt quiſpiam? inhabilis videtur: ſin minus, ineſt furor. Nam quòd Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis. Sed habeo ſolatium mortis, ſolus perire non potero. *Fl.Vopiſcus in Saturnino.*

Diocletianus princeps, iam priuatus dicebat, nihil difficilius eſſe quàm bene imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinque atque vnum concilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum ſit: Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non nouit: cogitur hoc

hoc tantùm ſcire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debebat retinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Fl. Vopiſcus in Aureliano.*

Magna moles moleſtiáque imperio ineſt. *Aurel. Vict. libr. de Caſaribus.*

Imperij adeo cupidi mortales ſunt, vt id vel vltima ſenectus auidè petat. *Idem, ibid.*

Poteſtates fato dantur, fruſtráque tentatur facinus potiundi ſpe, vel amittendi metu. *Idem, ibid.*

Iuſti finis imperij eſt obedientium commodum & ſalus. *Amm. Marcell. lib 25.*

Nihil aliud eſt imperium vt ſapientes definiunt, niſi cura ſalutis alienæ. *lib. 29.*

Finis iuſti imperij vtilitas obedientium æſtimatur & ſalus. *libro 30.*

Spretum imperium deficiente quotidie robore continuò fluit atque deficit. *Procop. de bello Perſ. libr. 1.*

Nullo modo fieri poteſt, quin homo, & is longo tempore rerum potitus, faſtidio ſit iis qui parent, & capitalia eorum odia ſuſcipiat. Nihil enim Deus in vita immutabile & ſtabile fecit. Vnde fit, vt omnia terrena mutationibus gaudere ac delectari videamus. Si quis verò fortunam in ſua vota cogere, & certa quadam ratione vitæ vti voluerit: is eò rem deducere conatur, quo natura non ſinit. Quicquid autem cum natura pugnat, & iuſtos limites excedit, nihil hilaritatis & voluptatis habet. Eodem pertinent ſapientes veterum ſententiæ, præcipientes, Ne quid nimis: &, Modum eſſe pulcherrimam virtutem, pronuntiantes. *Nicephor. Gregoras hiſt. lib. 9.*

Nullum perpetuum eſt imperium. *I. Iouian. Pont. hiſt. lib. 1.*

Imperium complurium rei militari officit. *P. Æmyl. lib. 1.*

Nouum & non bene conſtitutum imperium, nec prudenter gubernatum, ei qui id acquirit potius graue eſt, quàm vt potentiorem eum reddat. *Fr. Guicciardin. hiſtor. lib. 4.*

IMPERITI.

Solent homines rudiores & imperiti, erga hos, quorum opera indigent, manſuetudine vti, vel ſi longo ſint interuallo inferiores: aliis verò aditu difficiles ſe præbere; quorum miniſterio non opus habeant. *Procop. de bello Goth. lib. 1.*

IMPETVS.

Acres impetus cunctatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur. *Tacit. Annal. lib. 12.*

IMPETVS *bellici.*

Grauiſſima bella, quæ initio vehementes repentinóſque impetus habent, prudenti aduerſariorum cunctatione interpoſito morę ſpacio elangueſcunt. *P. Iouius, hiſtor. lib. 17.*

IMPII.

Facilè ij debellantur, apud quos nec diuina quidem, nec humana iura ſat valent. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Cum impiorum caſtigatione piorum conſolatio & reſtitutio in integrum coniuncta eſt. *Nice. Alex. Murzuflo.*

IMPIORVM *cæcitas.*

Cum Deo inimicitias quicunque ſuſcipit, cùm ſit homo, faſtu animi

conditionis humanæ modum excedit, ſuorúmque conſiliorum & actionum exitum atque ſucceſſum ad Deum non refert. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib. 7.*

IMPIORVM *ſub cruce pervicacia.*

Prouocat pœnam ſuam obliuioſa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata ſentit, ſed à quo flagellatur, obdurata non ſentit. Vt de ſuperioribus taceam, facta à Decio Chriſtianorum perſecutione totum Romanum Imperium peſtilentia magna vexauit. Mentita eſt iniquitas ſibi, prauo in perniciem ſuam circumuenta iudicio, peſtilentiam communis caſus eſſe, accidentémque ex morbis mortem, naturæ finem eſſe, non pœnam exiſtimans. Rurſus igitur atque in breui iram Dei ſceleratis actionibus prouocat, exceptura plagam, cuius aliquando meminiſſe cogatur. *P. Oroſius, hiſt. li. 7. cap. 22.*

IMPIVS.

Difficile eſt, vt parcat ſuis qui cum religionis contemptu, etiam aduerſus Deos graſſatus eſt. *Iuſtin. hiſt. lib. 1.*

Facinorum recordatione nunquam timore vacuus eſt. *Tacit. annal. lib. 15.*

Qui amiciſſimo atque chariſſimo inſidias tendit, conſanguinitatis ac neceſſitudinis iura violando, quanquam victoriæ ſuperſtes, non fatum vitare, ſed facinoris cōſcientia pœnam prorogare videtur. *Procop. de bello Vandalico, lib. 2.*

Non eſt cum Dei hoſte ſocietas belli ceunda. *Zonar. in Gratiano.*

Peſſima impoſtura eſt, qua quis ipſe ſeſe decipit. *G. Pachymer. hiſtor. lib. 12.*

IMPROBI.

Facilè conciliat improbos morum ſimilitudo. *Appian. libr. 5. de bell. ciuil.*

Coaſpernantes veterem diſciplinam, haud minus principum vitia amant, quàm olim virtutes verebantur. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

Ad ea ſe cogi dicunt quæ vel ſceleribus comparant. *Capitolin. in Macrino.*

Nihil agunt improbi contra innocentes. *Lamprid. in Heliogabalo.*

Improbi homines nec in proſpera quidem, nec in aduerſa fortuna ſuos immutare mores ſat poſſunt: quos tamen dum aduerſi aliquid patiuntur occulere ſolent, & ita vt dum finitimè opera indigent, cogente neceſſitate vel ſuam quidem occultent improbitatem. *Imp. Iuſtinin. legati apud Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Improborum vitam breuem fore dicimus Prophetę authoritatem ſecuti, qui viros ſanguinarios & doloſos ad dimidium dierum ſuorum perbenturos eſſe negat. *Nicet. Iſaac Angel. lib 3.*

IMPROBITAS.

Improbitas proficiſcens per pręſentes voluptates, harum perſuaſionibus vtitur quò multi ſecum ſentiant. At virtus, ad arduum ducens, non eſt admodum potens ad ſubitò inconſultóque attrahendum ad ſe, præſertim ſi alij ſint qui contrà ad decliue molléque adhortentur. Quare ſi qui ex inertia atque laborum fuga improbiores ſint, hos ego arbitror, veluti fucos, ſolùm impenſa ſociis eſſe detrimento: quicunque verò laborum mali ſocij ſunt, ad habendum verò plus aliis vehementes impu-

impudentéſque, hi ſeſe ad res improbas duces præſtant. Poſſunt enim ſæpenumero demonſtrare plus haberi per malas actiones. Itaque huiuſmodi homines omnino à nobis ſunt expellendi. *Xenoph. de pædia Cyri, lib.2.*

Improuiſa & ineuitabilis res eſt improbitas. *Nicetas Man. Comn. libro 3.*

Timida res eſt improbitas, ac ſuo pte teſtimonio conuincitur: & arguente conſcientia nihil boni expectat. *Idem, Iſaac. Angel. lib.1.*

IMPROBORVM aſtutia.

Qui priuatim iudicia & leges metuunt, publico terrore ſuum timorem obumbrare conantur. *Thucyd. lib.6.*

IMPROBORVM ingenium.

Peſſimus quiſque diffidentia præſentium mutationum pauens, aduerſus publicum odium priuatam gratiam præparat: vnde nulla innocentiæ cura, ſed vitæ impunitatis. *Tacit. hiſt. lib.1.*

IMPROBVS.

Hominem improbum non accuſari tutius eſt, quàm abſolui. *Liuius, Decad.4. lib.4.*

IMPRVDENTIA.

Virorum qui ſuperati ſunt mentes neſciunt in eiſdem periculis ſibi conſtare. *Thucyd. lib.2.*

Non eſt prudentum neque generoſorum hominum res alienas fortitudine quærere, & pati ſuas per ignauiam amitti. *Dionyſ. Halic. lib.11.*

Homines imprudentes tutiſſimum putãt omnia metuere, ac nemini confidere. *Plutarc. in Cleomene.*

Imprudentia ſolet plerunque calamitatem antecedere. *Appian. lib. de bellis Mithrid.*

Si hominibus bonarum rerum tãta cura eſſet, quanto ſtudio aliena, ac nihil profutura, multúmque etiã periculoſa petunt: neque regerentur magis caſibus, quàm regerent caſus: & eò magnitudinis procederent, vbi pro mortalibus gloria æterni fierent. *Salluſt. de bello Iugurth.*

Qui nihil ante præuidit, imminente periculo, trepidat, concurſat, cohortes diſponit, hæc tamen ipſa timidè, atque vt eum omnia deficere videntur, vt qui in ipſo negotio cogatur capere conſilium. *Cæſar, lib.5. de bello Gall.*

Sæpe honeſtas rerum cauſas, in iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur. *Tacitus, hiſtor. lib.1.*

Quibus de rei ſumma periculum imminet, ſtultum eſt alia curare. *Procop. de bello Vandilico, libro 1.*

Ea quibus præſentia pro votis procedunt, velle aliter immutare, profectò inutile duxerim. *Procop. de bello Goth. lib.1.*

Vitia iuxta virtutes in propinquo & in eadem propè ſtirpe naſcentia, cernere aut nolumus, aut nequimus. *Nicet. Iſaac Angel. lib.3.*

Ita ferè fit, vt pauci admodum expedire ſe poſſint à periculis, & tempeſtiuè illa vitare. Alij quòd experientiam nullam habeant, neque ſimilia exempla obſeruarint: alij ſtudio & amore liberorũ, vxorum, familiç & poſſeſſionum cauere ſibi non poſſunt: & tametſi præmoneantur, tamen his vinculis impediti, in maximas ſæpe calamitates incidunt. *Ph. Comin. li.6.*

Ea eſt hominum natura, vt vno extremò, in quo nolẽtes deterẽti fuerunt, declinato, in aliud extremum

medio prætervecto, ſine cunctatione, volentes decurrant. Sic qui è tyrannide ſunt elapſi, ſeſe (niſi retineantur) in effrænatam licentiam præcipitant. *Fr. Guicciardin. hiſtor. lib. 2.*

Qui ſemel ab aliquo deceptus eidem iterum incautè fidit, is nullam habet excuſationem, neque miſeratione dignus eſt. *Idem, hiſt. lib. 11.*

Qui iniurias condonat hoſti, laude dignus eſt, quia id facit cuius pauca extant exempla: ſed fortaſſe imprudens eſt is qui ea facit quorum nullum inuenitur exemplum. *Idem, lib. 16.*

IMPVNITAS.

Impunitas alit adoleſcentem in peius audaciam. *Amm. Marcell. lib. 14.*

INÆQVALITAS *inter homines.*

Nullum eſt diſcrimen, nulla alia inæqualitas inter homines, quàm turpitudinis vituperatio & honeſtatis laus. *Plutarch. in Lycurgo.*

INCESSVS *militaris.*

Nihil magis in itinere vel in acie cuſtodiendum eſt, quàm vt omnes milites incedendi ordinem ſeruẽt. Quod aliter nõ poteſt fieri, niſi aſſiduo exercitio ambulare celeriter & æqualiter diſcant. Periculũ enim ab hoſtibus ſemper grauiſſimum ſuſtinet diuiſus & inordinatus exercitus. *Veget. lib. 1. cap. 9.*

INCLINATIONES *rerum.*

Magnarum rerum inclinationes magnos motus afferre ſolent. *P. Æmyl. lib. 3.*

INCOMMODA.

Vt potiamur commodis ferenda ſunt incommoda. *Ar. Ferron. lib. 7.*

INCONSTANTIA.

Eiuſdem viri eſſe videtur mihi, & in ſecundis rebus inſoleſcere, & in aduerſis animo cõſternari celeriter: & ſi liberatus fuerit, animo rurſus efferri, ac iterum moleſtum ſe præſtare. *Xenoph. de pædia Cyri. lib. 3.*

Leuitas ſeu inconſtantia & iniuſtitia, tyrannica ſunt & alienã à liberis hominibus vitia. *Plutarch. in Alcibiade.*

INCONSTANTIA *hominum.*

Facillimo momento mutantur animi hominum: vſque venit vt à quibus ſe vel adiutum vel læſum iri quis exiſtimet, eos longè alios experiatur. *Dion, lib 39.*

Diuerſæ ſententiæ ſunt & actiones eorum qui rem aliquam expetunt, eorúmque qui ea potiti iam ſunt, quando initio iis qui reſiſtere inceptis eorum poſſunt, accepti ſima quæque promittentes, re, quàm conſequendam propoſuerant, perfecta, neque pollicitorum meminerunt, & ſuis viribus contra eos ipſos à quibus eas accepêre, vtuntur. *Dion, lib. 41.*

Mens quæ in amicos prauitatis & inconſtantiæ ſemel arguitur, diuertere ab æquitatis via aſſiduò ſolet. *Theudibaldus Francorũ rex apud Procop. de bello Goth. lib. 3.*

INCONSTANTIA *rerum humanarum.*

Caducæ & fluxæ res humanæ ſunt: neque eſt quicquam ſtabile perpetuò & firmum. *Pauſan. libro 8.*

Quum nihil in rebus humanis ſtabile ſit, ideo conueniens eſt, vt quocunque modo vitam noſtram Deus torqueat atque reuoluat, boni conſulamus. *Plutarch. in Numa.*

Res omnes ſunt mutabiles, & nihil vnquam in eodem ſtatu permanere

nere ſolet:quicquid enim excellit, quando ad ſummum claritatis faſtigium euaſit,indignationem deorum effugere nequit, & rurſus ad nihilum redigitur. Hoc autem potiſſimum accidit ſæuis ac ſuperbis ingeniis, quæ humanæ naturæ terminos tranſgrediuntur. *Dionyſ. Halic lib.8.*

Nihil eſt in rebus humanis perpetuum *Dion,lib.48.*

Qui aduerſa expertus eſt, ne ſecunda quidem minus diſcriminis baberecum maximè ducit. *Tacitus, hiſt.lib.1.*

Nihil eſt in rebus humanis fixum & perpetuum,ſed & ij qui florent maximè, & ij qui humiles & abiecti ſunt,exitus incertos habẽt, ac pariter pro fortuna ipſorum,laude,vituperio,honore,& ignominia afficiuntur. *Xiphilin.Vitell.*

Qui fortiſſimi eſſe videntur, & firmas vires habere,ornati ampliſſimis fortunæ muneribus, pariter cum cæteris ſuſpẽſi & incerti ſunt. *Idem,Macrin.*

Rerum humanarum nihil ſtabile & firmum eſt, ſed infida omnia & teſſera mutabiliora. *Zonar.in Alex,Comn.tom 3.*

Nihil humani firmum ac certum eſt, ſed omnia incerto euentu velut in mari æſtuant & afflictantur. Abſtruſus quidam error humanæ peritiæ & cognitioni inſultat, ſurſum deorſumque trahens ac permiſcens omne conſiliorum ſtudium, & velut teſſeras euertens firmis decretis nixas deliberationes. *Nicephor. Gregoras,hiſt. lib.4.*

Alexius Cæſar maximis rebus heri geſtis, hodie obſcurioribus certaminibus oppreſſus iacet, Deo huiuſmodi exemplis arcanam doctrinam explicante, vt noſtris viribus, cum à deterioribus ſuperamur, agnitis, magnorum atque admirabilium ſucceſſuum cauſas vni planè Deo acceptas referamus. *Nicephorus Gregoras, hiſtor. lib.4.*

Nihil in mundo firmum & tutum eſt:ſed res humanæ (vt ait Plato) ſunt Dei ludibrium, ſurſúmque ac deorſum temerè omnia ſub cœlo feruntur, incertóque curſu huc & illuc vagantur. *Idem, hiſtor. lib.7.*

Inconſtantia & incerta ſunt omnia: fortunæ inſultus nihil diuturnum eſſe ſinit: alij ſerius, ocyus alij, rebus omnibus relictis, præter expectationem, in noctem, in tenebras, in mortẽ præcipites ruant. *Idem,hiſt.lib.8.*

Vmbris tutius quàm rebus humanis creditur. *G.Pachymer.hiſtor. lib.6.*

INCONSTANTIA *rerum.*

Rerum humanarum euentus incertos eſſe certum eſt, ſoléntque plerunque mortales futurarum rerum ignoratione falſò lætari atque angi. *B.Facius,hiſt.lib.4.*

Summa eſt humanæ ſortis varietas ac miſeria, atque adeo incertum omnibus, quæ ſit in poſterum futura ſua cuiuſque conditio. *Fran. Guicciardin. hiſtor. libro 4.*

Mobilis admodum eſt fortunæ blandientis aura. *Idem, libro 5.*

INCREDVLITAS.

Vt pleræque rerum diuinarum noſtram cognitionem effugiant,

efficit incredulitas. *Plutarch.in Coriolano.*

INDVCIÆ *principum.*

Vt ſæpe in corporibus quæ prauis humoribus replentur accidit, vt medicamentum vni parti ſanandæ accommodatum, pernicioſiores maioriſque periculi morbos afferat: ſic induciæ inter Romanorum regem ac Venetos factæ, Italis pro ea quiete tranquillitatéque, quam multi ſequuturam ſperauerant, innumeras calamitates, & bella ſuperioribus longè atrociora & cruenta magis pepererunt. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.*8.

INDVSTRIA.

Induſtriæ alacri ſpiritu militiæ ſtipendia roborantur, forenſis gloria accenditur, fido ſinu cuncta ſtudia recepta nutriuntur: quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile eſt, ad cumulum laudis perducitur. *Valer. Max.lib.8.cap.7.*

INFAMIA.

Infamiæ apud prodigos nouiſſima voluptas eſt. *Tacitus, Annal. lib.*11.

INFELICES.

Hominibus quibus cum malè agi acceptum, neceſſe eſt aduerſa ſemper contingere: & quæ feliciora fuere, in perniciem verti. Plerique nimirum, poſt adeptam ex voto libertatem, & poſt declinata pericula, vel cum eadem fortunæ ſæpius indulgẽtia diſperditum eunt. *Procop.de bello Goth.lib.*3.

INFELICITAS.

Miſerrimum eſt, ea non poſſe negare quæ facere ſit turpiſſimum. *Dion, lib.*46.

INFIDVS.

Qui ſuapte natura non eſt infidus, haudquaquam cum fortuna ſimul commutaturus eſt animum. *Procop.de bello Goth.lib.*1.

Qui inſtabilis eſt, & inconſtantiæ morbo laborat, ſimul ac timere incœperit, vel ſuimet amantiſſimis debitam negaturus eſt fidem. *Ibid.*

INFIRMITAS *humana.*

Pauca proſpicere poſſunt homines de eo quod futurum eſt: ac nihilominus ſuſcipere multa conantur. *Xenoph. de inſtit.Cyri, lib.*3.

INGENIA.

A magnis ingeniis vt magnæ virtutes ita vitia etiam magna proficiſcuntur. *Plutarch.in Demetrio.*

Decora ingenia gliſcente adulatione deteruntur. *Tacit. Annal.lib.*1.

Alit æmulatio ingenia: & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accẽdit: naturáque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum, difficiliſque in perfecto mora eſt. naturaliterque quod procedere non poteſt, recedit: & vt primo ad conſequendos quos priores ducimus, accendimur: ita vbi aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperauimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, & quod aſſequi nõ poteſt ſequi deſinit, & velut occupatam relinquens materiam quærit nouã, præteritóque eo in quo eminere non poſſumus, aliquid in quo nitamur conquirimus: ſequitúrque vt frequens ac mobilis tranſitus maximum perfecti operis impedimentum ſit. *Velleius Paterc.lib.*1.

INGENIA *militaria.*

Credunt plerique militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe: quia caſtrenſis iuriſdictio ſecura & obtuſior,

ſior, ac plura manu agẽs callidítatẽ fori non exercet. *Tac. in vita Agric.*

INGENIVM *humanum.*

Augeſcente corpore ingenium pariter augeſcit, & conſeneſcente conſeneſcit, atque ad res omnes elangueſcit. *Herodot. lib* 3.

Aſſueti ſunt homines quod maximè affectant, id ſpei incõſideratæ permittere: quod non affectant, id principi rationi committere. *Thucyd. lib* 4.

Verum omnino & vbique eſt illud Sophocleũ, Monitis malis præſto eſt obedientia. Etenim leuis & procliuis eſt via ad id quod volumus: plerique autem ob ignorationem & imperitiam rerum bonarum peſſima volunt. *Plutarch. in Artoxerxe.*

Quò plura habet ingenium humanum, eò ampliora cupit. *Iuſtin. hiſt. lib.* 6.

Suum cuique ingenium audaciã aut pauorem facit. *Liuius, Decad.* 3. *lib.* 6.

Naturaliter audita viſis laudamus libentius: & præſentia, inuidiâ, præterita, veneratione proſequimur: & his nos obrui, illis inſtrui credimus. *Velleius Paterc. lib.* 2.

Communi fit vitio naturæ, vt inuiſis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiúſque exterreamur. *Cæſar, lib.* 2. *de bello ciuili.*

Cupidine ingenij humani libentius obſcura creduntur. *Tacit. hiſt. lib.* 1.

Inſita mortalibus ea natura eſt, properè ſequi quæ piget inchoare. *Idem, eod. lib.*

Proprium eſt ingenij humani odiſſe quem læſeris. *Tacitus, in vita Agric.*

Quantum præterita odimus, tantum de futuris bene ſperamus. *Herodian. in Pertinace.*

Cohibendę cupidini ingenium ni iuuet, eruditio imbecillis eſt. *Aurel. vict. lib. de Cæſarib.*

Mos eſt hominum, res nouas alienis periculis ſpectare & experiri velle. *Procop. de bello Vandilic lib.* 1.

Aſſolent humanæ mutabilitati omnia ſordere præſentia. *P. Oroſius, hiſt. lib.* 3. *cap.* 2.

Plus poteſt ingenium adminiſtrãdo bello quàm vires corporis: fortunáque tum demum omnia ſibi vendicat, cùm prudentiæ locus nullus fuerit etiam inter maximas opes potentiámque relictus. *Io. Iouia. Pontan. hiſt. lib.* 2.

Ingenium hominis omnia domat. *P. Æmyl. li.* 1.

Natura ita comparatum eſt, vt ſua quenque damna magis quàm publicus dolor moueat: nec vllum acrius quàm rei nummariæ telum inueniri poſſit *Idem, lib.* 6.

Mens ieiuna, infirmúmque per ſe pectus, ſuæ ſibi imbecillitatis conſcium, auxilia aliunde quærit, ſe dolo inſtruit, fraude armat, inſidiis hoſtem petit. hæ cùm primùm vanæ euadunt, eo abiectiore animo trepidat, quo & plus præſidij in illis & in cæteris minus ſpei ſibi ſtatuerit. *Idem, lib.* 7.

IVGLVVIES.

More voracium belluarum corpus cibo diſtendere, cum moribus corpora etiam corrumpit, atque ad omnem voluptatem repletionémque laxat, vtque longum ſomnum calida lauacra, multam quietem, ac quotidianum quodammodo languorem requirant, efficit. *Plutarc. in Lycurgo.*

INGRATI.

Plerique mortalium procliuiores ſunt ad ſuſcipienda contra ſibi iniquiores odia,quā ad gratias de ſenſoribus ſuis habendas:atque iis quidem quorum patrocinio vſi ſunt,mercedem ſe perſoluiſſe exiſtimant,aduerſarios autem quacūque ratione vlciſci ſtudent. *Dion, libr.*38.

Summi numinis perenni ſuffragio damnantur ingrati.*Amm.Marcel.lib.*21.

INGRATITVDO.

Perſæ vehementer cauſam agūt ingratitudinis.Et quem cognorint poſſe referre gratiam,nec referre, in hunc ſeueriſſimè animaduertūt: quippe qui arbitrātur, eòs qui ſint ingrati,& deos maiorem in modū negligere,& parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinē verò potiſſimum impudentia ſequitur. etenim hæc ad omnem turpitudinē maxima eſt dux.*Xenoph.de pæd.Cyri,lib.*1.

Non puram ſimplicémq; & abſque inuidia felicitatē fortuna hominibus largita eſt, ſed ſuis donis plura immiſcuit mala : profectò admonens in perpetuis bonis Deū à nobis ſolere contemni. *Diod.Sic. lib.*4.*ca.*3.

Tanto procliuius eſt iniuriæ, quàm beneficio vicem exſoluere: quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur. *Tacit.hiſt.l.*4.

Nemo habendam gratiam putat,quòd rebus ſuis pro arbitrio vtatur,quippe id ſibi deberi iure autumat.qui verò ſuis exuitur bonis, nunquam ſanè iniuriarum obliuiſcitur.Neque quiſquam lucro apponit quòd vtilitatem in commune pariat: quæ enim publicè proſunt, parum cuique curæ ſunt. ſin quæ propria cuiuſque ſunt , minus ex ſententia ceciderint, tum nemo ſatis ſecum benignè agi putat.*Herodian.in Pertinace.*

Suapte natura nihil eſt beneficiorum acceptorum memoria breuius, nihil celerius interit: & quo maiora ſunt beneficia,eo(vt communi prouerbio fertur) maiore maleficio compenſantur. nam qui ea remunerando delere aut nō poteſt aut non vult, ſæpe vel obliuione,vel ea non tanta fuiſſe ſibi perſuadendo,delere conatur: & quos pudet eò redactos fuiſſe vt beneficio opus habuerint, iidem ſe illud accepiſſe indignātur, adeo vt plus in eis odium ob eam in quam ceciderant neceſſitatis memoriam,quā beneficij accepti ratiò poſſit. *Fr. Guicciardin.hiſt.l.*16.

INGRATVS.

Dandi & accipiendi beneficij commercium,ſine quo vix vita hominum conſtat , perdit & tollit, quiſquis bene merito parem gratiam referre negligit.*Val.Max.l.*5. *cap.*3.

INIMICI.

Falſi in amore, odia non fingūt. *Tacit.l.*6.*Ann.*

INIMICITIA.

Amicitia multas apta eſt obtegere querelas ;inimicitia verò nec minima ſuſtinet errata, ſed omnia ſuperiora ſcrutatur , nec præterit hoſtes qui auctiores ex alieno ſunt facti , decertátque pro quibus maiores læſi fuere. Et quanquam in ipſo periculo ſuccumbit , proſpera tamen quandoque ſua recuperat, docétque victos veniā petere præteritorum. *Procop. de bello Vandil. libr.*2.

INI-

INIMICITIÆ.

Medium inimicitiarum nullum eſt. *Herodot.l.7.*

Vulgatum illud, quia verum erat, in prouerbium venit, Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere. *Liu. Decad. 4. libro 10.*

Omnes homines maiori ſtudio inimicis aduerſantur quam ſuis opitulantur, non ob id tantum quòd ab ipſa odióque vehementiores animi commotiones, quàm à quauis amicitia, proficiſcuntur, verùm quia altero ſui cauſa quippiam agente, altero propter alium, neque voluptas conſequutos, neque moleſtia fruſtratos propoſito eadem ſequitur. *Dion, l. 37.*

INIMICITIARVM *vis.*

Qui poſt vehementes inimicitias in gratiam redeunt, multa leuiuſcula ac temerè accidentia in ſuſpicionem rapiunt, atque in vniuerſum omnia tanquam conſultò & malam in partem facta, ad conceptum antè odium apponũt. Hâc ad rem illi qui inter hos obuerſantur, haud parum conferunt qui beneuolentiæ prætextu, ſubinde aliquid annuntiantes, animos, iam antè irritatos, magis exaſperant. *Dion, l. 45.*

INIMICVS *quomodo depellendus.*

Inimicus non ſolùm in facto reprimendus eſt: ſed etiam conatui eiuſdem occurrendum: ſiquidem niſi caueris, te prius ipſe opprimet. *Thucyd. l. 6.*

INIQVITAS.

Homines ſi fortè ſibi ex ſententia quæ facta ſunt eueniant, bene ac libenter ferre videntur: ſi verò ſecus, autorẽ conſilij protinus accuſant. *Procop. de bell. Vandalic. libro primo.*

INITIA *bellorum.*

Initia bellorum in reliquos ſucceſſus momentum habent, ea verò quæ audacter cœpiſti, niſi perficere fortiter pergas, fœdum ac infelicem exitum ſortiuntur. *P. Iouius, hiſt. lib. 3.*

INIVRIA.

Qui iniuriam accepit, remiſſius iram exercet quàm ille qui fecit. In vlciſcendo enim, quum recentiſſima offenſa eſt, tum maximè par ſupplicium ſumimus. *Thucyd. libr. 2.*

Nihil priuata iniuria à publica differt, niſi multitudine & magnitudine eorum quæ contingunt. Eſt enim ita cõparatum, vt etiam malorum ſocietas, niſi æquitas atque iuſtitia ſeruata fuerit, facilimè infringatur. *Polyb l. 4.*

Accendit animos & ſtimulat dolor, iniuria, indignitas. *Liu. Decad. 3. libr. 1.*

Vehemens eſt omnis homo, quũ vel affectus eſt iniuria, vel affectũ ſe eſſe putat. *Dion, l. 44.*

In omni certamine qui opulentior eſt, etiam ſi accipit iniuriam, tamen, quia plus poteſt, facere videtur. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Quo plura bene atque ſtrenuè quis fecerit, eo animus ſuus iniuriam minus tolerat. *Idem, ibid.*

Vt is qui prior laceſſit ipſe ſibi iniurius videtur: ita qui propulſat iniuriam confidentior ex conſciẽtia fit, atque ex iuſtitia ſpem bonã mutuatur. *Herodian. in Alex.*

Atrocitas rerum magis quam nominum officit. *Sex. Aurel. Vict. Diocletian.*

Qui iniuriam facere volentibus

vires tribuerit, in cauſa putandus eſt. *Procop. de bel. Perſ. l. 2.*

Quicunque finitimis iniuriam inferunt, ſiue id ignorantia egerint, ſiue obliuione, meritò debent in eos ſe clemẽtiores præſtare, qui ab ſe ſunt mala perpeſſi. nam peccandi quæ inciderit fortuitò cauſa, maximã delicti his adimit partẽ, & deprecatur. Si quis verò præmeditatus iniuriam infert, huic certè nihil reliquum fiet, quo eius facta excuſet: quippe quem non ſolùm rei patratæ crimen, ſed voluntatis etiam culpam vt ferat, par erit. *Idem, de bel. Goth. l. 3.*

INIVRIÆ.

Sciũt victi iuſtum eſſe cedere victoribus ac magis iraſcuntur homines, cùm iniuria infertur, quàm cùm vi domantur. Nam cùm æquales inferunt iniuriam, videntur homines ius repugnandi habere, violentiam verò potentiorum ferendam eſſe ſciunt. *Thucyd. l. 1.*

Interdum inueteratæ ac continuæ iniuriæ potius quàm nouæ & inſolitæ veniam conſequuntur. *Polyb. l. 4.*

Diuerſo modo à pleriſque mortalium, iniurię atque beneficia accipiuntur. nam iniuriæ quidem vel inuiti memoriam retinent, memoriam autem beneficiorum vltro proiiciunt: hoc, quòd ij videri nolunt, qui tanquam imbecilliores ab aliis ſunt adiuti: illud, quia nolunt ſuſpicionem timiditatis de ſe præbere, ſi quidem iniurias ſibi illatas non vlciſcantur. *Dion, l. 46.*

Nemini mortalium iniuriæ ſuæ paruæ videntur: multi eas grauius æquo habuere. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Periniquum eſt proptèr priuatas ſimultates rempubl. in diſcrimen adducere, nec abutendum eſt occaſione ad explenda odia, ſed potius Reipubl. priuatæ iniuriæ donandæ ſunt. *Appian. libr. 2. de bell. ciuilib.*

Speciosius aliquanto iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur. *Val. Max. l. 4. c. 2.*

Iniuriarum memoria proculdubio in eo qui facit, quàm in eo qui patitur, maior atque ad placandum difficilior. *Fr. Guicciardin. hiſt. libr. 16.*

INIVSTI.

Deũ ſibi aduerſum conſtituunt, non qui ſua ferẽtes ad alios cedũt, ſed qui aliena inuadentes in belli periculum deducunt. *Procop. de bel. Vandilic. l. 2.*

INIVSTITIA.

Illegitimum eſt, eos qui ad iudicia ſe offerunt inuadere tanquam iniuſtè facientes, ac ſimul interea omnia ad bellum parare. *Thucyd. libr. 1.*

Hoc multò vtilius eſſe iudico ad retinendum imperium, præſtare iniuriis affici, quàm alios iniuſtè interficere. *Idem, l. 3.*

Leuitas & iniuſtitia, tyrannica ſunt & aliena à liberis hominibus vitia. *Plutar. in Alcib.*

Turpe in honeſti locum à potẽtia ſapientiæ experte ſuppoſitum, iniuſtitiæ etiam opinionem rebus honeſtis conciliat. *Idem, in Demetrio.*

Graue atque admodum ab ęquitate remotum eſt, nulla accepta iniuria, nulla cauſa, bellum inferre alienigenis & amicis. *Diodor. Sicul. hiſt. l. 13.*

Apud quos iniuſtitiam pœna nõ ſe-

ſequitur, ibi modeſtia quoque ſuo honore ſpoliatur. *Dion, l.41.*

Nec viſum hominem, nec auditum, damnare nefas vltimum eſt. *Amm. Marcel. l.15.*

Nulla eſt crudelior ſententia ea quæ eſt, quũ parcere videtur aſperior. *l.29.*

Non quòd ipſe nihil iniuſtè facias, iuſtus eris propterea, ſi eos qui ab aliis iniuriam patiuntur, vbi tibi poteſtas erit, non defendas. *Procop. de bel. Perſ. l.2.*

Vim adferre, & ex alienis paſci, turpe ſemper ac probroſum videtur, quod iniuſtum in ipſo feratur. *Idem, de b.l Vandalic. l.1.*

Delinquere, & in delinquentes inferenda ſupplicia intercipere, vt equidem reor, æquè ſe habent. *Idē, de bel. Goth. l.3.*

Violentiam inferre, alieniſque paſci, iniuſtitia eſt in omni tempore, maximéque exercitui in periculis conſtituto. *P. Diacon. in Iuſtiniano.*

Eorum qui alterum læſerunt, mos eſt, iniuriarum quibus eum affecerunt recordari: ideo vt ſe eius fidei tantò cōmittere poſſint, ſibi nullo modo perſuadere poſſunt. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro tertio.*

INNOCENS.

Verba innocenti reperire facile eſt. *Curt. l.6.*

INNOCENTES *calumniis expoſiti.*

Perturbatione temporum, eos etiam qui vero iudicio nullius criminis conuinci queant, maximis inuolui criminibus haud eſt veri diſſimile. *G. Pachymer. hiſtor. libro primo.*

Plerũque innocentes recenti inuidiæ ſunt impares. *Tacitus, Ann. libr.2.*

INNOCENTIA.

Securitatem affert innocentia. *Curt. l.6.*

Parum tuto loco ſtat innocētia. *Amm. Marcel. l.15.*

INOPIA.

Inopia miſeratione potius quā odio eſt digna. *Dionyſ. Halic. libro quinto.*

Animi eſt iſta mollities, non virtus, Inopiam pauliſper ferre non poſſe. *Caeſ. l.7. de bel. Gal.*

INOPES.

Nonnulli inopes ex aliorum detrimentis maiorem voluptatem capiunt quàm ex ſuis commodis. *Dionyſ. Hal. l.9.*

INSANIA.

Inſani eſt dedecoris ita cupidū eſſe, vt propriam ſalutem negligas. *Dionyſ. Hal. l.6.*

Eſt extremæ inſaniæ, eos vel obiurgare, velut iniurias laceſſere, qui ad Deum confugiunt, eóque interceſſore & defenſore perſecutionum quærunt remedium. *Nicet. Alex. Comm. Manuelis E.*

INSCITIA.

Si quid aliarum rerum, inſcitia vtique omnium efficaciſſima eſt ad quiduis perſuadendum hominibus leuibus & ſuperciliosis, quæ ad inconſultam temeritatem eos impellit, & ad quiduis ſine conſilio ſuſcipiendum incitat, ſi fortè leuibus eorum cogitationibus incedit. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libro 9.*

INSIDIÆ.

Plurimi ſunt qui potentiorum inimicitiis gaudent, quorum animi quum ſint etiam ante ſimultatibus inuicem correpti, facilè eo-

rum in hoc ipſum paratis ſermonibus decipiuntur: qui odio ipſorum delectati, inſidias ipſis ſub amicitiæ, nullius doli ſuſpectæ, ſpecie ſtruunt. *Dion, l. 45.*

Nec irritæ nec degeneres ſunt inſidiæ aduerſus tranſfugam & violatorem fidei. *Tacit. Annal. libro undecimo.*

Insidiatores.

Omnium inſidiatorum animus vbi fallere ſe cognoſcit, ferox eſt: vbi deprehenſum ſe intelligit, timidus & imbellis. *P. Æmyl. libro 7.*

Insolentia.

Nimia inſolentia & contumacia vitium eſt cùm per ſe vulgo moleſtum, tum ſi cum ambitione coniungatur, planè efferum fit & immedicabile. Huiuſmodi enim homines non demerentur multitudinem, quippe qui honorem quaſi contempſiſſe videri velint, deinde repulſam paſſi ſtomachantur. *Plutarchus in compar. Alcib. & Coriolani.*

Ferè inſolentia cum timiditate coniungi ſolet. *Fr. Guicciardin. hiſt. libr. 2.*

Inſolentia ipſa deſuetudóque in anxietates plerunque & turbas inducunt. *Procop. de bell. Goth. libro primo.*

Internuntii.

Multa ſæpe quæ inter ipſas rerum autores effici non potuerunt, per internuncios compoſita atque confecta ſunt. *B. Facius, hiſtor. libro octauo.*

Ira.

Occaſiones quæ in bello ex præſentibus occaſionibus inſtituũtur, ſi quis ita excipit, vt ne turbari ſe irâ patiatur, tutius rem gerit. Qui autem in iram præceps eſt, per iracundiam multa delinquit. *Thucyd. libr. 1.*

Omnes ex conſpectu ſubiti atque inſueti damni in iram exardeſcũt, & qui minimum vtuntur ratiocinatione, ij maximè ira ad aliquid agendum permouentur: ij præſertim qui imperare volunt aliis & aliena incendere malunt in vicinis regionibus, quàm pati vt ſua ab aliis incendantur. *Idem, l. 2.*

Compeſcere iram difficile eſt: nã quod petit mercatur ipſa morte. *Plutar. in Coriolano.*

Ab ira nulla ſperanda bona gratia eſt. *Idem, in comparat. Alcib. & Coriolani.*

Superbia atque ira, mala inuicta. *Curt. l. 3.*

Vana ſine viribus ira eſt. *Liu. Decad. 1. l. 1.*

Ira & ſpes fallaces authores ſũt. *Idem, eod. l.*

Solet ira ſedari poſt interitum eorum qui læſerunt, moleſtia ſublata, & per miſerationem reuocata deſideratæ virtutis memoria. *Appia. l. 1. de bel. ciui.*

Ira & odium in pectoribus humanis magnos fluuios excitant: procurſu celerior illa, nocendi cupidine hoc pertinacius. Vterque conſternationis plenus affectus, ac nunquam ſine tormento ſui violẽtus: quia dolorem cùm inferre vult, patitur, amara ſolicitudine, ne non contingat vltio, anxius. *Valer. Max. l. 9. c. 3.*

In animo reuoluente iras, etiam ſi impetus offenſionis languet, valet memoria. *Tacitus, Annal. libro quarto.*

Celſæ poteſtates iras principũ aliquoties molliuerunt. *Ammon. Mar-*

Marcell.libr.14.

Potentes iram tegunt ac diſſimulant, dum vlciſcendi occaſio detur. *Nicet. in Ioan.Comn.*

Ira nonniſi lethali ictu lenitur. *Idem, Andr.Comn.l.2.*

Facilè fore ſapientibus duxerim animi iracundiam & perturbationes frænare, contineréque in obuios quoſque temerarios impetus, & ſalua duntaxat vt dignitate, ita & animi magnitudine, atque conſtantia aduerſantibus quibuſque obſiſtere. Nam ex hiſce animi motibus quicunque rerum ſunt delectum aliquem nacti, his fuerit enixius inhærendum, qui puri veríque ac decentiores denique ſint. Qui verò ſeorſum & in contrariũ euentum deuoluti feruntur, haudquaquam ſemper vtendum eſt, niſi quandiu in commodum ceſſerint. Sapientiam igitur puriorem rẽ eſſe probámque, nec vlla ex parte adulteratam nemo non fatebitur: ex iracũdia verò, quod ſtrenuè fit, eſt quidem gloria dignum: nimia tamen audacia fugienda eſt, nec prorſus cõducit. *Agath. hiſtor. libr.* 5.

IRA *Dei in iniuſtos bellatores.*

Numen per ſe potens atque paratum ſtat intenta in eos ira, qui violato gentium iure bellis iniuſtis diuina humanáque omnia confundere pergunt, quíve ſuaſmet ipſi opes & faſtigia rerum humanè ferre neſciunt, eorum plærunque audaciam væcordiámque inopinis calamitatibus, extremiſque malis, vel obruit, vel coercet. *Diodor.Sic. hiſt.l.13.*

IRA *Dei.*

Diuina indignatio peccata noſtra vlciſcitur. *G. Pachymer. hiſtor. libro duodecimo.*

Ira Numinis procul diúque abeſſe à nimium ſecundis rebus non poteſt. *P. Æmyl.l.8.*

Deus cùm ſemel iratus fuerit, vſquequaque humana conſilia mille caſibus inuoluit, ſumma imis repentè permiſcet, & ante alia mẽtem quoque ipſam impotenter eripit. *P.Iouius, hiſt.l.2.*

IRÆ *inter neceſſarios, effecta.*

Ita natura comparatum eſt, vt ſi qua inter neceſſarios ira intercidat, acerbiora inde odia, grauioréſque inimicitiæ exoriantur. *B. Facius, hiſt.l.4.*

IRÆ *mitigatio.*

Mora iræ mitigatio eſt. *Thucyd. libr.* 3.

Egregia res eſt & longè honeſtiſſima, amicitiæ ſibi & beneuolentiæ prima per officium initia, primáque iura occupare: & ignoſcendo calamitoſis, iras conceptas extinguere, tum miſerendo ſubmouere diſcordiam. Nam beneuolentiam inter inimicos oportet inuiolatam immortalémque ſeruari: odia verò iráſque in aduerſarios, quàm celerrimè fieri poteſt, tolli. Ea námque ratione ſociorum ſemper, & eorum qui te incolumem optent, numerum augeſcere: ſed hoſtium contra neceſſariò, inimicorúmque turbam tibi decreſcere videbis. *Diodor. Sicul. hiſtor. libro* 13.

Qui perpetuis perſequi inimicitias odiis, & implacata flagrare perrexerint iracundia, horum proculdubio res ad occaſum & ruinam properant. Pronepotibus eoſdem ſuis, iniucundum, inconſtans, infeſtum, ac nulla prorſus parte tutum patrimonium parare conſtat: quippe quorũ res omnes for-

tuæ, ſimul inſidiis inimicorúmque odio ſemper obnoxiæ reliquantur. *Idem, eod. l.*

Dionem quum amici monerēt, ne malis inuidiſque hominibus parceret, ſed & Heraclidem (periculoſa cuiuſdam factionis inter Syracuſanos caput) militibus dederet, & Reipublicæ popularis iſtam gratiæ aucupationem eximeret, morbum rabidum & tyrannide nihilo minorem: reſpondit, Aliorum ducum exercitationem in armis ſere & bello conſiſtere. Se diu in Academia meditatum eſſe, quomodo iræ, inuidiæ, ſtudioque omni contentionis mederetur. eam virtutem non in eo conſpici, ſi quis bonis & amicis ſe æquum prębeat: ſed ſi quis iniuria affectus placabilem ſe & benignum peccantibus exhibeat. Oſtenſurum ſe, non tam potentia & armis Heraclida ſe, quā bonitate & iuſtitia præſtantiorem eſſe. nam hæc re vera potiora eſſe: cùm de proſpero bellorum ſucceſſu, & rerum bene geſtarum gloria, ſi nemo hominum, at certè fortuna diſceptare poſſit. Quòd ſi Heraclides infidelis & improbus ob inuidiam ſit: non conuenire tamen propterea Dioni, vt ob iram ipſe officium deſerat. quippe vlciſci ſe accepta iniuria iuſtiùs, quàm iniuriam inferre videri, quòd ita legibus ſit conſtitutum: cùm, ſi naturā ſpectes, ab eadem animi imbecillitate vtrunque proficiſcatur. Neq; verò cuiuſquam hominis malitiā, quantumuis magnam, ita prorſus intractabilem eſſe & indomitam, non vt mutari crebris beneficiis poſſit. *Plutar. in Dione.*

IRACVNDI.

Qui inexorabiles iras gerunt, non tantum odio ſunt iis à quibus timentur, ſed etiam ſunt reliquis omnibus permoleſti: ex quo fit vt iis plerique parent inſidias, ne prius ipſi pereant. *Xiphilin. Caſ. Auguſt.*

Iræ properi, inſidiis incauti ſunt, & facilè opprimuntur. *Tacit. Annal. l. 11.*

IRACVNDVS.

Iracūdus cùm ira accenditur ac quaſi excandeſcit, omnem humilitatem exuit & remiſſionem: itaque iratus qui eſt, eodē modo ſtrenuus videtur, quo is qui febricitat calidus: ſic animus illius pulſu, agitationéque & tumore quodam diſtenditur. *Plutarchus in Coriolano.*

Nec cautè ſatis nec prudenter is facit, qui inſolentius iraſcitur: quū beneficium, quod ſola beneuolentia comparari poteſt, vi & contumeliis extorquere contendit. *P. Iouius, hiſt. l. 14.*

IRATI.

Silentium obſtinatum, fixi in terram oculi, ſurdæ ad omnia ſolatia aures, & pudor intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cìētis indicia ſunt. *Liu. D. ead. 1. l. 9.*

IRRITATIO.

Omnes qui irritati ſunt, pręſertim verò ſi ſint infimæ conditionis homines, ſolent aduerſus ſuperbos exaſperari, & mites ac faciles ſe præbere iis à quibus comitate officiorum fouentur. *Dionyſ. Halic. l. 5.*

ITINERVM in bellis conſideratio.

Qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt plura in itineribus, quàm in ipſa acie pericula ſo-

ſolere contingere. Nam iu conflictu armati ſunt omnes & hoſtem cominus vident,& ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minus armatus minúſque attentus eſt miles, & ſuperueniente impetu vel fraude repente turbatur. Ideóque omni cura, omníque diligentia prouidere debet dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel facile ac ſine damno repellat illatum.

Primùm itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſimè debet habere perſcripta: ita vt locorum interualla nō ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: compendia, diuerticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta conſideret: vſque eò, vt ſolertiores duces, itineraria prouinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, vt non ſolùm conſilio mentis, verùm aſpectu oculorum viam profecturis eligerent.

Ad hoc, à prudentioribus & honoratis, ac locorum gnaris, ſeparatim debet vniuerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus.

Præterea ſub periculo eligendarum viarum duces idoneos ſcientéſque præcipere, eóſque cuſtodiæ mancipare, addita pœnæ oſtentatione vel præmij. Erunt enim vtiles cùm intelligent, nec fugiendi ſibi copiam ſupereſſe, & fidei præmium, & perfidiæ parata ſupplicia.

Prouidendum quoque, vt ſapientes exercitatíque quærantur, ne duorum aut triùm error diſcrimē pariat vniuerſis. Interdum autem imperita ruſticitas plura promittit, & credit ſe ſcire, quæ neſcit.

Sed cautelæ caput eſt, vt per quę loca, vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus ignoretur. Tutiſſimum námque in expeditionibus creditur, facienda neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis conſilium ſemper occultum eſſet. Securum iter agitur, quod agendum hoſtes minimè ſuſpicantur.

Propter exploratores, transfugas, & proditores, dux cum agmine exercitus profecturus, fideliſſimos, argutiſſimóſque cum equis probatiſſimis mittat, qui loca per quæ iter faciendum eſt, in progreſſu, & à tergo, dextra, leuáque perluſtrent, ne aliquas aduerſarij moliantur inſidias.

Ambulante exercitu, vt locorum varietas aduenerit, ita defenſionis ratio varietur. Nam in campis patentibus equites, in locis ſilueſtribus, montuoſis vel paluſtribus, pedites impugnare ſolent.

Illud quoque vitandum ne per negligētiam aliis feſtinantibus, aliis tardius incedentibus, interrumpatur acies, aut certè tenuetur. Cōtinuò enim hoſtes interpolata peruadunt. Interponendi ſunt ergo exercitatiſſimi campi ductores, vicarij, vel tribuni, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes accelerare compellāt. Nam qui multum præceſſerint ſuperuentu facto, nō tam redire quàm effugere cupiūt. Qui verò extremi ſunt, deſerti à ſuis, vi hoſtium, & propria deſperatione ſuperantur.

Illud præcipuè ſeruandum eſt,

vt ea pars ad quam hoſtis venturus creditur, oppoſitis lectiſſimis equitibus, & leui armatura, necnon etiam peditibus ſagittariis, muniatur. Quod ſi vndique circunfundũtur inimici, vndique debent præparata eſſe ſubſidia. Ne verò repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi ſunt milites, vt parati ſint animo, vt arma in manibus habeant. In neceſſitate ſubita quæ terrent, prouiſa non ſolent eſſe formidini.

Antiqui diligentiſſimè præcauebant, ne à calonibus interdum vulneratis, interdum timentibus, & ſaginariis clamore pauefactis milites turbarentur: ne diſperſi longius aut conglobati amplius, quàm expedit, impedirent ſuos, hoſtibúſq; prodeſſent. Et ideo ad exemplum militum, etiam impedimenta ſub quibuſdam ſignis ordinanda duxerunt. Denique ex ipſis calonibus (quos vocabant galearios) idoneos ac peritos vſu legebant, quos non amplius quàm ducentis ſaginariis puerîſque præficerent: hiſque vexilla dabant, vt ſcirent ad quæ ſigna deberent impedimenta colligere. Sed pugnatores ab impedimentis laxamento aliquo diuidun tur, ne conſtipati lædantur in prælio.

Sciendum etiam quòd aduerſarij in iis locis quæ ſibi opportuna intelligunt, ſubſeſſas occultius collocant, vel aperto Marte impetum faciunt. Sed ne ſecreta noceant, ducis præſtat induſtria, quem omnia prius conuenit explorare. Deprehenſa verò ſubſeſſa, ſi circumueniatur vtiliter, plus periculi ſuſtinet, quàm parabat inferre. Aperta autem vis ſi præparetur in montibus, altiora loca præmiſſis ſunt præſidiis occupanda, vt cùm hoſtis aduenerit, reperiatur inferior, nec audeat obuiare, cùm tam à fronte, quàm ſupra caput ſuum cernat armatos. Quòd ſi anguſtæ ſint viæ, ſed tamen tutæ, melius eſt præcedere cum ſecuribus, ac dolabris milites, & cum labore vias aperire, quàm in optimo itinere periculum ſuſtinere.

Præterea noſſe debemus hoſtium conſuetudinem: vtrum de nocte, an incipiente die, an hora reficiendi, laſſis ſuperuenire conſueuerint: & deuitare quod illos putamus ex more.

Iam verò vtrum peditibus, an equitibus, vtrum contatis, an ſagittariis amplius valeant, vtrum numero hominum, an armorum munitione præcellant, ſcire nos conuenit: & ordinare quod nobis vtile, illis doceatur aduerſum.

Tractare quoque, per diem, an per noctem iter expediat inchoari: quanta locorum interualla ſint ad quæ cupimus peruenire: ne æſtate, aquæ penuria obſit euntibus, ne hyeme difficiles aut inuiæ occurrant paludes, maioréſque torrẽtes, & impedito itinere circumueniatur exercitus, priuſquam ad deſtinata perueniat. Vt enim noſtra commoditas eſt, ſapienter iſta vitare: ita ſi aduerſariorum imperitia vel diſſimulatio occaſionem nobis dederit, non oportet omitti, ſed explorare ſolicitè, proditores ac transfugas inuitare. vt quid hoſtis moliatur in præſenti, vel in futurum poſſimus agnoſcere, paratíſque equitibus ac leui armatura, ambulantes eoſdem, vel pabula vi-

ctúm-

ſtumque quærentes, improuiſo terrore decipere. *Veget. libr. 3. capite ſexto.*

IVDEX.

Iudicum Ægyptiorum primarius circa collum imaginem ex ſapphiro gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur Veritas. Ego verò Iudicem non tam in lapide ſculptam aut expreſſam veritatem circumferre, quàm in animo menteque inſitam & infixam habere velim. *Ælian. Var. hiſt. l. 14. c. 34.*

Iudex non debet dare, neque accipere. *Æl. Spartian. in Peſcenn. Nigro.*

Iudicis lenti & conſiderati illud eſt proprium, vt quum lædere poteſt ignoſcendi quærat cauſas, non lædendi occaſiones. *Amm. Marcell. libr. 19.*

De vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, laturum ſententiam diu multúmque cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio, vbi irreuocabile factum eſt, agitari. *l. 29.*

IVDICIORVM *recłaratio.*

Ecquis nocens eſſe poterit vſquam, ſi negare ſuffecerit? Ecquis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet. *Am. Marcel. l. 18.*

IVDICIVM.

Apud me tantundem valet bene ſentire per ſe, & alteri bonâ dicenti ſententiam accedere. *Herodot. libro 7.*

Niſi diuerſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorē, ſed neceſſe habet ea quæ dicta eſt vti: at quum plures dictæ ſunt, licet tanquam aurum purum deligere: quod per ſe diſcerni nequeat, comparatum cū altero diſcerni poteſt. *Idem, eod. l.*

IVDICIVM *Dei.*

QuiReipub. ad pacem, virtutē, & concordiam optimæ inſtitutæ violenta imperia ſuperaddūt, meritò cladem patiuntur. *Plutar. in Ageſil.*

Imminentibus calamitatib. ſolet Deus mentem hominib. adimere. *Appian. l. de bellis Syr.*

IVDICIVM *humanum.*

Omnes hoc natura comparatū habent, vt ex ſuis rebus domeſticis iudicium faciant de iis quæ de aliis dicuntur, & quod credibile eſt non credendum exiſtiment. *Diony. Hal. l. 5.*

IVDICIVM *periculoſum.*

Nihil periculoſius quàm de aliorum arte iudicare. *F. Guicciardin. hiſtor. l. 11.*

IVDICIVM *prauum.*

Hoc plerunque facimus, vt conſilia euētis ponderemus: & cui bene quid proceſſerit, multū illum prouidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. ſic fit, vt ſæpenumero quæ a conſilio profecta ſunt, fortunæ, & quæ à fortuna cōſilio tribuamus. *Idem, l. 14.*

IVRA *venalia.*

Neceſſe eſt, inquit Alexander Seuerus, vt qui emit vendat. ego non patiar mercatores poteſtatū: quos ſi patiar, damnare non poſſum. Erubeſco enim punire illum hominē qui emit & vendit. *Lampri. in Alex. Seuero.*

IVS.

Tum in priuatis, tum in publicis diſceptationibus à iure deducēda ſunt orationis exordia. *Dionyſ. Halyc. l. 6.*

A veritate laborare nimis ius ſæpe aiunt, extingui nunquam. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Ivs *belli.*

Quæcunque quis ſua virtute ho ſtibus ademit, & ſibi comparauit, eas ſuis poſteris tanquam res proprias relinquit. *Dionyſ. Hal. l.6.*

Ivs *gentium.*

Commune omnium gentium ius vetat quenquam cauſæ dictione aut iudicio fraudari. *Dionyſ. Halic. l.5.*

Ius regnorum nõ idem apud omnes ſancitur. *P. Æmyl. l.8.*

Suus cuique genti ritus, ſuum cuique ciuitati ius auguſtum ſanctúmque eſt. *Ibid.*

Ivris *diiudicatio.*

De iure, pro rationis humanæ captu, inter eos qui paribus viribus præditi inter ſe coire cogi ve poſſunt, fieri ſolet diiudicatio. Poſſibilia verò faciunt, qui plus viribus poſſunt, & infirmiores potẽtiorib. ſe ſubmittere ſolent. *Thucyd. l.5.*

Ivsivrandvm.

Leges Ægyptiorum mandant creditis abſq; Scriptura mutuò pecuniis, ſi negarentur, ſtari debitoris iuramento, vt quæ iuſiurandum veluti religioſam rem magni æſtimarent. Nam cùm certum ſit, iis qui ſæpius iurant, abrogari fidem, plurimi ducunt, ne boni viri nomẽ amittatur, rarò ad iuramentum deſcendere. Legiſlator inſuper omnẽ fidem in virtute conſtituens, bonis morib. iudicauit aſſueſieri homines ad probitatem, ne indigni fide viderentur, debere. Iniquum etiam putauit, eis à quibus abſque iureiurando credita pecunia eſſet, de re ſua iurantibus non præſtari fidem. *Diod. Sic. Antiq. l.2. c.3.*

Iuſiurandum inter homines ſupremum ac firmiſſimum fidei pignus eſſe videtur. *Procop. de bel. Perſ. libro ſecundo.*

Principibus iuriſiurandi religio cæteris rebus omnibus antiquior eſſe debet. *Nicet. Alex. Angel. l.3.*

Quæ interpoſito iuramento pacta ſunt, teſte Deo, inita, violare nefas eſt, vtcunque ea violatio aliis expediat. *Cedrenus, hiſt. compend. pag. 72.*

Iuſiurandum magnam prohibẽdi vim habet. *P. Pachym. hiſt. l.5.*

Iuſiurandum neceſſitatem ineuitabilem adfert. *Idem, l.10.*

Ivdæi.

Iudęis non concedendum eſt, vt in medio Chriſtianæ vrbis ſynagogas habeant, & blaſphemis precib. piorum aures obtundant. *Zonar. in Theodoſio.*

Ivdex *incorruptus.*

Seueritatis in incorrupto iudice recitato exemplo addit Conſt. Manaſſes, Nihil ad animum libertatis ſtudioſum comparari poteſt: ſic homo alienus ab auaritia, nec vlli rei mancipatus, ſed ingenuus, neminis perſonam acceptat non excelſo loco conſpicuos metuit, neminẽ formidat: dixeris eum eſſe volucrẽ aquilam, celerem, ſublimia pententem, nullis rebus terrenis addictã. Si puram habeas mentem, & lucris ſuperiorem, ſi donorum captione animum non ſordidaueris, reges non formidabis, plebem non reuereberis, nõ eximios & magna præditos potentia metues. *Conſtan. Manaſ. Ann. p.91.*

Ivdices *violenti.*

Nemo credit eos qui vim inferre poſſunt, ſi iudicum munere fungantur, ex iuſtitia agere: verũ hæc omnium eſt opinio, ſpeciem eos, ac quaſi adumbratum quoddã exẽplar Reipubl. propter verecundiã veritati

veritati actionum ſuarum prætendere,ac ſub iudicij nomine cupiditatem ſuam explere. *Dion,l.52.*

IVDICIA.

Acerbis iudiciis ciuitas vaſtatur magis quàm corrigitur. *Salluſt. in Fragm.*

De præfectorum conſulum, & ſenatorum capitibus, mancipia ære empta iudicare non debent. *Lāprid.in Alex.Seuero.*

IVDICIA *Dei.*

Quis Dei iudicia, vel addendo, vel detrahendo immutabit. *Nicet. in Ioan.Comn.*

Quia ineffabilia sūt Dei iudicia, quę nec ſcire omnia,nec explicare quę ſcimus poſſemus,breuiter expreſſerim correptionem iudicis Dei,quoquo pacto accidat,iuſtè ſuſtinere qui ſciūt,iuſtè ſuſtinere qui neſciūt. *P.Oroſ hiſt.l.7.cap.41.*

Quemadmodum clades populis à Deo immittuntur:ita etiam nonniſi placato Numine eædem propulſari queunt. *G.Pachym.hiſt.l.10.*

IVDICIA *Dei inſcrutabilia.*

Ad defuncti Alexandri 6.pontificis Rom. veneno ſuis ipſius artibus extincti ſpectandum corpus, in D. Petri templum vrbs tota incredibili cum gaudio accurrit,nec cuiuſquam oculi Draconem illum, qui immoderata ambitione, & peſtifera perfidia, omnibúſque horrendæ crudelitatis, monſtroſæ libidinis, & inauditæ auaritiæ exēplis,ſacris atque profanis reb. abſque diſcrimine vēditis vniuerſum orbem venenis infecerat,extinctū ſpectando expleri poterant:qui nihilominus ab ineunte ætate, ad extremum vſque vitæ ſuæ diem, ſingulari ac penè perpetua felicitate, maximáque ſemper appetens, & plura quàm optaret perpetuò adipiſcens elatus fuerat. quod exēplum,ad illorum,qui humanorum oculorum imbecillitate diuinorū iudiciorum arcana ſe videre arbitrantes, quicquid mortalibus vel fauſti vel aduerſi accidit, ex benè maléve factorum cauſis manare aiunt,arrogantiam retundendā potentiſſimum eſt: quaſi nō quotidie multos bonos iniuſtè vexari,& cōtrà, plæroſque improbos ad non meritos honores euehi cerneremus:quaſi ſecus interpretando,de Dei iuſtitia,potentiáve detraheretur, cui' amplitudo,breuib. ac præſentibus terminis minimè incluſa, alio tempore & loco,larga manu, æternis præmiis atque ſuppliciis, iuſtos ab iniuſtis diſcernit. *F.Guicciardin.hiſt.l.6.*

IVDICIA *impleta contemnenda.*

Siue timidum pro cauto, tardū pro conſiderato,imbellem pro perito belli vocent. malo te ſapiens hoſtis metuat,quā ſtulti ciues laudent. *Liu.Decad.3.l.2.*

IVDICIORVM *Dei certitudo.*

Quum poſt fabricam ornatúmque mundi huius,homo,quem rectum atque immaculatum fecerat Deus,ac perinde humanum genus, libidinibus deprauatum peccatis obſorbuiſſet,continuò iniuſtam licentiā iuſta punitio conſecuta eſt. Sententiam creatoris Dei & iudicis,peccanti homini,ac terræ propter hominē deſtinatam,ſempérq; (dum homines terram habitauerint) duraturam, omnes,inuiti licet, aut probamus negando, aut confitendo toleramus:obſtinatíſq; mentibus teſtis ſibi infirmitas ſua inurit, quibus fidelis ſcriptura nō ſuaſerit. *P.Oroſ.hiſt.l.1.c.3.*

IVDICIVM.

Homines ex euentu fortunæ quæ prius conſulta ſunt, iudicant. *Procop.de bel.Vandilic,l.1.*

IVDICIVM *Dei in impios.*

Mali oculis iuſtitiæ ſunt expoſiti, & quamuis aliquandiu pœnas effugiant, tandem tamen ſupplicia maiora luunt. *Conſtant. Manaſſ. Annal.pag* 106.

Oculus ille qui occulta perſpicit, omnia intelligit, corda iudicat, ad Irenam imperatricem,quæ Conſtantinum filium cæcauerat, ſe conuertit,eam adſpexit,feruore quodam accenſus eſt, grauiter moleſtéque facinus eius tulit: quúmque perexiguum ad tempus imperij voluptatem illa deguſtaſſet, amarum flagitio pollutæ craterem, ſuæ iræ fæces miſcuit.Quippe concitata ſeditione imperio deiecta eſt, pro voluptate moleſtias corexedentes conſequuta, moleſtias inquam non tam appellandas moleſtias,quàm calamitatum filij ſtimulos.Quare deinceps mare adflictionum hauriebat, tanquam paupercula mulier, & nendo victum quærens. Eiuſmodi efficere vitæ mortalis inconſtantia conſueuit, & hoc modo Deus iniuriarum auctoribus mercedem tribuit. *Idem, pag.*120.

Nihil omnino diuinos oculos fugit: & Deus ſuperbis mercedem ſuam tribuit. *Idem,pag.* 136.

IVDICIVM *de hiſtoricis.*

Oportet eum qui rectè iudicaturus ſit deſcriptoribus,non ſecundū omiſſa, ſed ſecundum dicta iudicare. Et ſi quid in iſtis mendacij deprehenderit,ſcire,quòd illa propter ignorantiam omiſerint, ſi verò quicquid dixere verum extiterit,id illis concedere, quod ea quæ tacuerunt, non per ignorantiam, ſed iudicio tacuerint. *Polyb.hiſt. libro 6.*

IVDICIVM *humanum.*

Eſt receptum vſu,vt ij qui perierunt,in reprehenſionibus omnium ſint:qui vicerunt, honoribus afficiantur.*Dion,l.*48.

IVDICIVM *iniquum.*

Nec viſum hominem,nec auditum,damnare,nefas vltimum eſt. *Amm.Marcel.l.*15.

IVSTITIA.

Iuſtum eſt,vt quam quis legem in alios tulerit, eandem æquo animo ipſe ſubeat. *Diodor.Sicul. hiſtor. lib.*13.

IVSTITIA.

Obtemperantiam & iuſtitiam homines, ſe minus mutuò lædentes,magis ſunt concordes,& felicitatem nō fœdiſſimis voluptatibus, ſed honeſtate metiuntur. *Dionyſ. Halic.l.*2.

Pudore,modeſtia, ac iuſtitia omnis ciuilis ſocietas conſeruatur. *Idem,l.6.*

Omnes res mortalium inſpicit iuſtitia. *lib.*11.

Inter virtutes iuſtitia mediocritatis nomen obtinere debet. Nam non ſolùm ſi infra modum ſit, verum etiam ſi modum excedat,ipſis hominibus conducere non ſolet: & interdum magnas illis calamitates adfert,eoſque in mortes miſerabiles & lues inſanabiles coniicit. *libr.* 8.

IVSTITIA.

Ageſilaus ſolebat iuſtitiam inter omnes virtutes præſtantiſſimā dicere, & ſine qua fortitudo nullius eſſet precij,cùm contrà ne opus quidem hac eſſet futurum, ſi omnes

omnes homines iuſti eſſent. Et quibuſdam dicentibus, Hoc ita magno regi placere, Quid ergo, inquit, an is maior me eſt, ſi non ſit iuſtior? rectè iudicans iuſtitia, tanquam regia menſura, præſtantiam eſſe examinandam. *Plutar. in Ageſil.*

Omnino ſumma nobis iuſtitiæ eſt habenda cura: cum qua etiam de armorum potentia ſpes bona propoſita eſt, ſine ea nihil perpetuum extat, vt maximè in præſentiarum quis victoriam obtineat. *Dion, l. 41.*

In ſanctis penetralibus iuſtitiæ ſemper æqui ac probi facti reſpectus religioſa cum obſeruatione verſatur: & vbi ſtudium verecundiæ eſt, & cupiditas rationi cedit: nihilque vtile, quod partim honeſtũ videri poſſit, ducitur. *Val. Max. l. 6. c. 5.*

Excellentiſſima virtutum omnium Iuſtitia. *Amm. Marcell. l. 20.*

Corporis proceritatem & armorum diligentiam, cæterúmque belli apparatum longè inferiora iuſtitia & in Deum obſeruantia eſſe nemo dubitat. Iuſtitiam ſi quis ſectatus fuerit, magis ei quàm è ſupradictis felicitas obuenerit. Prima igitur iuſtitię cura eſto, iniuſtè interfectos vlciſci. Si enim iuſti & iniuſti iudicium in eos exerceri qui propè nos ſunt prætereatur, nullus iam metus erit, viliſque admodum fuerit hómini animæ humanæ ratio. *Procop. de bel. Vandilic. lib. 1.*

Fruſtra ſit fortitudo, vbi iuſtitia defuerit. *Idem, ibid.*

Iuſtitiæ proprium eſt id cuique tribuere, quod meretur. *Zonar. in Alex. Comn. tom. 3.*

Inuicta res eſt iuſtitia, quę prius infeſtos poteſt amicos reddere, ac hoſtes perinde attrahit, vt magnes ferrum. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 84.*

Quũ iuſtitia ſit omnium virtutũ fundamentum & baſis, omnibus aliis rationibus anteponenda eſt. *F. Guicciardin. hiſt. l. 4.*

IVSTITIA *Dei.*

Lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatémque ſupplicij grauitate compenſat. *Valer. Max. l. 1. c. 1.*

Dei iniuriæ Deo curæ. *Tacit. Annal. l. 1.*

Innumerabilia iudicia & ſupplicia vltrix facinorum impiorũ, bonorúmque præmiatrix, operatur *Adraſtia*, (atque vtinam ſemper) quam vocabulo duplici etiam *Nemeſin* appellamus: ius quoddam ſublime numinis efficacis, humanarum mẽtium opinione lunari circulo ſuperpoſitum, vel (vt definiũt alij) ſubſtantialis tutela, generali potentia partilibus præſidens fatis: quam theologi veteres fingentes *Iuſtitiæ filiam*, ex abdita quadam æternitate omnia deſpectare terrena. Hæc vt regina cauſſarum & arbitra rerum, hæc diſceptatrix vrnam ſortium temperat, accidentiũ vices alternans; voluntatúmque noſtrarum exorſa interdum alio quã quo contendebant exitu terminãs, multiplices actus permutando cõuoluit. Eadémque neceſſitatis inſolubili retinaculo mortalitatis vinciens faſtus tumentes in caſſum, & incrementorum decrementorúmque momẽta verſans, vt nouit, nũc erectas mentium ceruices opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo ſuſcitans, ad bene viuendum extollit. Primas autem ideo illi vetuſtas

fabuloſa aptauit, vt adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimetur: & prætendere gubernaculum edidit, eíque ſubdidit rotam, vt vniuerſitatē regere per elementa diſcurrens omnia non ignoretur. Hęc fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem. & Dionyſium, gentium quondam terrorem, Corinthi ludo literario præfecit. Hæc Adramyttenus Andriſcum in fullonia natū, ob Pſeudophilippi nomen euexit, & Perſei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem Mancinum Numātinis ſumma atrocitate, Veturium & Claudium Corſis ſubſtrauit, feritati Carthaginis Regulum: iſtius arbitrio Pompeius, poſt quæſitum Magni & rerum geſtarum amplitudine cognomentum, ad ſpadonū libidinem in Ægypto trucidatur. & Eunus quidam ergaſtularius ſeruus ductauit in Sicilia fugitiuos. Quam ſplendidò loco multi nati, eadem rerum Domina conniuente, Viriati genua vel Spartaci amplexi ſunt? quot capita, quæ gentes horruere, funeſti carnifices abſciderunt? Alter in vincula ducitur, alter inſperatæ præficitur poteſtati, alius à ſummo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia ſi ſcire quiſquam velit quàm varia ſint & adſidua, arenarum numerum idem iam deſipiens, & montium pondera ſcrutari poterit. *Ammon. Marcel. hiſt. l.14.*

Vigilat vtrobique ſuperni Numinis æquitas. *Idem, eod. l.*

Vigilat Iuſtitiæ oculus ſempiternus. *l.28.*

Inconniuens Iuſtitiæ oculus, arbiter & vindex perpetuus rerum vigilat adtentè. *Id. l.29.*

Manes inultos ſempiternæ vindicat iuſtitiæ vigor, aliquotiens ſerus, ſed ſcrupuloſus quæſitor geſtorum rectè vel ſocius. *l.30.*

Diuina fit iuſtitia, vt qui primi bellum iniquè & arroganter intulerunt, ſupplices pacem petant. *P. Iouius, hiſt. l.4.*

Deus eos in terris diu felices eſſe non patitur, qui ab immani crudelitate omnē humanitatem exuerint. *Idem, l.13.*

IVSTITIÆ *amor.*

Traianus præfecto prætorij gladium nudum porrigens, dicebat, Accipe gladium, quem pro me, ſi bene atque ratione imperauero, deſtringes: ſin minus, eo ad interitum meum vtere. *Dion in Traiano.*

IVSTITIÆ *dignitas.*

Numam dominum ſibi Romani, priuatum atque peregrinum quan tumuis, delegerunt: Lycurgus ex rege ſeipsū priuatū fecit. Pulchrū quidem eſt iuſtitia regnum adipiſci: pulchrum etiam regno iuſtitiam anteponere. nam virtus alterum ita illuſtrem reddidit, vt regno dignus iudicaretur, alterum ita magnum, vt id contemneret. *Plutar. in Lycur. & Numæ compar.*

IVSTICIÆ *executio.*

Nulla regi conuenientior actio eſt quàm iuſtitiæ executio. Mars enim (vt Timotheus ait) tyrannus eſt: & Pindarus legem omniū regem appellat. Homerus item ait reges non machinas vrbium expugnatrices, non æratas naues à Ioue ſibi traditas, ſed iura accepiſſe & cuſtodire: regúmque non bellicoſiſſimum, neque iniuſtiſſimum aut ſæuiſſimum, ſed iuſtiſſimum Iouis diſcipulum nominat. *Plutarch. in Demetr.*

IVVENTVS.

Nihil difficilius eſt quàm in iuuentute magnā capere fortunam. *Curt.l.4.*

IVVENES.

Licenter iuuenes militiam in laſciuiam vertunt. *Tacit.in vita Agric.*

Solent animi iuuenum ambitu potentiæ concitari. *Iornand.l.de reb. Getic.*

IVVENIS *ambitioſi deſcriptio.*

Si quis ad bellum gerendum electus iunior, qui ſua vtilitate mouetur, & imperio lætatur propter armorum ſplendorem, equorum apparatus, & vanas profuſiones, hortatur vt ad iter vos accingatis, huic non concedite, vt periculo ciuitatis ſuum ſplendorē amplificet: ſed exiſtimate à talibus res priuatas & publicas euerti. Atque bellum rē eſſe cogitate quæ iuuenis cōſilio regi non poteſt, nec ſubitò eſt ſuſcipienda. *Thucyd.l.6.*

IVSTITIA, *omnium virtutum maxima.*

Ex omnibus Ariſtidis virtutibus, maximè Iuſtitiam populus animaduertit; quòd eius vſus & perpetuus, & omnium maximè communis eſſet. Itaque pauper & de plebe homo, iuſti cognomentum maximè regium & diuiniſſimum nactus eſt. Quod reges & tyranni haud imitati ſunt, qui magis (vt apparet) vi & potentia, quàm virtute, partæ gloriæ cupidi, Poliorcetę ab vrbibus expugnatis, Cerauni à fulmine, Nicatores à vincendo, nonnulli etiam Aquilæ & Accipitres dici maluerunt. Atqui diuina natura (cuius ſe illi ſimiles efficere cupiunt) tribus his excellere videtur, perpetuitate, potentia, & æquitate: inter quæ ſumma certè eſt æquitatis maieſtas & diuinitas. Perpetuis enim, hoc eſt interitus expertibus, eſſe etiam Inani & elementis contigit: terræ motus, fulmina, ventorum turbines, fluuiorum inundationes magnam vim habent: iuſtitiæ autem & æquitatis in Deo nihil niſi quod ſapiat & res diuinas intelligat fit particeps. Quapropter cùm tribus modis plerique erga Deum afficiantur, admirando, timendo, honorando: mirari eum ſolent & beatum prædicare ob æternitatem interitúſque immunitatem, reformidare autem & metuere propter eorum dominationem & potentiam: amare autem, honorare & colere, iuſtitiæ cauſa. Et tamē hoc modo affecti homines, immortalitatem natura noſtra ſuperiorem, potentiámque infortuna maiore ſui parte poſitam appetūt, iuſtitia (quod ſolum de diuinis bonis in nos cadit) poſt hæc poſita: tāto quidem ij ſtultius, quòd vitam potentia, fortuna, & principatu prędicam, iuſtitia quidē diuinam, belluinam verò iniuſtitia reddit. *Plutar.in Ariſtide.*

IVSTITIA, *virtus planè regia, & regibus inprimis neceſſaria.*

Satis mirari nequeo, id quod multis ante ſeculis admirationi ſūmis ſapientiæ profeſſoribus fuiſſe video: poſt hominum memoriā ſummos Reges, maximóſque Imperatores, ex rebus geſtis, vitæve inſtituto, aut fortuna aliqua præclara ſibi cognomina peperiſſe: alios Expugnatores, alios Illuſtres, alios Magnos, alios Felices, alios Auguſtos, alios Pios dictos, alios alio decore nobilitatos: nullum, dum Regum, nullum illorum Imperatorū,

qui rerum potiti ſunt, *Iuſti* cognomen ad hanc diem promeruiſſe:eã vnam iuſti Regis palmã,cognominíſque dignitatẽ,ceteris occupatis reliquã eſſe quę petatur,quã primã omnium ſumma cõtentione peti oportuiſſet:cùm cætera priuatorũ hominum, & multò minus ſalutaria munera ſint. Cuius rei cauſſam quis aliã crediderit, quã quòd ſunt qui ferant, iuſtum hominẽ maiori aliis,quã ſibi,vſui eſſe?quaſi Reges loco cæleſtiũ inſtituti:datiq; idcirco ſint,vt ſibi,nõ Reipub. ſaluti cõmodóque proſpiciant:cùm contrà res habeat,Regéſque diuinitus generi humano dati ſint, vt in cõmune conſulant,iuſtitiáque ſit ea animi dos,quæ vniuerſa vtilitate conſeruata,ſuã cuiq; tribuit dignitatẽ: à qua qui deciſcunt,quàuis in Regio ſolio ſedeãt, Regéſque in præſentia vocitẽtur:tamẽ adeò ab Regio nomine,iudicio ſapientũ (quo quid maius?quid grauius?) abſunt. vt ne Latino quidẽ nomine nuncupari poſſint: externo & peregrino nominantur.

Eius igitur culpæ ratio eadẽ eſt, quę & cõmunis exitij,maximorũq; bellorũ: quòd opib. præſtare,id in reb. humanis ſummum bonũ arbitrãtur:cùm ea demũ ac vna magnitudo Regia ſit,vt cũ cupiditati animi modum ſemel impoſueris,quã cæteros mortales magnitudine nominis antecedis,tã beneficiis ante ire contendas,& ea in primis excellas virtute, à qua vna reliquæ iura petãt:eius nutũ intueantur,ad eam oĩa referant,ab eius ore pendeant: cuius fidei aliæ rerum ſummã arbitriúmq; mandarint,ſéq. eius adminiſtras comitéſque profiteãtur. Ea haud dubièiuſtitia eſt:pro qua fortitudo,cõſtantia,grauitas,niſi depugnet,ſuũ ius nomenq; ac decus amittat, feritas,immanitas,væcordia,dicatur: cui ſapientia niſi appareat.præſtoque ſit,malitia,calliditas,fraus,captio,neceſſariò vocitetur. Eiuſdẽ eſt, cũ hominũ genꝰ ex fera vita ſylueſtriq; in vrbes mãſuetudinéq; exciuerit,legumq; ac inſtitutorũ vinculis cõiũxerit,cõſociaritq; dare operã,vt probi mores vigeãt:pietas,fides,pudor, modeſtia, continentia,temperantia, colatur.

Quin ipſa liberalitas,quę prodeſſe velle ſe,ac augere multos gloriatur niſi ſine iniuria, ſine maleficio alterius id faciat:niſi iuſtitiæ veſtigiis inſiſtat,cuiꝰ ſe germanã ac maximè geminã prędicatioĩs cõmẽdationis dignitatiq; ſit expers: priúſque alios ſpoliet, quã aliis largiatur. Eadẽ & magnificẽtię & munificẽtię vis eſt:vt ab iniuria procul faceſſat:vt vnius iuſtitię nomine oẽs cõtineantur:ea oẽs ſit:ea vim ſuam etiã ſanctã mortalib. teſtetur:quòd cùm quęnã mortaliũ generi tuẽdo debeãtur,præſcripſerit,cęlũ etiam ſuſpiciẽs,illi in animis hominũ venerationẽ cultúmq; reddat:pietatẽ & religionẽ, templa,ſacra, ſuperis impertiat, ſummũq; mũdi artificẽ velut corã cõtẽplata,imitandũ ſibi proponat: vt quemadmodũ ille ſigna,ſidera,cæli motus,tẽporũ viciſſitudines,ſempiterna certaq; lege deuĩxit,à qua deficere nequeãt, ita ipſa terreſtrib. his apud nos Regnis,ſi perpetua futura ſint,ſalutares leges iuraque præſcribat.

Hæc igitur iuſtitia terris incedẽs, ac cælũ ceruice cõtingẽs,ita ſibi nihil ipſa petẽs,nihil captãs, ſua cuique tribuit,vt ei nihilo ſecius genꝰ humanum,réſque omnes eius beneficio

neficio incolumes, ſceptra dent. Simul qui iuſti legitimiq; Reges à parentib. more, inſtituto, & legibus, cõſenſuq; Regna acceperint, nulli rei plus quã iuſtitię debẽt. Maius enim certiuſq; patrimoniũ, ac ampliores facultates ab ea acceperũt, quã à parẽtibus. Illi .n. opes, gazã, arma, arces, pręſidia tradere potuere: vt veri iuſtiq; Reges ſint, haberẽtúrq; ipſi, ac liberis deinceps per manus eadẽ relinquãt, id munus ei⁹ Reginę ſit. Cur.n iuſtitiã Reginam vocitare dubitemus? quę Regna tradat, tueatur, ſancta efficiat: adeò vt etiãſi id verũ credatur, quod & proceres ſapiẽtiæ nõnulli dixere, iuſtũ plus aliis prodeſſe quã ſibi: diſſimulari tamen non poſſit, veros reges, eóſq; in primis qui regib. orti, generaturi reges ſint, ei Reginæ accepta oĩa ferre debere: quã & ipſos in ſe colere, & cæteris præſtare conueniat. Et (vt oĩa ſemel cõplectar) religionis, moderationis, fortitudinis, prudentię, liberalitatis, Iuſtitia parens eſt: nec diuelli ab Rege poteſt, incolumi Regio nomine.

Nec difficile factu eſt eã præſtare, nõ æquè cætera. Etenim ſapientia ingenij indoles eſt, quã nullus efficere, crearéve ſibi poteſt, naturę bonũ, ac Dei donũ eſt. Fortitudo quoque vis quędã & magnitudo animi cẽſetur, ac id mentis robur ferè vt cuiq; inſitũ eſt ſpecimen, cernitur. Quid, quòd continẽtiam facilẽ aut difficilẽ corporis dos habitúſque præſtare videri poſſit? Iuſtitia autẽ ſola volũtate proficiſcitur: & vt quiſque vult, iuſtus, ſecúſve eſt: aut facillimè omniũ Regiis ingeniis ſe vltro diſcendã præbet. Forma corporis, oris dignitas, frõtis grauitas, vultus maieſtas, fulgor, vigor, ac lumẽ oculorũ, (quãdo maximè inclyta cæleſtiũ munera repudiãda, diſſimulandaq; nõ ſunt.) ſpectãtes mouet, tenétq., ac admonet quęnã ſpecies primi à ſummo artifice initio rerum creati hominis fuerit: qualéſque, quicũque iuſtè regnarint, futuri ſint in illa fœlici immortalitate. Quòd ſi corporis pulchritudò tãti eſt, vt quodã ſui miraculo reliquos afficiat: quid ſentiendũ eſt de illa pulchritudine, quæ eſt animi verè Regij, quæ ſimillimũ ſuperis facit? *P. Æmyl. hiſt. l. 8.*

L.

Labor.

Tanto plus adferũt lætitiæ bona, quanto maiore labore præcedẽte ad ea peruenitur. Labores enim fortibus viris ſunt obſonium. At abſque eo, vt quis indigeat eius quod conſequitur, nihil tam ſumptuoſe parari poteſt, vt ſuaue ſit. *Xenoph. de inſtit. Cyri, l. 7.*

Olim labor nemini vitio dabatur, neque artes erant ignominiæ. *Plutar. in Solone.*

Alexader vidẽs ſuos tot tantiſq; certaminibus aduerſus Aſiæ gẽtes ſuperatis remiſſiores eſſe factos, luxuiq; paſſim indulgere, eos placidè ac philoſophicè reprehendit, inter cætera dicens, nihil magis ſeruile quã luxuriã, nihil magis regiũ eſſe quàm laborare. Et vero (addebat) quomodo is equũ ſuum ipſe curet, haſtã galeámve poliat, qui deſueuerit ſuis ſuũ ipſius chariſſimũ corpus manib. attrectare? An neſcitis, inquit, eũ victoriæ finẽ nobis propoſitũ eſſe, ne idẽ quod victi agamus? *Idem in Alexandr.*

Ego nullum generoſo viro laborum finem ſtatuo, quàm labores ipſos qui ad gloriam & decus ducunt. *Arrian. hiſt. l. 5.*

Labores & præclara facinora adeuntibus, & vita ipſa cum virtute coniuncta iucunda eſt, & mors nequaquam acerba, immortalem nominis ſui gloriam relinquentibus. *Eod. lib.*

Nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emolumentum fer mè ſine impenſa opera eſt. Labor voluptáſque diſſimillima natura, ſocietate quadam naturali inter ſe ſunt iuncta. *Liu. Decad. 1. l. 5.*

Ex parente meo, & ex aliis ſanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem conuenire: omnibúſque bonis oportere plus gloriæ quã diuitiarum eſſe: arma non ſupellectilem decori eſſe. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Hominem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit. *Valerius Maximus libro octauo, cap. 8.*

Laboris hoc ſolatium homines habent, ſi quem alium ſponte eundem perferre laborem conſpiciãt: ita enim neceſſitas videtur ſublata. *Plutar. in Mario.*

LACRIMÆ.

Lacrimis & acclamationibus ſtudia ſua multitudo profitetur. *Curt. l. 7.*

Lachrimas Deus admittit, & natura maximum mutuæ miſericordiæ incitamentum in oculos noſtros deriuauit. *Nicet. in lib. de Cõſtantinop. ſtatu.*

LÆTITIA.

Quoties conditio melior à deteriore ſecernitur, lætandũm eſt potius quàm dolendum. *Am. Marcel. l. 23.*

Solet lætitia præcludere conſilia hominum. *Io. Iouian. Pont. hiſtor. libr. 1.*

Effuſam ſæpe lætitiam triſtes & aduerſæ res excipiunt. *P. Æmyl. libro 8.*

LÆTITIA *de alienis malis.*

Qui rerum ſuarum fraudatores perſpexerit re aliqua item per alios fraudari, lætari proculdubio poterit, haudquaquam immeritò pœnas luiſſe hos ratus: ni fortè his demum inuideat, qui illatam ſibi iniuriam vindicarint. *Theudibald. Franc. rex. apud Procop. de bell. Goth. libr. 3.*

LÆTITIA *maxima.*

Animo nihil eſt iucundius, quã id videre & audire quod deſideres. Perinde eſt enim, ac ſi quis ſitientibus ſuauiſſimam aquam offerat, & æſtuantibus frigidum Zephyrũ immittat. Deſiderat autem alius aliud, pro ſuo quiſque iudicio: vnde appetitio illa commouetur, & ad aliud atque aliud vitæ inſtitutum impellitur, quæ multa variáque & cœlum & terra proponunt. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libro nono.*

LAMENTATIONES.

Seræ ſunt hominum lamentationes, prorſúſque vituperandæ, quas occupatas in iis lugendis cernimus, quæ vitio ſuo deſidiáque contigerunt. *Salluſt. in fragm.*

LAE

LATRONES.

Qui latrocinio victitant, bellum nec inferre, nec propulſare poſſunt. *P. Æmyl. lib. 9.*

LAVDARE, *difficile.*

Difficile eſt conuenienter dicere ea de re, de qua orator vix impetrare poteſt vt ſibi credatur. Nam quibus res notæ ſunt, & qui bene volunt mortuis, exiſtimant orationem non eſſe parem magnitudini rerum geſtarum, alij ignari iudicant laudes eſſe immodicas, quia inuident excellenti virtuti. Laudes enim eò vſque tolerabiles ſunt, donec ea dicuntur, quæ auditores ſe quoque facere arbitrantur. Si maiora dicuntur, inuident, non credunt. *Thucyd. lib. 2.*

LAVDES.

Laudibus haud minus quàm præmio gaudent militum animi. *Liu. Decad. 1. lib 2.*

LAVS.

Laudis amatores neceſſe eſt huiuſce rei gratia ea ſibi comparare quorum cauſa laudentur, ob eámque rem omnem laborem, omne periculum quam libentiſſimè ſubire. *Xenophon. de pædia Cyri, libro 1.*

LAVS.

Viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores: à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere. *Spartian. in Peſcenn. Nigro.*

Ea demum laus grata eſſe debet excelſæ poteſtati, quum interdum & vituperationi ſecus geſtorum pater locus. *Amm. Marcell. lib. 15.*

LAVS *illuſtris.*

Pelopidas à ſociis, pro quibus mortem oppetierat, Marcellus ab iis, à quibus erat necatus, hoſtibus eſt ſepultus. Quorum vt alterum, expetendum eſt, & beati putatur: ita præſtantius quiddam & maius eſt admirationem ſui in animis hoſtium virtutis eius, quæ eis ſæpe incommodauerit, quàm apud amicos gratiarum actionem excitare. quippe in illo honeſtati tantùm honor delatus apparet: in hoc vtilitas & commodum magis quàm virtus amatur. *Plutarch. in compar. Pelopidæ & Marcelli.*

LAVS *propria.*

Vt non reprehendo Catonis vbique ſibi ipſi primas vindicantis iactantiã (quanquam ipſe in quadam oratione dicit, proprias laudes, non minus quàm conuicia quę ſibi quis ipſe faciat, abſurdas eſſe) perfectior tamen mihi virtute præditus videtur, qui ne aliorum quidem laudationes requirit, & qui ſeipſum crebro collaudat. Vacuitas enim arrogantiæ magnum eſt ad manſuetudinem ciuilem viaticum: contra arrogantia moleſta, plurimúmque inuidiæ procreans. *Plutarch. in comparat. Ariſtidis & Catonis maioris.*

LAVS *viri & mulieris.*

Viri laus eſt in prældiando, mulieris laus in moderatione luctus. *Thucyd. lib. 2.*

LECTIO *quomodo inſtituenda.*

Quemadmodum viſu vtentes, faciem perpetuò ad id conuertere ſolemus quod demõſtrationis gratia oſtenditur: ſic & animus in ea loca propendere debet quæ proponuntur inter narrandum. *Polyb. l. 3.*

LECTIONIS & auditionis repetitio vtiliſſima.

Si aquæ gutta ſubinde cadendo

ſolidam ſaxi duritiem cauat:quanto magis oratio crebro aures feriens, animi torporem & quietis ſtudium excutit. *Zonar. Annal. tom.1.*

LECTORES *hiſtoriarum, &c.*

Sunt nonnulli qui non tam ſcripta ab authore quam ipſum amplectuntur authorem. *Polyb lib.3.*

LECTORIS *officium.*

Neque ad aſſentiendum procliuior quiſquam eſſe debet, neque ſe omnino incredulum ad ea quæ ſint rariora præbere. *Pauſanias, libro 9.*

LEGATI.

Qui interimunt legatos ius omnium hominum confundunt. *Herodot. lib.7.*

Legatos inter res maximi momenti Cyrus ponebat, nempe vt abſque bello impetraretur id quod neceſſitas poſtularet. Quòd ſi tales ij non eſſent, quales eſſe conueniret, quorum opera maxima plurimáque negotia eſſent conficienda, malè rebus ſuis proſpectum fore arbitrabatur. Sin illi tales eſſent, quales oporteret, præclarè ſecum actum iri putabat. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib.8.*

Legatorum nomen apud omnes nationes ſanctum inuiolatúmque ſemper fuit. *Cæſar, libr. 3. de bello Gall.*

Sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius. *Tacitus, hiſtor. lib.3.*

Magna quædam & inclita oratorum dignitas eſt, & apud omnes mortales alioquin honorabilis. Sed tandiu id in ſe muneris retinent, quo ad ipſi ſuæ legationis officium ſeruent. Nam hominem occidere qui legatione fungatur, tunc quidem & iure pro humanis legibus licet, cùm regem videbitur contumelia affeciſſe, vel ſi adulterium commiſerit. *Procop. de bello Goth. lib.1.*

Orator, qualiacunque à principe ſe delegante acceperit, profert: quæ ſi minus proba vel recta videntur, non ipſe propterea iure eſt incuſandus, ſed qui miſerit fortè culpandus. Oratoris quippe officium eſt, ſuum cum fide miniſterium exequi. *Idem, eod. lib.*

Conſtat apud barbaros omnes id lege cautum eſſe, Oratores & legatos vt hi plurimũ colant & venerẽtur. Mihi verò (*Totilæ dictũ*) qui virtutis ſibi aliquid cõpararunt, honorem deferre ſimul & reuerentiam iampridem ſtudium fuit. Sed oratoribus delatos honores: ſiue illatam his ignominiam, non perſonarum manſuetudine, ſiue verborum tumiditate & elegántia diſcerni reor, ſed quum vera quædam fatẽtur, vel non ſanis admodum verbis vtuntur. Oratori itaque illi honor deferri maximè ſolet, qui veritate mox patefacta ad ſuos dimittitur: ſed is ignominia præ cæteris affici, qui vbi commentitia quædam & ſubdola verba fecerit, ad ſuos mox redeat. *Idem, de bello Goth. lib.3.*

Virum amicum & oratorem (*Pelagij legati dictum*) non ſolùm eum affeciſſe contumelia duxerim, qui vel caput illi percuſſerit, vel aliquouis in hunc deſæuiat modo, ſed vel qui re infecta dimiſerit ad ſe delegatum. non enim homines oratoris munere idcirco funguntur, vt honorem ab his conſequantur, qui ſuſcepturi ſe ſint: ſed quod vſui

vſui Reipublicæ in poſterum ſit peragendo, ad eos, qui ſe legauerunt, mox redeant. Fit igitur vt vel affectis iniuria longè magis conducat eorum aliquid effeciſſe, quorum ob cauſam venerint, quàm principum verbis benignioribus auditis, nihil pro ſpe conſequutos ad ſuos redire. *Idem, ibid.*

Eloquentes eſſe oportet eos, qui legati ad exteras nationes proficiſcuntur, vt linguis ab omni parte inſtructi, in quouis diſputationum genere palmam obtineant. *Ni. eph. Gregoras, hiſt. lib. 6.*

Principes prouidere debent, vt idoneis hominibus negotia ſua committant, illi præſertim qui viribus & cauſa ſunt inferiores. *Ph. Cominæus, lib. 2.*

Legati & oculi & aures regnorum ſunt. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro 15.*

Ius legatorum apud efferatiſſimas etiam gentes ſanctiſſimum. *P. Iouius, hiſt. lib. 18.*

LEGATI *imprudentes.*

Eſt quoddam genus hominum, qui ſibi perſuadent ipſi, explicare ſe poſſe negotia: quæ tamen cuiuſmodi ſint, magna ſæpe ex parte ignorant, eò quòd ij à quibus emittuntur, non ſemper ſe patefaciunt illis totos. Et ſicut principes prouidere debent diligenter, quibus hominibus rerum tractationem committant: ita quoque viciſſim illi qui mittuntur, debent explorare ſuas vires, neque munus vllum cui ſe putent eſſe impares, ſubire. Nec enim paucos noui, magnos alioqui viros, qui ſimilium rerum tractationibus adhibiti, ſummam offenderunt difficultatem. *Ph. Cominæus, lib. 2.*

LEGATIONVM *commoda & incommoda.*

Sub legationum ſpecie multa ſæpe pernicioſa tractantur. Quanquam ſanè fieri non poteſt, quin & multos ſubinde mittant principes & viciſſim accipiant, ſed prudentia ſingulari & dexteritate quadam opus eſt in tractandis exterorum legatis. Et principiò, meo quidem iudicio, amicorum legati, de quibus nullam habemus malè ſuſpicandi cauſam liberaliter ſunt & honeſtè tractandi, facta ſubinde illis poteſtate conueniendi Principis, ad quem miſſi ſunt, modò ſit prudens & honeſta ſpecies. Nam alioqui pręſtat, eum vel rarius conſpici, vel non diu inſiſtere colloquutioni. Ad quam quum deſcendit, prouideri debet vt ſit eleganter veſtitus, & de iis, quæ pronunciari & reſponderi oportet edoctus, & mox reuocetur à congreſſu. Nec enim diuturna eſt Principum beneuolentia.

Quum autem vel publici vel priuati veniunt ab aliquo Principe parum amico, tametſi periculum eſt in ea re non leue, excipiendi tamē ſunt non incommodè, & deſtinandi aliquot idonei homines, à quibus tractentur. Hoc enim ad honeſtatem pertinet, ac ſimul eò confert, vt quid agant, & quibuſcum loquantur, & quos habeant ſibi familiares, cognoſcatur: nec id modò, verumetiam vt homines leues atque ſeditioſi non habeant ad ipſos aditum. In omnibus enim Principum familiis ſemper aliqui exiſtunt, qui mutationem aliquam & res nouas cupiunt. Et quoniam periculi plenum eſt, habere domi ſuæ hoſtem: ſuaſerim, primo quo-

que tempore eiuſmodi legatos dimitti: verùm ita tamen, ne quam habeant occaſionem de inhoſpitalitate conquerendi.

Sed ne bello quidem exortæ ſunt intermittendæ pacis rationes, aut repudiandi legati: verum audiendi ſunt omnes, ac inuicem ad hoſtem mittẽdi, iiſque mandandum, vt diligentiſſimè obſeruent, quid quoque tempore geratur, qui cum quibus colloquantur. Crebro enim mittendum eſt, etiam ſi hoſtis iubeat abſtineri deinceps, & commeatu prohibeat. Nec enim vllus, quantumuis prouidus & fidus explorator, facultatem habere poteſt, tam multa cognoſcendi, quàm eiuſmodi legati, qui quum ſint vnus & alter, aut etiam plures: fieri non poteſt, vt aliquid odorentur. Nam qui ſunt prudentiores principes, id operam dant, vt etiam apud aduerſarios habeant quoſdam à ſe non alienos.

Verùm, ſi quis tam frequentes mittat internuncios, futurum eſt, dicat aliquis, vt hoſtis fiat inſolentior. Atqui in eo ſanè nihil eſt mali, & interea de ipſius rationibus ac conſiliis cognoſcetur ſemper aliquid. Et licet eandem rationem hoſtis inſtituat, vt modò dixi, & ſuos inuicem mittat: non tamen idcirco deſiſtendum eſt, & vel ob hanc ſolam cauſam immorandum eſt legationibus, vt varia multáque cognoſcantur.

Huc etiam accedit, quòd non omnes æquè ſunt ingenioſi, neque parem ſemper habent rerum vſum: & quo quiſque prudentior eſt in eiuſmodi tractationibus, eo maiori cum honore & fructu in iis verſatur. Quod vt clarius intelligi poſſit, exempli cauſa quiddam ſum dicturus. Pactio nulla facta fuit vnquam inter Gallos & Anglos, in qua non ingenij vi & acrimonia Galli præſtiterint: adeóque prouerbio dicitur apud Anglos, Quoties cum Gallis prælio concertarint, victores ſe plerunque fuiſſe: quoties verò cum illis pacti ſint, detrimentum ſemper aliquod accepiſſe. Et rectè quidem ita iudicant. Habet enim Gallia præſtantiſſimos viros, ex iiſque non paucos, quibus rectiſſimè committi poſſit maximarum rerum gubernatio. *Ph. Comineus, lib. 4.*

LEGES.

Verum quidem eſt, antiquas leges retinendas eſſe immotas, tunc videlicet cùm certa pax eſt, ſed cùm alij aſturè nobis inſidiantur, nouis quoque artibus opus eſt. *Thucyd. lib. 1*

LEGVM *obſeruatio perquam neceſſaria.*

Pernicioſiſſimum eſt, ſi decreta non ſunt ſtabilia, nec cogitatis meliorem eſſe ſtatum eius ciuitatis, quæ quanquam deterioribus legibus, tamen conſtanter vtitur, quam quæ bonas leges habet quibus tamen non conſtanter vtitur: eſtque vtilior inſcitia cũ modeſtia, quàm calliditas cum impunitate. Ac plerunque rudiores homines melius regunt ſuas reſpublicas quàm aſtuti. *Thucyd. lib. 3.*

LEGES.

Qui eas habent leges per quas in maximam, quandiu illas obſeruarunt, potentiam euaſere temerè quid contra leges committere non debent. *Xenophon. de reb. geſt. Græc. lib. 1.*

Bonis

Bonis legibus & honeſtorum ſtudiorum æmulatione, pia, temperans, iuſta & rebellica præſtans ciuitas redditur. *Dionyſ. Halic. libro 2.*

Legum ſcripta tranſgredi,& vim iure potiorem facere, certè hoc non eſt amplius populare, ſed ſi veritatem audire vultis tyrannicum.

Ex qua ciuitate iura & leges ex pelluntur in eam ſeditio bellúmque ingredi ſolet. *Idem, lib. 7.*

Cùm à Platone Cyrenæi petiiſſent, vt leges ipſis ferrent, populúmque componeret forma Reipublicæ moderata, difficile eſſe reſpondit Cyrenenſibus rebus tam ſecundis vtentibus leges ſtatuere. nihil enim difficilius regi poſſe quàm hominem proſpera vtentem fortuna: nihílque viciſſim facilius admittere diſciplinam, quàm eum qui rebus aduerſis eſſet fractus. *Plutarch. in Lucullo.*

Quid attinebit vniuerſas rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ ſunt, poſſint? *Liuius, Decad. 4. lib. 4.*

Quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ vtilitatis cauſa in æternum latæ ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut vſus coarguit, aut ſtatus aliquis reipublicæ inutilem fecit: ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges mortales (vt ita dicam) & temporibus ipſis mutabiles eſſe video quæ in pace latæ ſunt, plerunque bellum abrogat: quæ in bello, pax. vt in nauis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in aduerſa tempeſtate vſui ſunt. *Liuius, Decad. 4. libro 4.*

Sicut morbos neceſſe eſt prius cognitos eſſe quàm remedia eorum: ſic cupiditates prius natæ ſunt quàm leges quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, niſi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis & muneribus, niſi quia vectigalis iam & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui cœperat? Itaque minimè mirum eſt nec Oppiam nec aliam vllam tum legem deſideratam eſſe, quæ modum ſumptibus mulierum faceret, cùm aurum & purpuram data & oblata vltro non accipiebant. *Idem, ibid.*

Vi, ambitu, pecunia, leges turbantur. *Tacit. annal. lib. 1.*

Non poteſt princeps ſua ſcientia cuncta complecti, neque expedit vt ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta conſtituuntur, quia futura in incerto ſunt. Satis onerum principibus, ſatis etiam potentiæ: minuuntur iura, quoties gliſcit poteſtas: nec vtẽdum eſt imperio, vbi legibus agi poſſit. *Tacit. Annal. lib. 3.*

Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eóque ſine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur: & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exin æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, prouenere dominationes, multóſque apud populos æternùm manſere, Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis ſimplices erant. *Tac. annal. l. 3.*

Chriſtianæ religionis leges hominem potius conſeruandum eſſe quàm perdendum, nec totum mundum cũ eius animo comparandum docent. *Nicetas Andronic. Comm. lib.2.*

Sine legibus Reſpublica non eſt Reſpublica. *P. Oroſius, hiſtor. libr. 7. cap.43.*

. Arma cum legibus duo ſunt quæ ad reſpublicas gubernandas aptiſſimá putantur. *B. Facius. hiſt. lib.10.*

LEGISLATOR *mirus.*

Tzinciſcanis, legiſlator Scytharum homo vilis & faber ærarius, autor ſuis fuit, vt delicias fugerẽt, obuiis contenti eſſent, alij alios inter ſe diligerent, priuata emolumenta ſpernerent, Reipublicæ con ſulerent, nihil in vita feſtinanter agerent, omnibus cibis vterentur, plurimas vxores ducerent, nullos fundos poſſiderent, migrarent quò cõmoditas inuitaret, paucos quoſlibet tollerent, ac veſtibus etiam integris aſſuerent: quod cum nulla neceſſitate coacti facerent, ſine verecundia facturos, cùm eſſet opus, aliena occuparent: veritatem in verbis colerent, iuſtitiam in factis: quórum alterum ingenui animi, alterum eſſet rectæ voluntatis, vt nemo alterius oratione falleretur, nec in agendo circumueniretur vllis inſidiis. *G. Pachymer. hiſtor. lib.5.*

LENITAS.

Lenitate vtendum eſt erga ſanabiles, qui poſtea magis morigeri erunt, non erga æquales & hoſtilem animum retinentes. *Thucyd. libr.3.*

Græciæ ciuitates intempeſtiua leuitate, quàm res ipſæ nón requirebant, prauorum ſtudiorum principia admiſerunt, quæ poſtea neque impedire, neque tollere potuerunt, ob quæ in fœdas & inſanabiles calamitates coactæ ſunt venire. *Dionyſ. Halic. lib.5.*

Afflicti ſolatia ſtatus ſemper, lenitudo principum. *Amm. Marcell. lib.30.*

LEVITAS *animi.*

Immoderati honores laudéſque, leuitatem animi, etiam modeſtiſſimo cuique afferunt, vt ſe iam tales eſſe quales prædicantur, exiſtimẽt. *Dion, lib.44.*

Indignatione contra pproriam vtilitatem ferri, leuitatis eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.4.*

LEX.

Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt. *Liu. Decad.4. lib.4.*

LEX *naturæ.*

Hæc lex naturæ apud omnes gẽtes recepta eſt, quàm nullum tempus delebit, vt ſuperiores inferioribus imperent. *Dionyſ. Halic. libro 1.*

Hoc communi naturæ lege apud omnes gentes eſt receptum, vt qui iniuriam eſt paſſus, ei ſit infenſus à quo eam accepit. *Idem, lib.8.*

LIBERALITAS.

Liberalitatis duo ſunt maximè probabiles fontes, verum iudicium & honeſta beneuolentia. Nam cùm ab his oritur, tunc demum ei ratio conſtat: dono autem ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. *Valerius Maxim. libr.4. cap.8.*

Simplicitas ac liberalitas, ni adſit

ſit modus, in exitium vertuntur. *Tacit.hiſt.lib.3.*

Princeps nō poteſt magna cuiuis largiri, qui ſe à vi atq; rapinis abſtineat. Qui autem rectè ac pro cuiuſque dignitate diſpenſat, non modò nihil cuiquam iniuſtè accipit, ſed & cæteros frugi eſſe docet, & parcere parto. *Herodian.in Pertinace.*

Potiſſima dôs in Principe, liberalitas & clementia. *Pomp. Læt. in Diocletiano.*

Liberalitas prodeſſe velle ſe, ac augere multos gloriatur. *P.Æmyl. lib.8.*

LIBERI.

Liberis nihil eſt charius humano generi. *Liuius, Decad.1.libro 1.*

Futura ſoboles affert obliuionem amiſſorum & Reipub. Hæc duo commoda accedunt in liberorum propagatione, quod numerus ciuium augetur, & quòd tutiora conſilia dantur. Nam qui non habēt liberos periculorum ſocios, non perinde iuſta conſilia dant Patriæ. *Thucyd.lib.2.*

Liberis pretium ſeruitutis ingratum eſt. *Curtius,lib.6.*

Pater non ignorabit ita liberos eſſe procreandos, vt meminerit his à rerum natura, & accipiendi ſpiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici: atque vt mori neminem ſolere, qui non vixerit, ita nec viuere quidem aliquem poſſe, qui non ſit moriturus. *Valerius Maxim. libro 5. cap.10.*

Liberorum gratia quis omnia fortaſſè audebit. *Procop. de bello Perſ.lib.1.*

Fruſtra de prole cura eſt, niſi rebus præſentibus conſulatur. *P. Diacon.hiſtor.lib.2.*

LIBERTAS.

Liberum eſſe, equidem cunctis rebus anteferendum arbitror. *Xenoph.de reb.geſt.Græc.lib.4.*

Cùm leges apud Indos variæ habeantur, admiratione tamen dignæ hæ fuerunt, à priſcis eorum philoſophis editæ. Lege enim ſanxeruut, neminem omnino ſeruum eſſe: liberos æquo iure honoréque haberi omnes. Qui aſſueſcerent neque præſtare cæteris, neque iniuria quenquam afficere, optimè ad omnes fortunæ caſus inſtituiſſe vitam. Stultum ſanè videri leges æquas omnibus poſitas, fortunā non æquè omnibus communes eſſe. *Diodor.Sicul.Antiq.lib. 3.cap.10.*

Exiſtimantes libertatem eſſe beatitudinē, nec ſine fortitudine libertatem retineri, pericula bellica nō defugite. *Thucyd.lib.2.*

Sine libertate nihil bonum eſt, nihil expetendum hominibus. *Plutarch.in Ageſilao.*

In omnibus mortalibus libertatis deſiderium eſt innatum: & iis qui inuiti & coacti miſerias perferunt quæuis vel leuiſſima occaſio ad res nouandas idonea videtur, *Dionyſ.Halic.lib.5.*

In omnibus libertatis deſiderium innatum eſt. *Idem,lib.6.*

Omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur. *Idem, lib.11.*

Libertas ipſa ſatis habet dulcedinis. *Liuius,Decad.1.lib.2.*

Moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle ſimulando ita ſe quiſque extollit vt deprimat alium, in difficili eſt: cauendóque ne metuant homines metuendos

vltro ſe efficiunt,& iniuriam à nobis repulſam, tanquam aut facere aut pati neceſſe ſit iniūgimus aliis. *Decad.1.lib.3.*

Maxima libertatis cuſtodia eſſet, ſi magna imperia diuturna non eſſent,& temporis modus imponeretur quibus iuris non poteſt. *Decad.1.lib.4.*

Suis ſtat viribus libertas, nec ex alieno arbitrio pendet. *Decad.4. lib.5.*

Omnes homines natura libertati ſtudent, & conditionem ſeruitutis oderunt. *Cæſar, lib.3.de bello Gall.*

Viri fortes non collocant libertatem & vires in agris & domibus, quæ nunquam eis deerunt, ſi pugnare non pigeat. *Appian.lib.2. de bello ciuil.*

Fieri non poteſt vt libertatem ament, qui largitionibus corrumpuntur, *Idem, ibid.*

Libertatem nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit. *Salluſt.de coniurat.Catil.*

Libertas iuxta bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt. verùm eam plerique metu deſerunt. *Salluſt.in Fragm.*

Ingenua ſeruilibus ingenia præſtant. *Iuſtin.lib.18.*

Falſò libertatis vocabulum ab iis obtenditur, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent. *Tacit.Annal.lib.11.*

Libertas, naturâ etiam mutis animalibus data. *hiſt.lib.4.*

Optimus eſt, poſt malum principem, dies primus. *Eod.lib.*

Quomodo peſſimis imperatoribus ſine fine dominatio, ita quamuis egregiis modus libertatis placet. *Ibidem.*

Liber ſub imperio nullus habetur. *Aurel.Victor, lib.de Cæſarib.*

Non ita graue eſt in malis ſeneſcentem vſque ad extremum viuere, quàm à malis ſemel liberatum rurſus in eadē recidere: quòd medio tempore bona deguſtanti difficilis, vt par eſt, calamitas reuerſa videatur. *Procop.de bello Vandilico, lib.2.*

Nihil tam indignum liberis & fortibus viris, quàm longè remoti, ſæpe etiam victi adhuc hoſtis, & deinde minitātis imperio arma deponere. *P.Oroſius, hiſtoriar.libr.3. capit.1.*

Natura ita comparatum eſt, vt qui inuiti ſeruiunt, ij libertatem affectent: & quod cupiunt, ad id obtinendum capta opportunitate erumpant. *Cedren.hiſtor.compend. pag.476.*

Cùm nemo ſit hominum, qui non cupiat ſe in libertatem aſſerere, qui non malè velit iis à quibus aliqua ſeruitute vel metu coercetur: hæc ſanè libertatis cupiditas & ſeruitutis odium maximè vigent in Principibus *Ph.Comin.lib.4.*

Libertas res eſt deſiderabilis ac precioſa, taliſque, quæ digna ſit, vt nullum periculum defugiamus, ſi qua ſpes affulgeat minimè friuola, nos eam poſſe aliqua ſaltem ex parte tueri. *Fr. Guicciardin.hiſt. lib.1.*

LIBERTI.

Libertorum ſeruilia ſunt ingenia. *Tacit. Annal.lib.2.*

LIBRI.

Ferè pleriſque accidit, vt præſidio literarum (*librorum*) diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remit-

remittant. *Cæſar, lib. 6. de bello Gall.*

LICENTIA.

Eſt difficile in maxima licentia moderari ſibi, quaſique frænos imponere cupiditatibus. *Herodian. in Commodo.*

Licentia omnis, rerum corruptrix & morum, principis artibus exterminanda. *Amm. Marcell. lib. 25.*

Morte regum & vitio temporum licentia vires nacta nihil ſibi non arrogat. *P. Æmyl. lib. 8.*

In magna licentia quiſque ſuis moribus facilè ſeruit effuſéque blanditur. *P. Iouius, hiſt. lib. 18.*

LITERÆ.

Miraculum literarum res noua eſt inter rudes artium homines. *Liuius, Decad. 1. lib. 1.*

LITERARVM *vtilitas, commendatio, & vſus.*

Charondas apud Thurios tulit legem, nempe vt omnes ciuium liberi in ipſo ludo & primis literarum rudimentis inſtituendi traderentur, conductis ad id mercede & ære publico præceptoribus. Etenim proſpexerat, multis iam pridem exemplis admonitus, pleroſque vel optimo natos ingenio fore, qui rei familiaris anguſtia preſſi, dum priuatæ mercedis præceptoribus tribuendæ inopia deſiſterent, ob eam ſingulari & tam opportuna inſtitutione priuarentur. Grammaticam verò inſtitutionem cæteris diſciplinis legiſlator haud immeritò quidem præferendam duxit. Huius namque præceptis inſtitutiſque quamplurima, quæ ad vitæ vſum maximè neceſſaria parantur, putantur parari: præſtaríque conſpicimus ſuffragia, decreta, conſulta, epiſtolas, pacta, leges, conuenta, cæteráque huiuſmodi omnia, quibus vitæ ſocietatiſque humanæ ratio potiſſimum continetur, réſque paſſim mortalium corroboratæ ſimul & excultæ conſiſtunt.

Cuinam tanta ingenij facultas ſuppetit, vt dignis laudibus literarum diſciplinam inſtitutionémque ſe proſequi poſſe confidat, quibus ſolis vita defunctorũ mortalium memoria, noménque inter ſecula viuentium in mortem perpetuò celebratur: tum quos longiſſima procul terrarum interualla ſeparatos tenent, hi literarum ſeſe mutuis velut internuntiis ſalutant, viſunt, cùm abſentibus amicis tanquam præſenti conſuetudine mutuis colloquiis perfruuntur: tum ad bella ſiue inter gentes quaſcunque, ſeu inter reges ſedanda, quid idoneum, quid magis accommodatum literarum munere poſſet excogitari? Fœderibus commendandis pactis, conuentis, promiſſis teſtes primi accerſuntur, cæteráque omnia, quibus ſeruandis ſumma opus eſt fide, ipſis tutò commendantur: illæ commendata quęcunque excipientes, æterna integritate & inconcuſſa fide cuſtodiunt. Poſtremò ſapientiſſimorum virorum ſanctiſſimas ſententias, oracula diuina, Philoſophorum inuenta, diſciplinarum denique omnium pręcepta, ac monumenta humanarum diuinarúmque rerum ſolæ literarum ædes repoſta conſeruant, atque à vetuſtatis & temporis voracitate defenſa, veluti diuina quadam tuendo vi, poſteris ex ordine deinceps per ſucce-

dentia ſecula demum æternitati commendant.

Vitam nobis à natura datam haud ambigi negaríve poteſt: verùm bene beatéque viuendi rationem, à literarum eruditione ſumptam, euidentiſſimis probatur argumentis: vnde ciues illiteratos, tanquam ſummis quibuſdam priuatos bonis, ſimul increpando commonuit, ſimul ſubſidio opportunè cauto leuauit, impoſita erudiendi lege. Quod munus cura, ſumptu, impenſáque publica, veluti ad rem publicam maximè neceſſaria, dignum duxit. Tanto nempe ſuperioribus legum latoribus præferendos, qui medicos publica mercede conduci ad morbos, ciuium curandos ſanxere, quantum animæ educatio, & exornatio ingeniorum, corporææ ſaluti præſtantior probatur. Nam quod illi corpori doloribus vexato, medicinis & periculis, hic eruditione & inſtitutione languentibus, & perturbatis ignoratione animis ſalutem in primis curandam cenſuit. tum medicorum nullam vnquam nobis accidere optamus neceſſitatem: verùm cum eruditioribus diſciplinæque præceptoribus vſque adeo verſari, totam vnam conſumere ætatem iuuat, perinde ac ab illo abhorreat ſolicitudinis munere, hoc pro mutua gratia complectatur natura mortalium. *Diodor. Sicul. Antiq. lib. 12.*

LITES.

Nunquam extimui (*inquit Cyrus*) homines illos quibus locus eſt in media vrbe vacuus, in quem collecti mutuis ipſi ſibi iuramentis imponunt. *Herod. lib. 1.*

LOCA.

Nihil aliud supereſt locorũ fraude deceptis quàm honeſtæ mortis ſolatium ex hoſtium cæde. *Curtius, lib. 7.*

LOCORVM *adſpectus.*

Non vt hominum vultus, ita locorum facies mutantur. *Tacit. Annal. lib. 14.*

LOCORVM *nomina in bellis quàm neceſſaria.*

In relatione locorum, quorum cognitionem habemus, plurimum momenti nomina afferre cenſeo, & vt facilius intelligantur res ipſæ, & pertinacius memoriæ hæreant. Vbi verò loca ipſa ignota ſunt, ſimilis eſt eorum appellatio iis vocibus, quæ præterquam quòd aures percutiunt, nullam protſus habent ſignificationem. Ita fit vt cùm mens noſtra nihil omnino ex eo nomine comprehendat, neque id referat vt ad aliquid ſibi cognitum poſſit, vana penitus atque inutilis fiat narratio. Quamobrem inueſtigandus modus eſt, quo de locis incognitis loquẽtes, quatenus liceat, auditores in notionem veri trahamus. Prima igitur & maxima atque omnibus hominibus communis notio eſt diuiſio huius, quo claudimur mundi: per quam omnes etiam inerudití, ortum, occaſum, Meridiem, Septentrionem nouimus. Secunda eſt, per quam vnicuique ſupradictarum partium partes orbis terrarum accommodantes, in cognitionem locorum quæ nec cognouimus, nec vidimus, quodammodo deuenimus. Et ſicuti viſu vtentes faciem perpetuò ad id conuertere ſolemus quod demonſtrationis gratia oſtenditur: ſic & animus in ea loca propendere

re debet, quæ inter narrãdum proponuntur. *Polyb.lib.*3.

LOCVS.

Omnia loca honeſta ducenda ſunt, quibus Rempublicam defenſuri ſumus. *Liuius, Decad.*5.*lib.*2.

LOCVS *in acie.*

In acie locus neque dat neque adimit virtutem. *Plutarch.in Ariſtide.*

LONGINQVA.

Longinqua ſunt in admiratione. *Thucyd.lib.*6.

LOQVACES.

Quorum lingua prompta ac temeraria eſt, haud æquè in pugnam vigent manus. *Liuius, Decad.*3. *libro* 2.

LOQVACITAS.

Quemadmodum ſemen eorum qui rei venereæ intemperantes, ſunt, ferè infecundum, infrugiferúmque eſt: ita loquacitas ſermonem futilem & ſtultum efficit. *Plutarch.in Lycur.*

LVCRI *cupiditas.*

Magnam vim in hominum natura eùm alia habent multa, tum nihil eſt lucri cupiditate ad cogendos ánimos valentius. *Pauſan.lib.*4.

In magnanimo duce non quodlibet lucrum eſt probandum. *Amm. Marcell.lib.*30.

LVXVRIA.

Quum mollitiem ſuorum poſt adeptas tot victorias Alexãderanimaduerteret, mirari ſe aiebat, quòd tot tantíſque certaminibus ſuperatis, non meminiſſent ſuauius dormire eos qui alios defatigaſſent, quàm qui defatigati eſſent, neque ex comparatione ſuæ cum Perſica vitæ ratione perſpicerent, nihil magis ſeruile quàm luxuriam, &c. *Plutarch.in Alexandro.*

Diuerſis duobus vitiis, auaritia & luxuria ciuitas laborat: quæ peſtes omnia magna imperia euerterunt. *Liuius, Decad.*4.*lib.*4.

Luxuria non nota tolerabilior eſt, quam erit, legum vinculis, ſicut fera beſtia, irritata, deinde emiſſa. *Idem, ibid.*

Inſtrumenta luxuriç tympana & crepundia. *Iuſtin, hiſt.lib.*30.

Blandum malum luxuria, quam accuſare aliquãto facilius eſt, quàm vitare. *Valer. Max.lib.*9.*cap.*1.

Luxuria & libidine nihil fœdius, nihil damnoſius: his virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animíque pariter & corporis vires expugnantur. Adeo vt neſcias ab hoſtibúſne, an ab illis capi perniciosius habendum ſit. *Idem, ibid.*

LVXVRIOSI.

Qui ventri & fœdiſſimis voluptatibus indulgentes propterea patrimonium abſumpſerunt, dedecus & detrimentum Reipub. ſunt exiſtimandi, & Reſpub. magnum factura eſt quæſtum, ſi ipſi vltro ex vrbe excedant. *Dionyſ. Halic. libro* 5.

LVXVS.

In luxu mulieres inſipientes, vitæ beatitatẽ, honeſtatis ignoratione ponunt. *Plutarch.in Agide.*

Natura in primis docet neceſſaria quæ ſi non deſint, ſed benignitate fortunæ ſuperſint, tum naturæ prouidentia veluti per æmulationem rurſus excitatur ad ea deligenda, quæ ſenſibus magis blãdiantur. Quorum vbi ſatietas cœperit, ad ſuperuacanea deflectit, per ambages atque illecebras varietatem & compoſitiones multipli-

ces machinatur,& præſtigias quaſdam arcanæ voluptatis conſectatur,ne luxuriæ continuatio grauis & moleſta fiat. *Nicephor. Gregoras, hiſt.lib.2.*

LVXVS *muliebris.*

Cùm apud cæteras gentes cunctis mulieribus argentea multa ius fieret delicta redimendi, Zaleucus Locrenſium legiſlator argutiſſima quadam pœnæ penſione, earum compreſſit intemperantiam. Quibus ſic licentiam præſcripſit: Mulierem liberam vna non plus pediſſequa comitari debere, niſi cum temulenta fuiſſet: nec vrbem noctu egredi, niſi cum mœchos adire pararet: neque aureis componi ornamentis, neque contextis indumentis artéque laboratis venuſtari, niſi cùm ſcortari atque amatorem moliri ſtuduerit: neque viros annulis aureis ſplendeſcere, neque Iſomelia veſte contegi, niſi cùm lenocinari, aut adulteria committere niterentur. Ita facillimo pœnæ genere, vituperio ſcilicet probri, perniciem deliciarum omnem atque intemperantiæ labem coercuit:excluſitque licentiæ procacitatem, maxima impudentiæ irritamenta. Nemo enim tam perditæ libidinis inueniri poterat, qui domeſtica atteſtatione & proprio ſuæ turpitudinis teſtimonio,vellet ſe perpetuo inter ciues probro ludibrióve damnare. *Diodor.Sicul.hiſt.lib.12.*

Minimè mirum eſt nec Oppiam nec aliam vllam inter veteres legem deſideratam eſſe, quæ modum ſumptibus mulierum faceret, cùm aurum & purpuram data & oblata vltro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas vrbem circumiret, ſtantes in publico inueniſſet quæ acciperent. Atque ego (inquit Cato cenſorius) nonnullarum cupiditatum ne cauſam quidem aut rationem inire poſſum. nam vt quod alij liceat, tibi non licere,aliquid fortaſſe naturalis aut pudoris aut indignationis habeat: ſic æquato omnium cultu,quid vnaquæque veſtrûm verètur ne in ſe conſpiciatur? Peſſimus quidem pudor eſt vel parſimoniæ vel paupertatis, ſed vtrunque lex vobis demit, cùm id quod habere licet,non habetis. *Liuius, Decad.4.lib.4.*

Simul lex modum ſumptibus vxoris tuæ facere deſierit, tu nunquam facies. *Idem,ibid.*

M.

MAGIA.

Vaniſſimi cuiuſque magia eſt ludibrium. *Curtius,lib.5.*

MAGISTRATVS.

Magiſtratus eſt medicus ciuitatis:benéque præeſt qui iuuat patriam aut certè lædit non volens. *Thucyd.lib.6.*

Omnibus grauis eſt magiſtratus cui nullum certum tempus eſt præfinitum, & qui nullis actorum ſuorum reddendis rationibus obnoxius eſt:vnde tyrannus naſcitur. *Dion.ſ Halic.lib.1.*

Hominibus rempublicam tractantibus puto valde neceſſariam eſſe præteritarum rerum cognitionem, vt in ſimilibus caſibus exempla in promptu habeant quæ ſequantur. *Idem,lib.5.*

Iis

Iis qui de Repub conſultant omnia quæ veriſimiliter accidere poſſunt ſunt proſpicienda. *Idem, lib. 7.*

Viris ciuilia negotia tractantibus quemadmodum cæteris hominibus illud cōmune eſt, vt omnium eorum quæ rebus adhærent contemplatione pleniſſima delectentur. *Id. lib. 11.*

Præfectum Rebuſpub. ſtantem mori oportet *Dictum Turbonis* viri eximia virtute præditi. *Dion, in Adriano.*

Boni malique in Republica nihil eſt, quod in diuerſum traduci nequeat moribus præſidentium. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

Moderatores omnium errare minus fas eſt. *Idem, ibid.*

MAGISTRATVS, *honorandus.*

Omnino ab hominibus honor iis debetur, quos honore Deus dignatus eſt. *Cedren. hiſtor. compend. pag 462.*

MAGISTRATVS *officium.*

Oportet eum qui Rempublicam gerit, varia cōſilia agitare, ac perſpicere qua potiſſimum ratione vnaquęlibet res facillimè poſſit expediri: itaque ſæpe ille parte aliqua dimiſſa, totam rei ſummam conſeruat, paruóque cedens maiora conſequitur. *Plutarch in comparat. Solonis & Poplicolæ.*

In vrbe, quæ de virtute iudicium ferre poteſt, qui in ſumma eſt conſtitutus potentia, malis nequaquam locum dare debet, neque functiones publicas indignis, neque fidem habere infidelibus. *Idem in compar. Niciæ & Craſſi.*

Is qui in Republica verſari præclarè vult, debet, ſemper re quidem id quod rectum eſt ei quod aduletur multitudini præferre, oratione autem efficere, vt id ipſum quoque moleſtum ſit. *Idem in Cicerone.*

MAGISTRATVS *iuuenes & imprudentes.*

Cœpta inter duos iuniores tribunos in vrbe certamina, cupiditate eadem imperij multò impenſius accenſa ſunt: nihil ſentire idem, pro ſententia pugnare, ſua conſilia velle, ſua imperia ſola rata eſſe volunt: contemnere inuicem & contemni. *Liuius, Decad. 1. libro 4.*

MAGISTRATVS *prudentes.*

Eos qui in publica rerum adminiſtratione verſantur intueri hæc diligenter, & exactiſſimo ſtudio examinare decet, ne eos lateat animus illorum, cum quibus vel iunguntur fœdere, vel pace conciliantur, quando id cedentes tempori faciant, quando animo non vlterius ſæuiendi, quò ab iis quidem qui opportunitatem malefaciendi præſtolantur cauere aſſiduè poſſint: iis verò quos vel ſubiectos imperio ſuo, vel veros amicos norint, quandoque res ferat ſecure ac fideliter vtantur. *Polyb. lib. 3.*

Ferrum neque Rempublicam gerens, neque medicus adhibere, niſi extrema poſtulante neceſſitate debet: vtrunque enim imperitiæ eſt, & in Republica iniuſtitia & crudelitas ad eam imperitiam accedunt. *Plutarch. in comparat Agidis & Cleomenis cum Tib. & C. Graccho.*

MAGISTRATVS *quando & cur malè audiant.*

Belli tempore ſemper neceſſe

eſt vt propter aduerſos caſus guber natores malè audiant. *Thucydid.libro 5.*

MAGISTRATVS.

Vide Princeps.

MAGNATES.

Magnatum caſus humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monétque nuſquam inflatè ſe gerere. *Dion.l.58.*

MAGNANIMITAS.

Turpius eſt amittere poſſeſſa antea quàm non potiri quæ antea non tenueris, & conuenit aduerſus hoſtes ire, non tantùm confidenti animo, ſed etiam elato. Nam & timidi gloriari poſſunt in rebus ſecundis quæ caſu eis acciderũt: ſed animi celſitudo in illis eſt qui ratione confidunt, & in quibus conſiderata fortunæ æqualitate, prudentia tamen proſpicit diſſimiles cauſas audendi, nec cæca ſpe ducitur, quæ eſt fallax, ſed cõſilio mouetur, quod minus fallit, collata vtrorumque potentia. *Thucyd. libro ſecundo.*

Non ſocordiam timorémve infert, cogitatione verſare, quemadmodum præſentibus rebus vtendũ ſit, ſed grauitatem & audentiam. Si enim vbi demum, quæ profutura ſunt, innotuerint, illud ſequetur omnino, vt iure audere omnia queas, tanquam non in ancipitem fortunam euectus. *Agath. hiſtor. lib.5.*

Animi promptitudinem tandiu profuturam eſſe exiſtimo, & magna laude dignam, quandiu moderata eſt, nec iacturæ quid adfert ſe poſſidentibus. Nam & bona omnia cùm nimia fuerint, in deteriora verti conſueuere. *Procop.de bel.Goth.l.2.*

MAGNANIMI *viri.*

Excellentib. ingeniis citius defuerit ars quà ciuem regant, quàm qua hoſtem ſuperent. *Liu.Decad.1. libr 2.*

MAGNANIMVS.

Maximo cuique id accidere, animo certum habeo, vt ſe non cũ præſentibus modò, ſed cum omnis æui claris viris comparet. *Liu. Decad.3.l.8.*

MAGNITVDO *animi.*

Secundæ res ingenio modico & ſubmiſſo præditos attollunt, vt magni ſibi videantur, criſtáſque erigant, cùm excelſo loco ſe conſtitutos cernunt: vera animi magnitudo & conſtantia rebus aduerſis ferendis emendandiſque caſibus elucèſſit. *Plutar.in Eumene.*

Facilia ex difficillimis animi magnitudo reddit. *Cæſar libr.2. de bell.Gal.*

Multum eſt hominibus præſidij in animi firmitudine. *Idem, l.3. de bel.ciuil.*

Roma à Gallis capta C. Atilius barbam ſuam permulcenti Gallo ſcipionem vehementi ictu capiti inflixit, eíque propter dolorem ad ſe occidendum ruenti cupidius corpus obtulit. Capi ergo virtus neſcit, patientia dedecus ignorat. Fortunæ ſuccumbere triſtius ducit omni fato, noua & ſpecioſa genera interius excogitat, ſi quiſquã interit, qui ſic extinguitur. *Val.Maxim.l.3.c.2.*

In rebus dubiis plurimum valet animi magnitudo. *Arn.Ferron. libr.7.*

MAGNITVDO *animi in bello quàm neceſſaria.*

Qui de dubiis rei bellicæ caſib. præſenti iam periculo conſultant, vnam

vnam quæ reliqua eſt & ſalutis & victoriæ rationem, ab ipſa animi magnitudine ducere debent. Nam quum vis in negotio plurimùm vrget, & forti pariter conſilio factóque maximè eſt opus, demittere ſe animo, vel pauore occupari cũ turpe, tum euentu ipſo plerunque funeſtum eſt: ſed id multò magis indecorum atque importunum videtur, quum ipſa pericula anxiè nimis expendendo, reputandóque, & atrociora & maiora vero nobis affingimus. *P. Iouius, l. 2.*

MAGNITVDO *regum.*

Ea demum ac vna magnitudo regia eſt, vt cùm cupiditati animi modum ſemel impoſueris, quàm cæteros mortales magnitudine nominis antecedis, tam beneficiis anteire contendas: & ea imprimis excellas virtute, à qua vna reliquæ iura petant, eius nutum intueatur, ad eam omnia referant, ab eius ore pendeant: cuius fidei aliæ rerum ſummam arbitriumq; mandarint, ſéque eius adminiſtras comitéſque profiteantur. Ea hauddubiè Iuſtitia eſt: pro qua fortitudo, conſtantia, grauitas niſi depugnet, ſuum ius, noménque ac decus amittat: ſeritas, immanitas, vecordia dicatur: cui ſapientia niſi appareat præſtóque ſit, malitia, calliditas, fraus, captio neceſſariò vocitetur. *P. Æmyl. lib. 8.*

MAIESTAS.

Parum tuta ſine viribus maieſtas eſt. *Liu. Decad. 1. l. 2.*

MAIESTAS *regia.*

Quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe conuenit. *Valer. Maxim. libr. 2. cap. 6.*

MALA.

Semper omnia mala in terris vẽdibilia fuere. *Polyb. l. 4.*

Summa mala tergiuerſationem nõ patiuntur, in quibus vel exigua negligentia ſummæ rerum eſt euerſio. *Nicet. Manaſſ. Comn. libro quinto.*

Accepta mala corrigi non poſſunt. *Idem, l. 7.*

Multò eſt facilius malorũ principiis obſtare & incremẽta prohibere, quàm ea progreſſa longius & confirmata cohibere & extirpare. *Idem, de Conſtantinop. vrbis ſtatu.*

Remota mala minùs moleſta ſunt quã propinqua & quod expectatur, & ſi peſſimũ fuerit, leuius eo ducitur quod vrget in præſentia. Id enim eſt mortalium ingenium, vt exiguum doloris leuamẽ in lucro deputemus. *Idem Andron. Comn. l. 2.*

Diu mala ſuperſunt, ac vix tandem pereunt. *Conſt. Man. ſ. Annal. pag. 114.*

MALA *bonis in bonum cedunt.*

Angimur miſeri mortales, ſi quid nobis contingat aduerſi, exitus rerũ ignari, quos ſummus Deus ſibi vni præuiſos eſſe voluit, cùm omnia quæ accidant in potiorem partem accipienda ſint. Si quidem ea clades qua rex Alphonſus omni ſpe potiundi regni ſibi orbatus eſſe videbatur, ad poſtremum eius victoriæ cauſa extitit. Cum Philippo enim, Mediolanienſium duce, à quo ſuperatus & captus fuerat, & quo hoſte voto ſe ſuo potiri poſſe ſperare vix poterat, amicitiam ac fœdus contraxit, quo poſtea fautore & amico vſus, Neapolitanum regnum adeptus eſt. *B. Facius, hiſt. l. 4.*

MALA *inopinata grauiora.*

Qui delictorum quacunque in re ſibi conſcij ſunt, ſi quid imminet mali, præſciis imminet, & exſpectantibus ab eo tempore quo deliquerunt: quibus vt non aliud, ipſa tamen præſcientia calamitatem nonnihil leuat. Contrà, quos mala præter expectationem opprimunt, nullius peccati ſibi conſcios: hos non mirum eſt obſtupeſcere, & extra ſeſe quodammodo rapi. *Niceph. Gregor. hiſt. l. 6.*

MALA *publica.*

Tantum ex publicis malis ſentimus, quantũ ad priuatas res pertinet. nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum, ſtimulat. *Liu. Decad. 3. l. 10.*

MALORVM *publicorum finis.*

Plato finem malorum in Republic. fore dixit, quando diuina quadam fortuna fiet vt potentia magna & prudentia cum iuſtitia in vnum conuenient. *Plutar. in Compar. Demoſt. & Cicer.*

MALEDICENTIA *in mortuos.*

Solonis ea lex laudatur qua vetuit mortuis maledicere. pietatis enim eſt vita defunctos ſacros exiſtimare, iuſtúmque abſtinere ab iis qui non ſint: ciuile etiam eſt perpetuitatem odii sadimere. *Plutar. in Solone.*

MALEFICI.

Omnino opus eſt, vt vnoquoque tempore in maleficos homines animaduertatur. Plerique enim non admonitionibus, non exẽplis in alios ſtatutis emendantur: ſed neceſſitas exigit vt ignominia, exilio, aut morte multati coercẽtur. *Dion, l. 52.*

MALEVOLENTIA.

Natura ineſt adfectis iniuria erga adficientes continuò maleuolẽtia. *Procop. de bello Vandilico, libro primo.*

MALI.

Inter malos hoc euenit, vt & ſimiles ſint. *Tacit hiſt. l. 2.*

Sceleratos homines & ad malitiã ſollertes, vel vno quis die (ceu dici ſolet) agnouerit. *Conſtant. Manaſſ. Ann. pag. 160.*

MALIGNITAS.

Ad vituperandum ſumus quàm ad laudãdum procliuiores. *Plutar. in Lyſandro.*

Nulla tam modeſta felicitas eſt, quæ malignitatis dẽtes vitare poſſit. At quo ſeceſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordię permulſeris, non cohibebis, ne alienis malis perinde ac bonis ſuis lætentur ác geſtiant. Diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus. Sed illi quatenus alienis incommodis ſuorum adhuc expertes inſultent, optima vindex inſolentiæ varietas humanæ conditionis (*diuina prouidentia*) viderit. *Val. Max. libr. 4. cap. 7.*

Homines ſubinde nouis rebus gaudent: proinde facilius inuenias qui afflictis inſultet, quàm qui fortunatis gratuletur. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 1.*

MALITIA.

Ingrata res eſt malitia nacta veniam. *Appin. l. de bel. Mithrid.*

Malitia præmiis exercetur. vbi ea dempſeris, nemo omniũ gratuitò malus eſt. *Salluſt. in fragm.*

MALITIA *deſperata.*

Publico decreto bellum gerere, publica militia quę ſociorum ſunt auſer-

auferre, nec quanquam horum authorem punire, inſuper magis ducem ex illis eligere, & commiſſorum facinorum duces & authores honore afficere, mihi omnis generis malitia refertum eſſe videtur. *Polyb.l.4.*

MALVM.

In primis cauendum ne malum malo curare velis. *G. Pachym.hiſtor. lib.4.*

MALVM imminens.

Opinio magni mali impendentis vincenda eſt conſtantiâ. *Arn. Ferron.l.7.*

MANSVETI.

Vincuntur, vti puto, manſuetorum ſemper animi in primis vtcũque miſericordia, quodam mutuo conditionis communis intus affectu perculſi. *Diodor. Sicul. hiſtor. libro* 13.

MANSVETVDO.

Grauitate ac manſuetudine ad virtutem ciuilẽ maximè opus eſt. *Plutar. in Coriolano.*

Ea eſt animantium omnium natura, vt manſuetudine magis, quã violentia regantur. *Diodor. Sicul. libro* 13.

MANSVETVDO *pervicacia potior.*

Facilius eſt gratificari indigentibus, quàm reſiſtendo potentiores offendere. *Plutar. in compar. Philopœm. & Flaminij.*

MARE.

Nihil tam capax fortuitorum quàm mare. *Tacit. Annal.l.14.*

MATHEMATICI *ſeu Aſtrologi iudiciarij.*

Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod Romæ & vetabitur ſemper & retinebitur. *Tacit. hiſt.l.1.*

MAXIMVS *omnium quis.*

Inter eos, quibus plæraque omnia ſunt æqualia, is demum excellere poteſt, qui reliquis virtute eſt ſuperior. *Plutar. in compar. Philop. & Flaminij.*

MEDIOCRITAS.

Vſque adeo magnum quid & honeſta res eſt mediocritas, vt quod malum euenit, magis eum qui paſſus eſt, quàm qui fecit, pudore ſuffundat. *Polybius hiſtor. libro octauo.*

Quædam immo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, inuictus aduerſus gratiam animus. *Tacitus Annal.l.15.*

Id ſemper egregium eſt, metiri quantum queas, neque ambitione præceps agit, tum in imperio, cuius adeo cupidi mortales ſint, vt id vel vltima ſenectus auidè petat. *Aurel. Vict.l.de Ceſ.*

Præclarè ſapientérque dixerunt priſci illi homines, Nihil vltra modum: & præclara res eſt mediocritas. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag.* 108.

Nihil eſt præſtabilius mediocri vitæ genere, quod qui poteſt aſſequi & tueri, is omnium certè eſt felicissimus. *P. Comınæus, hiſtor. libro decimo.*

MEMORIA.

Nullum ad retinenda bona certius quàm memoria eſt ærarium. Immemoribus enim & ſtupidis ea cum tempore effluũt: itaque nihil ſeruantes, in perpetuum vacui bonorum, ſpe pleni, futura, præſentibus dimiſſis ſpectant. *Plutarch. in Mario.*

Qui bono ingenio ſunt præditi facilè reminiſcuntur: qui autem non niſi cum magno labore diſ-

cunt, ij memoriter quæ apprehenderunt retinent, eo quod ſingula quæ didicerunt; quaſi inuruntur eorum animis. *Idem, in Catone Vticenſi.*

MEMORIA *rerum.*

Ita præcipuè arbitramur res memoria facilè retineri, quando per ſua veluti capita diſpoſitæ finē principio adnexum habent. *Diod. Sic. hiſt. l.* 17.

MENDACES.

Illud deceptionis perſpicuum ſit argumentum, quod qui falſa perſuaderi velit, maiori quodam verborum ornatu & varietate indiget, vnde delinimentis vtatur, & quibus deſipientes pelliciat. *Agat. hiſt. l* 3.

MENDACIVM.

Turpiſſimum apud Perſas ducitur, mentiri: ſecundo loco æs alienum debere, cùm ob alias multas cauſas, tum quòd neceſſum ſit eundem qui debet, mendacio quoque eſſe obnoxium. *Herodot. l.* 1.

In mendacio deprehendi impedimenro eſt hominibus maximè ad veniam conſequendam. *Xen. de pædia Cyri, l.* 3.

Speciosa verbis; re inania, aut ſubdola, quanto maiore libertatis (*veritatis*) imagine teguntur, tanto erumpunt ad infenſius ſeruitium. *Tacit. Ann. l.* 1.

Veritas viſu & mora, falſa feſtinatione & incertis valeſcunt. *Idem, Annal. l.* 2.

In magnis mendaciis, interfuiſſe ſe quidam & vidiſſe affirmant quæ nunquam viderunt vel tractarunt. *Idem, hiſt. l.* 1.

MENSA.

Ambitioſam menſam fortuna, parcam virtus adponit. *Ammon. Marcell. libr.* 16.

MENS *bona.*

Non præfectis ſolùm, ſiue alias præpotentibus, neceſſe eſt vt bona mens innaſcatur, & planè inſideat: ſed cuiuis hominum, qui eius vitæ conditionis, in qua ſit conſtitutus, curſum vt teneat, decorémque cupiat aſſequi, & pro viribus exequi quid omnibus conferat. *Agath. hiſt. l.* 4.

MENTIS *hum. cæcitas.*

Denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam latè patentes errores cçeas precationes tuas ſpargis! Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores cōcupiſcis, qui complures peſſunderunt: regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur: ſplendidis coniugiis iniicis manus, at hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnūquam funditus domos euertunt. Define igitur, ſtulta, futuris malorum tuorum cauſis, quaſi feliciſſimis rebus inhiare, téque totum Numinis arbitrio permitte. Quia qui tribuere bona ex facili ſolet, etiam eligere aptiſſima poteſt. *Val. Max. lib.* 7. *cap.* 2.

MENTIS *humanæ præſtantia.*

Quo propior illi immortalitati cæleſti quiſpiam fit, eo perſpicacius prouidet, quàm ſuperſtites in hac adhuc mortalitate. Diuinior eſt hominis animus, quàm vt illi ſordere non debeant quæ attoniti admirantur mortales. Mens noſtra cæli æternitatiſque capax eſt. *P. Æmyl. l.* 3.

MERCATVRA.

Mercatura olim glorioſa erat, cuius opera cum barbaris conſuetudo, amicitiæ cum regibus coniunge-

iungerentur, peritia multarum rerum pararetur: ac nonnulli mercatores ciuitatum magnarum conditores extiterũt, vt Maſſalias Maſſiliæ author, à Gallis apud Rhodanum habitantibus in honore habitus. Thaletem quoque & mathematicum Hippocratem mercaturam exercuiſſe aiunt, & Platoni pro viatico fuiſſe olei in Ægypto venditionem. Mercatura autem cùm multa & grauia ſubeat pericula, delectationes viciſſim quaſdã & voluptates requirit. *Plutar. in Solone.*

Mercatura priuatis hominibus eſt attributa, vt ea tolerandæ vitæ occaſionem habeant. *Zonar. in Theoph.*

MERCES.

Quiſque ſuam mercedem ignauiæ, fortitudinis, ſanctitatis laturus eſt, decus ignominiámve liberis relicturus. *P. Æmyl. hiſtor. lib. 14.*

MERETRICES.

Veteres ſatis pœnarum aduerſum impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant. *Tacitus, Annal. lib. 2.*

MERITA.

Noua in Rempubl. merita, non vſitatis vocabulis ſunt honoranda. *Tacit. Ann. l. 11.*

METVS.

Quos metuunt homines admodum, eos ne benignè quidem alloquentes audent intueri.

Metus hominibus maiori eſt ſupplicio, quàm ſi reipſa lædantur. Vehemẽte metu homines ſeruilẽ in modũ magis demiſſi reddũtur. Scis eos qui metuunt ne in exſilium è patria pellantur, & qui pugnaturi metuunt ne ſuccumbant, in mœrore degere. Itidem qui inter nauigandum metuunt, ne naufragium faciant, & qui ſeruitutẽ ac vincula timẽt, ne cibo quidẽ ac ſomno per metũ frui poſſunt. At qui iã ſunt exſules, quiq; iã victi sũt, ac ſeruitutem qui ſeruiunt, nonnunquam poſſunt etiam magis, quàm fortunati homines, cibo, potu, ſomno vti. Præterea manifeſtius eſt, etiam in his, quale onus ſit metus. Nam nonnulli dum metuunt ne capti moriantur, ob metum præmoriuntur, partim in præcipitium acti, partim ſtrangulati, partim ſibiipſis manus adferentes. Vſque adeo metus inter omnes res horribiles maximo terrore animos percellit. *Xen. de inſt. Cyri, l. 3.*

Nec te latêre hoc debet Gobria homines complures, quando confidant, inuicta quadam eſſe animi elatione: quum verò timeant, quo plures fuerint, eò maiore formidabilioréque metu detineri. Ex multis enim maliſque rumoribus is auctus eſt metus, ex multis etiam maliſque rebus, ex multis item atque ignauis exanimatiſque perſonis coactus eſt. Itaque & magnitudinem nõ facile eſt extinguere eum metum verbis, neque ad hoſtes ducendo animi alacritatem iniicere, neque ab ducendo ab hoſtibus animi elationem euertere: ſed quanto magis iubeas illos bono eſſe animo, tanto exiſtimabunt in maiore ſe eſſe diſcrimine. *Idem, ibid. libr. 5.*

Idem metus qui cogit fugerẽ fugientes moratur. *Cur. l. 3.*

Meticuloſi ad deteriora credenda proni. *li. 4.*

Nulla eſt metuentibus quies. *Iuſtin. hiſt. l. 2.*

Metu tenendi ſunt quos fides nõ

tenuit. *Liuius, Decad.* 1. *libro* 7.

Multos exercitus eoſque ingentes ob nullum alium formidabilem caſum magis quàm ob inanẽ metum iam funditus deletos ſcimus. *Dionyſ. Hal. l.* 3.

Omnes qui inter ſe diffident cõmunis periculi metus conciliare ſolet. *Idem, l.* 8.

Quæ hominibus præter expectationem ac quam maximè inopinatò accidunt, ea & animos horum deiiciunt, & rationem conturbãt: vt ad ferendam de eo quod agendum ſit ſententiam minimè omnium valeant. Neque enim conſiliis iuxta metum locus eſt: ſed vbi animum conſilia anteceperunt, ſtrenuè admodum timores ea exturbant: ſin anteueniantur ab his, ſuccumbunt. *Dion, l.* 42.

Quiſquis ſuis rebus metuit, ad aliena animum nõ adiicit: quòd is timor quem de propriis habet ab omni eum prorſus alienorum cura auertit. *Idem, l.* 38.

Qui in aliquo metu ſunt, promiſſis facilè demulcentur. *Appian. l. de bel. Hiſp.*

Metus tempore ratio omnis & conſilium deeſt: quibus rebus ſi quis ante animum ſuum præmunierit, metum omnem ſuperare egregiè poteſt: ſin minus facilè vinci. *Xiphil. Pomp.*

Melius eſt mortem ſemel oppetere, quàm in perpetuo metu verſari. *Zonar. Annal. tom.* 2. *in Cæſare.*

Proprius metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. *Tacit. Ann. l.* 3.

In publico metu conſilia prudentium & vulgi rumor iuxta audiuntur. *Idem, hiſt. l.* 3.

Metus in maius cuncta tollit. *Io. Iouin. Pontan. hiſt. l.* 1.

Metus mentes oculóſque hominum obtundit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 7.

Miſerrimum eſt angi metu mali quod nondum impendeat. *Arn. Ferron. l.* 7.

MIGRATIONES *gentium.*

Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis amor: vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis fecundius ſolum & incolas ipſos poſſiderent. Ceterum libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſeruitium & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet. *Tacitus, hiſtor. libro quarto.*

MILES.

Cæſar non minus in milite modeſtiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderabat. *Cæſar, l.* 7. *de bel. Gall.*

Miles non timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, ſatur, & habens aliquid in zonula. *Lamprid. in Al. Seuero.*

Labore miles probatur, nõ mollitudine. *Herodian. in Iuliano.*

Miles, vbique, licet membris vigentibus firmus, ſe ſolum vitámq; ſuam circũſpicit & defendit. *Amm. Marcel. l.* 14.

Nihil tam pulchrum támque poſteritatis memoriæ iuſta ratione mandandum, quàm vt miles ſtrenuè factis exultet. *l.* 17.

Miles ſub conſpectu bellicoſi ductoris, teſtíſque indiuidui gerendorum, modò adſit ſupernum numen, inuictus eſt. *l.* 16.

Plus

Plùs audire quàm loqui militē decet actibus coalitum glorioſis: nec alium ſpectatæ æquitatis ſentire rectorē, quā eū qui & laudari dignè potuerit & probari *libr.* 21.

Auiditas rapiendi inſidiatrix ſæpe militis fuit *l.*23.

Colloquia ægrè fert miles, & victoriam mauult quàm pacem. *Tacit.hiſt.l.*3.

Omnē prolatationē, imminēte præda, vt inimicam victoriæ ſuſpectat. *Idem, ibid.*

Bonus miles propriæ tantùm virtuti confidit, ignauus verò alterius. *Procop. de bell. Vandilico, libro ſecundo.*

Si duces ſe inuictos tēpore præbeant, inuictus etiam miles futurus eſt. *P.Æmyl.l.*4.

MILES *algens.*

Nec ſanitati, nec expeditioni idoneus miles eſt, qui algere compellitur. *Veget.l.*3.*c.*2.

MILES *armatus.*

Militi armato, nihil ſecum præter inſtrumenta belli portanti, nil inuium aut inexuperabile eſt. *Liu. Decad.*3.*l.*1.

MILES *exercitatus & indoctus.*

Quemadmodum miles bene exercitatus prælium cupit, ita formidat indoctus. *Vegetius, libr.* 2.*capit.*23.

MILES *fidelis & ſtrenuus.*

Miles qui ſumtus ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitat, magis diligit ſigna. Pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam. *Veget.l.*2.*c.*20.

MILES *ignauus.*

Quantum hebes eſt ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior. *Tacit.hiſtor.libro* 2.

MILES *malus.*

Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit. *Liu. Decad.*1.*l.*5.

MILES *morbo afflictus.*

Malè cum his agitur, quibus neceſſitas & belli incumbit, & morbi. *Veget.l.*3.*c.*2.

MILES *optimus.*

Ex agris ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Neſcio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Veget.l.*1.*c.*3.

MILES *otioſus.*

Aſſuetus expeditionibus miles otio laſciuit. *Tacit.in vita Agric.*

MILES *temerarius.*

Militi, qui periculi quàm moræ patientior eſt, ingrata ſunt quæ tuta, & ex temeritate venit illi ſpes. *Tacit.hiſt.l.*3.

MILITES.

Milites dum vidētur haberi neglectui, qui boni ſunt, longè minus redduntur alacres: at mali, multò ad contumeliam promptiores. *Xenoph de pæd.Cyri,l.*5.

Laudibus haud minus quàm præmio gaudent militum animi. *Liu. Decad.*1.*l.*2.

Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata eſt. *Curt.l.*6.

Ex magna victoria milites licētiam ſibi aſſumunt impunitatis & immoderatè peccandi, propter maximas res geſtas. *Hirtius de bell. Afric.*

Milites neque dicta imperatoris, neque præmia niſi ab impera-

tore accipere par eſt. *Tacit. Annal. libr. 6.*

Præda per luxum vſi & ſomno graues milites facilè circumueniuntur. *Idem, l. 12.*

Milites regi non poſſunt niſi in vetere diſciplina. *Vulc. Gallic. in Au. Caßio.*

Dicebat Alexander Seuerus milites ſe magis ſeruare velle quã ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet. *Lampr. in Al. Seuer.*

Milites pœna & timor in ſedibus corrigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores. *Veget. l. 3. c. 26.*

Ad animandos in præliis milites regis conſpectus multum valet. *B Facius, hiſt. l. 2.*

Pudor, auaritia, & gloria, militum animos longè acuunt. *Idem, libr. 4.*

MILITES *auari.*

Calamitatibus inſontium expletur militum auaritia. *Tacit. hiſt. libro 2.*

Genus hominum pecuniæ cupidius, fidúmque ac bonũ ſolo quæſtu. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

MILITES *audaces.*

Pugna in conſpectu parentum, coniugúmque ac liberorum, quæ magna etiam abſentibus, hortamenta animi, ſimul verecundia & miſericordia militum animos accendit. *Liuius, Decad. 1. libro ſeptimo.*

Longè profectò, longè maius periculum imminet, quàm vnius viri iniuſta ſit cædes, vbi milites conſueuerint ſuis ducibus imperare, ſúſque legum in manibus ſuis ponere. *Dion, l. 41.*

MILITES *in extera & procul diſſita regione bellum gerentes quid cogitare deceat.*

Annibal milites ſuos ex Africa in Italiã deductos, ſpectaculo quodam duorum captiuorum quos armatos in pugnam deſcendere & ferro de vita decernere, altero vel vtroque cadente, iuſſit, ad officiũ pręſtandum incitare viſus eſt. Quũ enim non minus morientis quàm victoris captiui & muneribus donati captiui fortunam laudarent, præcipuè autem interfectum in duello multis maximíſque miſeriis quibus alij captiui ſuperſtites premerentur liberatum eſſe agnoſcerent, ille confeſtim concionem ingreſſus: Idcirco ſe, inquit, captiuorum eiuſmodi ſpectaculum in præſentia præbuiſſe, vt alienæ ſortis exemplo admoniti, rebus ipſi ſuis melius cõſulerent: ſimile námque ipſis certamen, ſimilia tempora fortunam attuliſſe, præmia etiam ſimilia propoſita. Neceſſe enim vel vincere Carthaginenſes, vel mori, vel viuos in hoſtium poteſtatem venire. Si vincerent, non equum aut ſagum præmia habituros, ſed omnium mortalium beatiſſimos fore, quippe qui Romanorum felicitatem obtinerent. Si verò in pugna fortiter mortem oppeterent, omnium eos malorum expertes, optima ſpe vitam terminaturos. Quòd ſi victi, cupiditate diuturnioris vitæ, fugam arriperent, vel alio modo ſibi viuendum ſtatuerent, omne genus miſeriæ & calamitatis experturos. Neminem eſſe adeo rationis inopem, qui ſi longitudinem emenſi itineris, ſi numerum commiſſorum in itinere præliorum reuocet in memoriam,

tiam,

riam, tot præterea virorum anfractus, tot fluminum inſuperabiles meatus contempletur, ſperet ſe aliquo modo, ſi fugam arripiat, incolumem in patriam reuerti poſſe. Quamobrem oportere eos omni ſpe fugæ abſciſſa, quem animũ in alienæ ſortis exemplo paulò ante habuerant, eundem mox in ſuis rebus retinere. Nam quemadmodum illic & victoris & morientis fortunam laudabant, ſuperſtitum verò conditionem putabant miſerrimam: ita de ſe ipſis iudicari oportere cenſeant. Omnes igitur magno fortíque animo certamen debere ingredi, veluti præclariſſimã victoriam adepturos: aut, ſi id infeſta Carthaginenſium rebus fortuna neget, in acie fortiter morituros. Victis ſpem vllã ſalutis repoſitam haudquaquam eſſe putãdum. Si eo animo in prælium deſcenderint, proculdubio & victoriam & ſalutem conſecuturos: quippe neminem vnquam ea mente, vel ſpõte, vel impulſum neceſſitate pugnaſſe, quin victoriam ab hoſtibus reportarit. Id verò tum maximè facile factu fore, cùm hæc ipſa hoſtibus contraria eueniunt, vti tunc Romanis acciderat. Etenim quando fugientibus plurimis manifeſta ſalutis ſpes in fuga conſtituta eſt, vt qui domum in promptu habeãt ad quam fugiant, manifeſtum eſt tales, quando animis concidunt nihil audere fortiter & cõſtanter. *Polyb.l.3.*

MILITES *defectores.*

Mercenariis militibus aliquando ignoſci poteſt, ſi ab illis deficiant, à quibus ſtipendia acceperunt: illis verò qui pro ſeipſis & vxoribus ac liberis bella gerunt, haudquaquam ignoſci debet. Eſt enim perinde ac ſi quis à patre ſe in ratione pecuniaria per iniuriam circumuentum eſſe dicens, armata manu accedat, & illum occidat, à quo vitam accepit. *Polyb. hiſtor. libro 11.*

MILITES *diuites.*

Ex abundantia rerum milites ad voluptatem & luxuriam conuertuntur. *Plutar. in Catone maiore.*

MILITES *famis impatientiſſimi.*

Milites, externi præſertim, quia ex alieno penu largè prodigéque conuiuari ſolent, ſerò vel præſcripta demum victus ratione, futuram penuriam præcauere conſueuerunt: nec vllum à mercenariis, ac inter ſe moribus linguáque differentibus, erga duces in perferendis obſidionis & penuriæ incommodis ſperandum eſt obſequium. *P. Iouius, hiſt. l. 4.*

MILITES *eruditi.*

Nihil neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt republica, in qua abundant milites eruditi. Non enim veſtium nitor, vel auri, argenti, gemmarumque copiæ, hoſtes aut ad reuerentiam noſtrã, aut ad gratiam inclinant, ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum. Deinde in aliis rebus (ſicut ait Cato) ſi quid erratum eſt, poteſt poſt modum corrigi: præliorum delicta emendationem non recipiunt, cũ pœna ſtatim ſequatur errorẽ. Aut enim confeſtim pereunt, qui ignauè imperitéque pugnauerint: aut in fugam verſi, victoribus vltra pares eſſe non audent. *Veget. libro 1. capit. 13.*

O

MILITES *fortes & ignaui.*

In vrbium oppugnationibus diſcretus labor fortes ignauóſque milites diſtinguit, atque ipſa contentione decoris accenduntur. *Tacit. hiſt. l. 3.*

Conſiſtent fortiter alacréſque pugnabunt, qui ſalutem ſuam in aliena virtute vel ignauia poſitam eſſe conſpicient, quum diuerſis in locis, varia fortuna dimicari ad euentum ſummæ rei ſuſpenſis animis cogitabunt. *P. Iouius, hiſtor. libro 3.*

MILITES *ignaui.*

Militum, qui in prœliis ſigna ordinéſque deſtituiſſent, quíve prorſus arma pro patria capere recuſaſſent, ignauiam cæteri legum conditores mortis ſupplicio coercendā cenſuere: Charondæ verò placuit, huiuſmodi vires veſtib⁹ muliebribus indutos, medio in foro ſiſti, térque eodem ſingulis diebus ante omnium ora ſuggeſto, eodémque ornatu conſiſtere. Qua quidem lege ſimul clementiæ & humanitati ſatisfactum videtur, quod à cæteris legibus crudelibus exactū eſt: ſimul quo huiuſmodi animos hominum ab ea mollitia & fœminea timiditate liceret ſenſim reuocari in audaciā probri adiectione prudentiſſimè excogitatum haud auferendo, ſed expiando patriæ, & conciliando res, vt decet, prauas. Longè námque præſtat mortē oppetere, quàm tantam ignominiæ calamitatem diutius in media patria experiri: támque abiecto ludibrio ciuibus ſuis vulgóque vitam perpetuò obnoxiam trahere. Et hoc fieri conueniebat, vt eo morbo animi ſeu naturæ vitio, ſine mollitie conſuetudinis laborātes, in deteriorem mortis conditionē adducti, primū deſperatione quadam, & doloris inſania efferatis animis pauorem abiicerent: poſt laboribus & periculis aſſueſcendo, exuerent inſitam prorſus ignauiā: ac iam impigra ad ferrum & certamen manu, prompti patriæ diſcriminibus occurrere, alienæ mox, laudis æmuli, geſtis etiam gloriam quærere, acceptámque ignominiā virtutis atteſtatione diluere certarent. *Diodor. Sicul. Antiq. libro duodecimo.*

Plerunque fit vt ex dolore contumeliæ vel ignaui milites ad virtutem accendantur. *P. Iouius, hiſtor. lib. 4.*

MILITES *omnium inſolentiſſimi.*

Factum eſt magna cum æui noſtri militiæ labe, vt milites nullum inter amicos & hoſtes diſcrimen ponant: & ſic non minus populos prouinciáſque vaſtant ij, qui vt eas defendant quam qui vt offendant pecunias accipiunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 17.*

MILITES *qua ratione inuicti redduntur.*

Spiritus militum & animi ardores dux ipſe excitat atque alit, quādo honores & dona largiens oſtendit non ſe ſui luxus aut voluptatū cauſa bello diuitias parare: ſed eas opes tanquam communia virtutis præmia apud ſe recondi, ac tātùm diuitem ipſum in hoc eſſe, vt militibus pro meritis præmia dare poſſit. deinde, quando omnibus vltro periculis ſe obiicit, & nulli labori ſuccumbit. *Plutar. in Cæſare.*

MILITES *nudi.*

Fit vt non de pugna, ſed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponū-

tur

tur ad vulnera. Sed grauis pediti lorica videtur,& galea fortaſſe,rarò meditanti,rarò arma tractanti. Cæterùm quotidianus vſus non laborat, etiam ſi oneroſa geſtauerit. Aſt illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non poſſunt, detectis corporibus & vulnera ſuſtinere coguntur & mortes. Et(quod eſt grauius ac turpius) aut capi, aut certè fuga Rempublicam prodere. Sic dũ exercitium laborémque declinãt, cum maximo dedecore trucidantur vt pecudes. *Veget.lib.1.c.20.*

Inſtruendos omni arte pugnandi,ac protegendos quocunque genere armorum conſtat eſſe tyrones. Neceſſe eſt enim,vt dimicandi acriorem ſumat audaciam,qui munito capite vel pectore non timet vulnus. *Eod.l.& cap.*

MILITES *obedientes & ſtrenuos eſſe conuenit.*

Iis parendum eſſe qui cum im perio ſunt,generatim ad vniuerſos milites pertinet. Itidem fortiter aduerſus hoſtẽ ſe gerere,non huic conuenit,illi non:ſed cuiuis honeſtiſſimum eſt. *Xenoph.de inſtit.Cyri,l.2.*

Cogitate,*inquit Chryſantas*, quænam vrbs hoſtilis ab iis capi poſſit qui non ſunt dicto audientes? quæ verò amica vrbs conſeruari à non obediẽtibus poſſit? quínam exercitus hominum non morigerorum victoria potiatur? qui poſſint magis in prœliis homines vinci,quàm vbi ceperint ſeorſum ſinguli de ſalute ſua quærere conſilium? quídnam aliud rei præclaræ perfici poſſit ab iis qui ſuperioribus haud parent? quæ vrbes legitimæ adminiſtrantur? quę domus ſeruari queãt? quo pacto naues eò peruenerint, quò velint? Nos ipſi ea bona quæ nunc poſſidemus,qua alia re magis comparauimus,quàm magiſtratibus obediendo? Nam hac re factum eſt, vt celeriter & noctu & interdiu quò erat neceſſe perueniremus: & dum frequentes imperatorem ſequebamur, nemo noſtrũ impetum ſuſtinere poterat:eorum denique nihil ex ſemiſſe perfectũ reliquimus, quæ nobis erant imperata. Ergo ſi apparet maximo eſſe commodo ad comparandum bona,ei qui cum imperio ſit parere, certò ſciendum vobis eſt, etiam id ipſum maximo vſui eſſe ad conſeruandum ea,quæ conſeruari neceſſe ſit. Et antea quidem multi nobis imperabant, quum nullis nos imperaremus: nunc res omnium quotquot adeſtis, ſic comparatæ ſunt, vt imperetis pluribus alij, alij paucioribus. Quemadmodum ergo dignum exiſtimatis eſſe, vos ſubditis veſtris imperare: ſic & ipſi pareamus eis, quibus vt pareamus, officij ratio poſtulat. Tantum autem intereſſe inter nos & ſeruos oportet, quòd illi quidem inuiti ſuas heris operas præſtant: nos verò, ſi quidem liberi eſſe volumus, ſponte noſtra facere conuenit quod maximè pretium operæ videatur. Inuenietis etiam, vbi non ad vnius dominatum comparata ſit reſpublica, eam minimè ab hoſtibus ad ſubiectionem cogi, quæ magiſtratibus parere velit. *Idem,l.8.*

Ratio rerum & occaſionum velocitas non patitur, vt in bello omnes nuncij palam audiantur, omnia conſilia cunctis præſentibus tractentur. Tam neſcire quædam

milites, quàm ſcire oportet. Ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa per centuriones tribunóſque tantùm iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quærere ſingulis liceat, pereũte obſequio etiam imperium intercidit. *Tacit. hiſt. l.1.*

Parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur *Idem, ibid.*

Rex conſolatus milites, eos hortatus eſt, ne vnius turris inſcienter factæ & admotæ iactura demitterent animos: neque id virtuti hoſtium attribuerent, neque ignauiæ ſibi adſcriberent: Virtuti conſilium addendum, in exercitu neminem prope militem eſſe, quin dignus eſſet qui duceret exercitum: ſed, vt ratio militaris diſciplinæ poſtulat, ſuæ quiſque gentis ac ordinis ducibus magiſtriſque dicto audientes eſſe debere: milites proceribus, proceres ſummis ducibus parere. Duces, inquit, parentum pietatem animúmque gerant, concilium antequam res gerantur habeant, in commune conſulant, rationes belli adminiſtrandi conferant, ne in rebus agendis trepident. *P. Æmyl. l.6.*

MILITES *otioſi.*

Militare otium eſt ferè tumultuoſum. *Ammon. Marcell. libr. decimoquarto.*

MILITES *proprij & mercenarij.*

Vilius conſtat erudire armis ſuos, quàm alienos mercede conducere. *Vegetius libro primo, capite 28.*

MILITES *quales deligendi.*

Conſtat in omnibus locis & ignauos & ſtrenuos naſci. Sed tamen & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tantùm corporum, ſed etiam animorum plurimum valet. Omnes nationes quæ vicinæ ſunt Soli, nimio calore ſiccatas, amplius quidem ſapere, ſed minus ſanguinis habere dicunt: ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominus nõ habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui ſe exiguum ſanguinẽ habere nouerunt. Contrà, Septentrionales populi remoti à Solis ardoribus, inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi. Tyrones igitur de temperatioribus legendi ſunt plagis, quibus & copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortiſque contemptum, & non poſſit deeſſe prudentia, &c. *Veget. l.1. c.2.*

MILITES *ſtrenui.*

Sat calleo maxima in bellis momenta bellantium voluntatem ſortiri, iſtorúmque ad pugnandum animus propenſior eſt, quam multa ex officio geri conſueuiſſe. *Procop. de bel. Goth. l.1.*

MILITES *temerarij.*

Pudor & pręſentis ducis reuerẽtia haud ſunt diuturna pericula apud auidos periculorum & decoris ſecuros. *Tacit. hiſtor. l.3.*

MILITES *veterani.*

In repentinis caſibus ipſi etiam veterani milites ſæpenumero priſtinæ virtutis obliuiſcuntur. *P. Iouius, hiſt. l.17.*

MILITVM *corruptio.*

Degenerat labore ac virtute miles, aſſuetudine voluptatum, & contemptu ducis luxu diffluentis. *Tacit. hiſt. l.2.*

MILITVM *exercitia.*

Semper in otio debet fieri,quod neceſſario faciendum videtur in prælio.*Veget.l.2.c.22.*

MILITVM *fides.*

Longis ſpatiis diſcretos exercitus habere, ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidē, nec enim vitiis nec viribus miſcentur, *Tacit.hiſt.li 1.*

Fluxa eſt per diſcordias militū fides,& periculum ex ſingulis. *Idē, lib. 2.*

MILITVM *varia fortitudo.*

Quanto pugnantium multitudo pro Democratiis in bellicis certaminibus alacrior eſt, quam ſint hoſtiles tyrannorum ſubditi,tanto peregrini milites,qui à monarchis ſtipendia accipiunt, Democraticæ Reipublicæ ſtipendiarios ſuperāt & excellunt. Quemadmodum enim ſubditi alij pro libertate decertant, aliis ſeruitutis periculum imminet,ita ex ſtipendiariis militibus alij pro certa correctione, alij vt manifeſtum damnum propulſent,contendunt. Democratia verò,vbi libertatis hoſtes ſuſtulit,libertatem ſuam ſtipendiariis militibus non communicat. Tyrannis verò quo maiora aggreditur, eo pluribus ſtipendiariis opus habet. Quoniam enim pluribus iniuriam infert, plureſq; etiam ſortitur inſidiatores.Monarcharū igitur ſecuritas omnino in peregrinorum militum beneuolentia ac viribus conſiſtit.*Polyb.hiſt.l.11.*

MILITVM *ingenium.*

Apud quoſlibet commenta plurimum valent,dummodo irati audiant, plerunque temulenti, certè cōſiliorū propè ſemper expertes. *Fl.Vopiſc.in Tacito.*

MILITVM *libido refrenanda.*

Militum libidini obtemperare non debent duces qui militiæ ad ſummum laudis decus adſpirant, & à iuſta generoſi animi probitate famam quærunt, latrocinantiúmque militum immanitatem abominantur. *P.Iouius, hiſtor. libro duodecimo.*

MILITVM *officium.*

Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipuè pertinere iudicare, vt & pugnandi voluntas adſit,modeſtia item & erga duces obedientia.*Thucyd.l.5.*

MILITVM *priuilegium.*

Solutio debiti apud Ægyptios ex bonis debitoris ſolùm fiebat: corpus non poterat addici creditori.Putabat enim legiſlator,oportere bona tantùm ſubdita eſſe debitis: corpora, quorum opera bello& pace vterentur,ciuitatibus addicta eſſe.Non enim æquum videbatur milites qui pro patriæ ſalute pericula ſubirent, pro vſuris in carcerem duci,aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ ſalutem. *Diodor. Sicul. Antiq.libr. 2. cap.3.*

MILITVM *ſtrenuorum expetita merces.*

Recordatio rerum glorioſè geſtarum omni iucunditati viris fortibus eſt gratior. *Ammian. Marcell. libr.17.*

MILITIA.

Plerunque inopes ac vagi ſponte militiam ſumunt. *Tacit. Annal. libr. 4.*

MILITIA *antiqua Chriſtianorum, eorum reſpectu qui clade accepta fugiebant.*

Inſtitutum hoc à maiorib. conſtanter ad poſteros propagatum

ſeruatúmque fuit, non modo à Romanis & Theſſalis, ſed Illyriis etiam, & Triballis ac Bulgaris, propter eandem religionem, ſpolia tantùm auferenda: homines verò nec ad ſeruitutem rapiendos, nec extra aciem occidendos eſſe. *Nicephor. Greg. hiſt. l. 4.*

MILITIA *religioſa.*

Eſt nos Gallicæ gentis principum, religioſam aliquam militiam pro arbitrio ſtatuere, ad quã quos initiatos admittunt, iurare verbis conceptis cogunt, futuros ſe ſocios periculorum, neque vllo vnquam tempore arma aduerſum laturos, fidem amicitiámque perpetuam ſeruaturos: vbi etiam caſus tulerit, auxilio futuros, in bello præſentes, armatóſque in acie ſtaturos, aut pecunia adiuturos. Ad hæc ſtata ſacra, & dies quoſdam maximè ſolẽneis conſtituunt, quibus intereſſe cunctos fas ſit. Ij *Confratres* vocantur quos & viuos & mortuos, qui religionis eius militiæque autores ſunt, maximis proſequuntur honoribus. Inſigne autem iſtius militiæ aliud alij eſt. Ioãni Andegauenſi Luna erat Corniculata, quæ à Gallis *Creſcens* dicitur, eaque ex argento brachio ſubligata geſtabatur. Quo religionis ac militiæ genere honeſtatum Robertum Sanſouerinatem Ioannes cùm ſibi obligaſſet, Pius inde Pontif. Max. illũm haud multò poſt abſoluit, quod iudicaret eas non magis religiones, quàm coniurationes quaſdam eſſe peſſimo exemplo inſtitutas. *Io. Iouin. Pontan. hiſtor. libr. 1.*

MIRACVLA.

Religione longè latéque propagata, miracula deſinere neceſſe eſt, & Scripturas S. teneri, quibus quaſi manu ducti ea præſtemus quę Deo grata ſunt. *G. Pachymer. hiſtor. libro ſexto.*

MIRACVLA *falſa.*

Hæc Dei permiſſu & dæmonũ efficacitate fiunt, vt huiuſmodi rebus vera noſtra exploretur fides, firmáve ea ſit & fixa, dominóque adhærens, neque ab eo ſe auelli ſinens præſtigiis iſtis ac diabolicis prodigiis, quæ miniſterio ſeruorũ improbitatis eduntur. Quippe etiam Dei prætexentes nomen nõnulli, vaticinati ſunt: vt Balaamus, Saulus, Caiaphas. alij malos genios abegerunt: vt Iudas, & filij Sceuæ. Ita gratia diuina etiam per indignos aliquando operatur, vt aliis benefaciat. Nam Balaamus neque rectè viuebat, neque vera fide erat præditus: & tamen Dei gratia per eum egit, propter aliorum vtilitatem. fuit & Pharao malus, atq; huic tamen futura indicauit. Et impio Nebucadnezari ea præmonſtrata ſunt, quæ multis poſt ſeculis euentura eſſent. Vnde conſtat multos etiam veræ aduerſos religioni, ſub Chriſti nominis prǽſcriptione, alio artificio miracula edere ad decipiẽdos imperitos, quales fuere Simon Magus, Menander, & alij eorum ſimiles. At neque decipi miraculis conuenit, nedum nulla pollicitatione: ſed explorãda eſt veritas eorum quæ dicuntur. *Cedrenus, compend. hiſt. pag. 203.*

MISER.

Nedum verborum miſero tempore difficile. *Curt. l. 6.*

MISERATIO.

Fortuna hominibus calamitate afflictis vnum hoc ſolatium, nempe miſerationem, reliquit. *Plutar. in Æmyl.*

Æmyl. Paulo.

MISERI.

Parum fidei miſeris eſt. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

MISERIA.

Optimè miſerias ferunt qui abſcondunt. *Curt. l. 5.*

MISERIA *aliena quid nos doceat.*

Tutiſſimum, nec minima laude dignum videtur, alienis inſtrui pro tempore calamitatibus, externæque exemplo miſeriæ aſſueſcere virtuti, probiſque moribus, atque animum vacuum ira, clementia atque miſericordia imprimis comparatum habere: & quum aliquid cuiquam mortalium (veluti res humanę ſæpe ferre ſolent) aduerſi acciderit, non iam velut feris belluis eſſe duros, ſed generi ſuo male affecto miti affectu ignoſcere, & afflictis pro humanitate commiſereſcere mortalibus oportet. Innumeris námque fortunæ caſibus & inopinatis euentis, fortunas, corpus, vitam denique ipſam omnem quiſque obnoxiam trahimus: nil ætatis nobis, nil momenti terrore, periculo, inſidiiſve vacat. Hinc ciuiles ſeditiones terrent, illinc latrocinia, & prædationes infeſtant: aliunde ſemper aliud incumbit, bella, caſus, euenta, incurſus: ipſa demum rerum omnium mutabilitas, incompertis penitus homini cuncta modis momentíſque inſidiantur: in quibus cuitare incumbens aſſiduè, per occultas vias & incertos exitus, periculum difficillimum eſt admodum illi qui intra ſocietatem cœtúſque hominū degere perrexerit. *Diodor. Sicul. hiſtor. libr. 13.*

MISERIÆ.

Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miſeriæ. *Liu. Decad. 3. libr. 9.*

MISERICORDIA.

Qui multum in ſuorum miſericordia ponunt, ignorant quàm celeriter lacrimæ inareſcant. *Curt. libr. 5.*

Miſericordia non parum confert ad leuandas communes mortalium miſerias. *Dionyſ Hal. l. 2.*

Sunt optimi qui miſerati afflictos, benè ſibi ſperandum putant, ſi non inſolenter vtantur alieno infortunio. *Appian. l. de bel. Pun.*

Flagitiorum deformitas aufert miſericordiam. *Tacit. Annal. libro vndecimo.*

MISERICORDIA *Dei.*

Homo diuinæ miſericordiæ inexhauſto pelago fretus, ſuauiter omnem ætatem degit. *G. Pachymer. hiſt. l. 10.*

MISERICORDIA *in captiuos hoſtes exercenda.*

Syracuſanis poſt victorias de Athenienſibus terra maríque reportatas, & de captiuorum capitibus conſultantes Nicolaus Syracuſanis multa pro concione in mediū protulit, vt ciuium ſuorum animos flecteret ad miſericordiā. Inter alia, hęc, Videte ne quid inſolēs & inhumanum per elationem cōmiſeritis. Quęnam, obſecro, pietas, quod ſeueritatis exemplum, quod ſpecimen maieſtatis prudentiæve, aut modeſtiæ eſſe poteſt, proſtratum, atque ad pedes procumbentē hoſtem iugulare? Quæ deinde gloria ipſum eundem nudum vinculis conſtrictum vlciſci vlterius, & ſæuire odiis pergere? Nam qui deiectos à fortuna ferocius, neglecta

miſeratione inſectatur, quive ad uerſus calamitatibus & miſeriis obrutos iram & crudelitatem reti net, hic vtique ſuæ conditionis pri mum oblitus, imbecillitati huma næ vim afferre videtur. Nemo e nim vnquam poſt cælum conditum in hac vita tanta poteſtate, tā ta ſapientia præditus, inueniri po tuit, qui fortunæ naturam percipe re, vel illius volubilitatem ſiſtere valuerit: quæ quidem ſuopte inge nio calamitatibus & humanarum rerum, vti conſpicere licet, exagi tatione exagitationibúſque variis in dies graſſata, tranquillitati ſecū diſque euentibus inſidiatur: quos ipſamet nunquam rata fide, nun quam tutò, vel ſine fraude proſe qui videtur. Ac veluti ſui ipſius muneris clementiæve ſumma ſem per inuidia flagrans, ac pœnitentia beneficij à ſe collati, mox in diuer ſum adducta deſæuit, nec, infeſtiſ ſima, quicquam diu lætum incon cuſſúmque eſſe ſinit.

Indignum ſanè, atque atrox ni mium videtur, miſeros illos qui ad fidem noſtram & humanitatem, veluti ad aram quandam, confuge runt, ſpe noſtræ benignitatis & cle mentiæ, & por crudelitatem & ſæ uitiam fraudari. Nam qui contra nos ira odióque implacabili flagrā do perrexere, in pugna cæſi viribus veſtris, omnes interierunt: iſti verò ſeſe dedentes in veſtram poteſta tem, gladiis ſimul cum ira depo ſitis ſupplices pro hoſtibus veſtræ clementiæ facti ſunt. Qui autem in ipſa pugna hoſti arma corpúſ que dedunt, eos viribus diffiſos eam vltimam ſalutis ſpem tentare conſtat: quod ſi ſua ſpe deluſi, con trà rapiantur ad ſupplicia, cala mitatem quidem cogentus illi in ſperatam ſubire: verùm qui id coe gerint auerſo ſane immaníque in genio exiſtimabuntur. *Diodor. Sicul. libr. 13.*

MORA.

Mora iræ mitigatio eſt. *Thucyd. libr. 3.*

MODERATIO.

Præclarum eſt, ſi quicquam a liud, animo in ſecundis rebus mo derari poſſe. *Arrianus hiſtor. libro quinto.*

Continentia & moderatio in al tiſſima quaque fortuna eminentia bona. *Curt. l. 6.*

Maxima laus eſt, vt vnius viri, ita etiam totius ciuitatis ſecundis ſucceſſibus non corrumpi, ſed æ quo & moderato animo bona ſua ferre. *Dionyſ. Hal. l. 6.*

Rerumpubl. principes qui mo deratè ſe geſſerunt patrias ſuas ſer uarunt. *Idem, eod. l.*

Non vi ſed manſuetudine humi lioris fortunæ homines vincendi ſunt: neque indecora ſed neceſſa ria exiſtimanda eſt moderatio, præ ſertim verò ſi animo beneuolo v tamur erga ciues qui nobiſcum vi uunt *l. 7.*

Felicitatis & moderationis diui duum contubernium eſt. *Val. Max. l. 9. c. 5.*

His velle qui ad pœnitentiam & ſanam redire cupiunt mentem, ho ſtiliter inſultare, nec ſanctum e quidem duxerim, nec humanitatis officio dignum. *Procop. de bell. Goth. libr. 1.*

Vſque adeo difficile interdum eſt, eam moderationem, eáque præ cepta tenere & conſeruare, quæ aliis ipſe præſcripſeris. *F. Guicciar din. hiſt. l. 2.*

MODI-

Moderatio in diſputationibus ſeruanda.

Vbi ambitio, imperitiæ alumna, omni importunitate abuſa, modeſtiæ limites inuadit: ibi etiam eum ſequi exitum qui diſputationibus repugnet, non eſt mirandum. Neque enim rixoſi homines cogitant, non linguam temporibus, ſed tempora linguæ moderari, neque quenquam tuba Tyrrhena vocaliorem eſſe: tamen illam quoque vna cum aeris ictu cōſumere & amittere ſuam oblectationem, nec vllum relinquere ſui pōſt ſonitum fructum. Non autem eſſe amittendum prudentibus, vt ſubito motu ac temerario incitati, vltro ſibi periculum accerſant, inter omnes conſtare arbitror. Neque verò mihi quiſquam dicat, multos ſæpe repentino impetu elatos, & quæ in mentem venissent effatos victoriam obtinuiſſe. Primùm enim ea res quæ neque modum neque rationem in ſe vllam habet, modus & ratio æquitatis ducenda non eſt. Deinde, ſatis ſcitur, inconſideratum impetum non ſuapte natura parere victoriā: ſed aduerſariorum maiore ſtultitia occaſionem mirabiliter præbēte, malas quoque res bonarum locum occupare, duce audacia: ſicut viciſſim maior ſæpe aduerſariorū prudentia, eos etiam qui bene ſuis rebus conſuluiſſe videntur, ſuperat. Nam cùm res futuræ incertæ ſint, nihil obſtat quominus interdum etiam tale aliquid vſuueniat. Sed fortuitorum ſucceſſuum euentus, non apud omnes legis tenere locum debet, præſertim cùm de religione agitur. *Niceph. Greg. hiſt. libr. 10.*

Modestia.

Quum vident homines eum, cui maxima facultas eſt inſolenter agendi, modeſtè ſe gerere, nolunt alij, quibus minor eſt facultas, quidquam inſolentius agere. *Xenop. de inſt. Cyri, l. 8.*

Pudore, modeſtia ac iuſtitia omnis ciuilis ſocietas conſeruatur. *Dionyſ. Hal. l. 6.*

Modeſtiæ fama neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à diis æſtimatur. *Tacitus Annal. libro decimoquinto.*

Pudor & modeſtia rara in hominibus virtus, rebus præſertim turbatis, ac prope ignota militibus. *Aurel. Vict. l. de Cæſarib.*

Modeſtia ſanè decet omnes omnium hominum ordines, in primis verò principes viros, vt intelligāt, & meminerint in omni actione eſſe Deum à quo proficiſcuntur & emanant omnia. *Ph. Comineus, lib. primo.*

Modvs.

Quod modum excedit, vbique cauendum eſt ſapientibus: vel ſi id in laude fortè fit conceſſum, eatenus his tamen gloriandum, qui pro rebus olim egregiè geſtis forſitan efferuntur, quoad crudelitas ipſa & confidentia ex animo propulſare prudentiam nequeant, vel ſe ad inſolentiam prorſus euehere. Enim verò qui ad id prouecti dementiæ ſunt, vt nec moderati quippiam audire, nec pēſi queant, profectò vel ad Deum ipſum oppugnandum ſunt euaſuri. *Agath. hiſt. libro 5.*

MODVS, *optimus.*

Id vel maximum duco habẽdum etiam in ſacra ſapientia modum. *P.Æmyl.lib.5.*

MOESTA.

Mœſta, vbi ſemel prorupere, difficilius, reticentur. *Tacitus, Annal. lib.4.*

MOLLITIES.

Fieri non poteſt vt is qui regio luxui mollitieíque muliebri indulget, viro aliquid dignum vel conſulat vel agat. Eſt enim neceſſe omnino vt quibus vnuſquiſque vitæ rationibus vtitur, earũ ſimilis reddatur. *Dion, lib.50.*

Immodica mollities rebus gerendis nihilo aptior eſt quàm dementia. *Nicetas, Alexandr. Angel. lib.3.*

Neque verò mulier duntaxat res grauis eſt, & coniugalis amor plus nocet quàm iuuat: ſed vir etiam mollis & effœminatus res peſſima & moleſtiſſima eſt, cui qui parent, quid infortunij, quid extremi periculi non ſubibunt? *Idem, libr. de imperio Iſaaci Angel & Alexij Fl.*

MOLLITIES *nouiſſimi ſeculi.*

Nunc interpellari interdum voluptates, & impediri parumper libidines non ſuſtinetur. Quanquam inter illius temporis (nempe priorum ſeculorum) homines atque iſtius hoc intereſt, quod illi æquo animo hęc intoleranda tolerabant, quia in his nati vel enutriti erant, & meliora non nouerant: iſti autem perpetuò in vita ſua tranquillitatum & deliciarum ſereno aſſue facti, ad omne vel modicum obductæ ſolicitudinis nubilum commouentur. Atque vtinam ipſum depulſorem huius vel modicæ inquietudinis precarentur, cuius munere hanc ignoratam aliis temporibus iugitatem pacis habuerunt. *P.Oroſius, hiſt.lib.1.cap.21.*

MONARCHIA.

Monarchia (*inquit Darius*) eſt res omnium præſtantiſſima. *Herodot.lib.3.*

MONARCHIÆ *cupiditas.*

Omnes eo ipſo die quo euehuntur ad dignitatem, enituntur, non tantùm hoc agentes, vt pares ſint, ſed vt quiſque longè ſupra cæteros omnes emineat, & primus ſit. Nam cùm ex multitudine qui præſint deliguntur, facilius aliquis fert illum ordinem, non tanquam inter pares æmulos inferiorem ſe eſſe putans. *Thucyd.lib.8.*

MORES.

Mutationem morum, plerique pro rerum ſtatu conuertunt. *Dion, lib.41.*

Nec terra mutata mutauit genus aut mores. *Liuius, Decad.4.libro 7.*

MORVM *corruptio.*

Eò prolapſi mores ſunt, vti ſuo quàm Reipublicæ, magiſque potẽtiæ quàm gloriæ ſtudio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta: dum plerunque qui potior flagitio eſt, vbi armit ſuperauerit tyrannos amotos damno publico oppreſſos eſſe dicat. Quinetiam aliquanti pari libidine in cœleſtium numerum referuntur, ægrè ex ſequiis digni. quibus ni fides rerum geſtarum obſtitiſſet, quæ neque honeſtos præmiis memoriæ fruſtrari ſinit, neque improbis æternam illuſtrémque famam procedere, nequicquam haberetur

beretur virtus: cùm verum illud atque vnicum decus peſſimo cui que gratis tribueretur, demptum impie bonis. *Aurel. Vict.libr. de Caeſarib.*

MORVM *mutatio.*

Mihi vt veram virtutem rectáque ratione ſtabilitam nunquam videtur fortunæ vis in contrarium poſſe conuertere: ita conſilia aliàs recta bonáſque naturas indignè grauibus calamitatibus afflictas non abſurdum puto credere vna cum fortuna mutari. *Plutarch. in Sertorio.*

MORVM *efficacia.*

Natura neque amici neque inimici inter ſe homines exiſtunt, actiones enim cuiuſlibet aut morum ſimilitudine in concordiam & ſocietatē mortales coniungunt, aut moribus diſcrepantes in inimicitiam deducunt. *Procop. de bello Vandil.lib.2.*

MORES *hominum.*

Tam ciuitatiū quàm ſingulorum hominum mores ſunt: gentes quoque aliæ iracundiæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in venerem proniores aliæ ſunt. Atheniensium populum fama eſt celerem, & ſupra vires audaces eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negauerim & totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia, & Rhodiorum tumidiorem ſermonem eſſe, quod excellere inter finitimas ciuitates videantur. *Liuius, Decad.5.lib.5.*

MORES *praui.*

Rom. Cenſores Lepidum Æmilium augurem, quòd ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. At nunc ſi quis tanti habitet, vix ve ſenator agnoſcitur, adeo maturè à rectis in vitia, à vitiis in praua à prauis in præcipitia peruenitur. *Velleius Patercul.lib.2.*

MORES *principis.*

Ipſi ſe homines in reges, velut vnici exempli, mores formant. *Liu. Decad.1.lib.1.*

MORES *publici.*

Ea quæ ad felicitatem ciuitatis & virtutem omnium maximum ad ferrent momētum, ita demum per manere immobilia Lycurgus iudicabat, ſi moribus & educationi ciuium implantarentur: nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ neceſſitatis eſt validiſſimū vinculum: eam porro diſciplina (quæ legum conditoris vicem gerit) apud iuniores effici. *Plutarch. in Lycurgo.*

Nihil prodeſt foris eſſe ſtrenuū, ſi domi malè viuitur. Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis iniiciantur manus: niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus, ſedem ſtabilem non habebit. *Valer. Maxim. libr.2. cap.9.*

MORES *huius ſeculi.*

In omnium noſtrûm moribus, nō amplius habitant priſci animi, ſed à nonnullis grauitas ſuperbiæ, iuſtitia ſtultitiæ, fortitudo inſaniæ, prudentia fatuitatis nomine appellatur, contrà verò, quæ apud illos priſcos odioſa erant, hæc nunc extolluntur, & hominibus corruptis admiranda bona videntur, & ignaua ſcurrilitas, malignitas, & verſutia pro ſapientia habetur, & qui omnibus in rebus ſunt impudentes,

tenuit. *Liuius, Decad.1.libro 7.*

Multos exercitus eoſque ingentes ob nullum alium formidabilem caſum magis quàm ob inanẽ metum iam funditus deletos ſcimus. *Dionyſ. Hal.l.3.*

Omnes qui inter ſe diſſident cõmunis periculi metus conciliare ſolet. *Idem, l.8.*

Quæ hominibus præter expectationem ac quammaximẽ inopinatò accidunt, ea & animos horum deiiciunt, & rationem conturbãt: vt ad ferendam de eo quod agendum ſit ſententiam minimè omnium valeant. Neque enim conſiliis iuxta metum locus eſt: ſed vbi animum conſilia anteceperunt, ſtrenuè admodum timores ea exturbant: ſin anteueniantur ab his, ſuccumbunt. *Dion, l. 42.*

Quiſquis ſuis rebus metuit, ad aliena animum nõ adiicit: quòd is timor quem de propriis habet ab omni eum prorſus alienorum cura auertit. *Idem, l.38.*

Qui in aliquo metu ſunt, promiſſis facilè demulcentur. *Appian. l. de bel. Hiſp.*

Metus tempore ratio omnis & conſilium deeſt: quibus rebus ſi quis ante animum ſuum præmunierit, metum omnem ſuperare egregiè poteſt: ſin minus facilè vinci. *Xiphil. Pomp.*

Melius eſt mortem ſemel oppetere, quàm in perpetuo metu verſari. *Zonar. Annal. tom. 2. in Cæſare.*

Proprius metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. *Tacit. Ann. l.3.*

In publico metu conſilia prudentium & vulgi rumor iuxta audiuntur. *Idem, hiſt. l.3.*

Metus in maius cuncta tollit. *Io. Iouin. Pontan. hiſt. l.1.*

Metus mentes oculóſque hominum obtundit. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 7.*

Miſerrimum eſt angi metu mali quod nondum impendeat. *Arn. Ferron. l.7.*

MIGRATIONIS *gentium.*

Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ ſedis amor: vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis fecundius ſolum & incolas ipſos poſſiderent. Cęterum libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſeruitium & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet. *Tacitus, hiſtor. libro quarto.*

MILES.

Cæſar non minus in milite modeſtiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderabat. *Cæſar, l.7. de bel. Gall.*

Miles non timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, ſatur, & habens aliquid in zonula. *Lamprid. in Al. Seuero.*

Labore miles probatur, nõ mollitudine. *Herodian. in Iuliano.*

Miles, vbique, licet membris vigentibus firmus, ſe ſolum vitámq; ſuam circũſpicit & defendit. *Amm. Marcel. l.14.*

Nihil tam pulchrum támque poſteritatis memoriæ iuſta ratione mandandum, quàm vt miles ſtrenuè factis exultet. *l.17.*

Miles ſub conſpectu bellicoſi ductoris, teſtíſque indiuidui gerendorum, modò adſit ſupernum numen, inuictus eſt. *l.16.*

Plus

Plùs audire quàm loqui militē decet actibus coalitum glorioſis: nec alium ſpectatæ æquitatis ſentire rectorē, quā eū qui & laudari dignè potuerit & probari. *Libr. 21.*

Auiditas rapiendi inſidiatrix ſæpe militis fuit. *l. 23.*

Colloquia ægrè fert miles, & victoriam mauult quàm pacem. *Tacit. hiſt. l. 3.*

Omnē prolatationē, imminēte præda, vt inimicam victoriæ ſuſpectat. *Idem, ibid.*

Bonus miles propriæ tantùm virtuti confidit, ignauus verò alterius. *Procop. de bell. Vandilico, libro ſecundo.*

Si duces ſe inuictos tēpore præbeant, inuictus etiam miles futurus eſt. *P. Æmyl. l. 4.*

MILES *algens.*

Nec ſanitati, nec expeditioni idoneus miles eſt, qui algere compellitur. *Veget. l. 3. c. 2.*

MILES *armatus.*

Militi armato, nihil ſecum præter inſtrumenta belli portanti, nil inuium aut inexuperabile eſt. *Liu. Decad. 3. l. 1.*

MILES *exercitatus & indoctus.*

Quemadmodum miles bene exercitatus prælium cupit, ita formidat indoctus. *Vegetius, libr. 2. capit. 23.*

MILES *fidelis & ſtrenuus.*

Miles qui ſumtus ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitat, magis diligit ſigna. Pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt poſitam eſſe ſubſtantiam. *Veget. l. 2. c. 20.*

MILES *ignauus.*

Quantum hebes eſt ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promptior. *Tacit. hiſtor. libro 2.*

MILES *malus.*

Fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit. *Liu. Decad. 1. l. 5.*

MILES *morbo afflictus.*

Malè cum his agitur, quibus neceſſitas & belli incumbit, & morbi. *Veget. l. 3. c. 2.*

MILES *optimus.*

Ex agris ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Neſcio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Veget. l. 1. c. 3.*

MILES *otioſus.*

Aſſuetus expeditionibus miles otio laſciuit. *Tacit. in vita Agric.*

MILES *temerarius.*

Militi, qui periculi quàm moræ patientior eſt, ingrata ſunt quæ tuta, & ex temeritate venit illi ſpes. *Tacit. hiſt. l. 3.*

MILITES.

Milites dum vidētur haberi neglectui, qui boni ſunt, longè minus redduntur alacres: at mali, multò ad contumeliam promptiores. *Xenoph. de pæd. Cyri, l. 5.*

Laudibus haud minus quàm præmio gaudent militum animi. *Liu. Decad. 1. l. 2.*

Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata eſt. *Curt. l. 6.*

Ex magna victoria milites licētiam ſibi aſſumunt impunitatis & immoderatè peccandi, propter maximas res geſtas. *Hirtius de bell. Afric.*

Milites neque dicta imperatoris, neque præmia niſi ab impera-

tore accipere par eſt. *Tacit. Annal. libr. 6.*

Præda per luxum vſi & ſomno graues milites facilè circumueniuntur. *Idem, l. 11.*

Milites regi non poſſunt niſi in vetere diſciplina. *Vulc. Gallic. in Au. Caſſio.*

Dicebat Alexander Seuerus milites ſe magis ſeruare velle quā ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet. *Lampr. in Al. Seuer.*

Milites pœna & timor in ſedibus corrigunt, in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores. *Veget. l. 3. c. 26.*

Ad animandos in præliis milites regis conſpectus multum valet. *B Facius, hiſt. l. 2.*

Pudor, auaritia, & gloria, militum animos longè acuunt. *Idem, libr. 4.*

MILITES *auari.*

Calamitatibus inſontium expletur militum auaritia. *Tacit. hiſt. libro 2.*

Genus hominum pecuniæ cupidius, fidúmque ac bonū ſolo quæſtu. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

MILITES *audaces.*

Pugna in conſpectu parentum, coniugúmque ac liberorum, quæ magna etiam abſentibus, hortamenta animi, ſimul verecundia & miſericordia militum animos accendit. *Liuius, Decad. 1. libro ſeptimo.*

Longè profectò, longè maius periculum imminet, quam vnius viri iniuſta ſit cædes, vbi milites conſueuerint ſuis ducibus imperare, ſuáſque legum in manibus ſuis ponere. *Dion, l. 41.*

MILITES *in extera & procul diſſita regione bellum gerentes quid cogitare deceat.*

Annibal milites ſuos ex Africa in Italiā deductos, ſpectaculo quodam duorum captiuorum quos armatos in pugnam deſcendere & ferro de vita decernere, altero vel vtroque cadente, iuſſit, ad officiū præſtandum incitare viſus eſt. Quū enim non minus morientis quàm victoris captiui & muneribus donati captiui fortunam laudarent, præcipuè autem interfectum in duello multis maximíſque miſeriis quibus alij captiui ſuperſtites premerentur liberatum eſſe agnoſcerent, ille confeſtim concionem ingreſſus: Idcirco ſe, inquit, captiuorum eiuſmodi ſpectaculum in præſentia præbuiſſe, vt alienæ fortis exemplo admoniti, rebus ipſi ſuis melius cōſulerent: ſimile námque ipſis certamen, ſimilia tempora fortunam attuliſſe, præmia etiam ſimilia propoſita. Neceſſe enim vel vincere Carthaginenſes, vel mori, vel viuos in hoſtium poteſtatem venire. Si vincerent, non equum aut ſagum præmia habituros, ſed omnium mortalium beatiſſimos fore, quippe qui Romanorum felicitatem obtinerent. Si verò in pugna fortiter mortem oppeterent, omnium eos malorum expertes, optima ſpe vitam terminaturos. Quòd ſi victi, cupiditate diuturnioris vitæ, fugam arriperent, vel alio modo ſibi viuendum ſtatuerent, omne genus miſeriæ & calamitatis experturos. Neminem eſſe adeo rationis inopem, qui ſi longitudinem emenſi itineris, ſi numerum commiſſorum in itinere præliorum reuocet in memoriam,

riam, tot prætereà virum anfractus, tot fluminum inſuperabiles meatus contempletur, ſperet ſe aliquo modo, ſi fugam arripiat, incolumem in patriam reuerti poſſe. Quamobrem oportere eos omni ſpe fugæ abſciſſa, quem animũ in alienæ ſortis exemplo paulò ante habuerant, eundem mox in ſuis rebus retinere. Nam quemadmodum illic & victoris & morientis fortunam laudabant, ſuperſtitum verò conditionem putabant miſerrimam: ita de ſe ipſis iudicari oportere cenſeant. Omnes igitur magno fortíque animo certamen debere ingredi, veluti præclariſſimã victoriam adepturos: aut, ſi id infeſta Carthaginenſium rebus fortuna neget, in acie fortiter morituros. Victis ſpem vllã ſalutis repoſitam haudquaquam eſſe putãdum. Si eo animo in prælium deſcenderint, proculdubio & victoriam & ſalutem conſecuturos: quippe neminem vnquam ea mente, vel ſpõte, vel impulſum neceſſitate pugnaſſe, quin victoriam ab hoſtibus reportarit. Id verò tum maximè facile factu fore, cùm hæc ipſa hoſtibus contraria eueniunt, vti tunc Romanis acciderat. Etenim quando fugientibus plurimis manifeſta ſalutis ſpes in fuga conſtituta eſt, vt qui domum in promptu habeãt ad quam fugiant, manifeſtum eſt tales, quando animis concidunt nihil audere fortiter & cõſtanter. *Polyb.l.3.*

MILITES *defectores.*

Mercenariis militibus aliquando ignoſci poteſt, ſi ab illis deficiant, à quibus ſtipendia acceperunt: illis verò qui pro ſeipſis & vxoribus ac liberis bella gerunt, haudquaquam ignoſci debet. Eſt enim perinde ac ſi quis à patre ſe in ratione pecuniaria per iniuriam circumuentum eſſe dicens, armata manu accedat, & illum occidat, à quo vitam accepit. *Polyb.hiſtor.libro 11.*

MILITES *diuites.*

Ex abundantia rerum milites ad voluptatem & luxuriam conuertuntur. *Plutar.in Catone maiore.*

MILITES *famis impatientiſſimi.*

Milites, externi præſertim, quia ex alieno penu largè prodigéque conuiuari ſolent, ſerò vel præſcripta demum victus ratione, futuram penuriam præcauere conſueuerunt: nec vllum à mercenariis, ac inter ſe moribus linguáque differentibus, erga duces in perferendis obſidionis & penuriæ incommodis ſperandum eſt obſequium. *P.Iouius, hiſt.l.4.*

MILITES *eruditi.*

Nihil neque firmius, neque felicius, neque laudabilius eſt republica, in qua abundant milites eruditi. Non enim veſtium nitor, vel auri, argenti, gemmarúmque copiæ, hoſtes aut ad reuerentiam noſtrã, aut ad gratiam inclinant, ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum. Deinde in aliis rebus (ſicut ait Cato) ſi quid erratum eſt, poteſt poſt modum corrigi: prœliorum delicta emendationem non recipiunt, cũ pœna ſtatim ſequatur errorẽ. Aut enim confeſtim pereunt, qui ignauè imperitéque pugnauerint: aut in fugam verſi, victoribus vltra pares eſſe non audent. *Veget. libro 1. capit.13.*

MILITES *fortes & ignaui.*

In vrbium oppugnationibus diſcretus labor fortes ignauóſque milites diſtinguit, atque ipſa contentione decoris accenduntur. *Tacit. hiſt. l. 3.*

Conſiſtent fortiter alacréſque pugnabunt, qui ſalutem ſuam in aliena virtute vel ignauia poſitam eſſe conſpicient, quum diuerſis in locis, varia fortuna dimicari ad euentum ſummæ rei ſuſpenſis animis cogitabunt. *P. Iouius, hiſtor. libro 3.*

MILITES *ignaui.*

Militum, qui in præliis ſigna ordinéſque deſtituiſſent, quíve prorſus arma pro patria capere recuſaſſent, ignauiam cæteri legum condi tores mortis ſupplicio coercendā cenſuere: Charondæ verò placuit, huiuſmodi vires veſtib⁹ muliebribus indutos, medio in foro ſiſti, térque eodem ſingulis diebus ante omnium ora ſuggeſto, eodémque ornatu conſiſtere. Qua quidem lege ſimul clementiæ & humanitati ſatisfactum videtur, quod à cæteris legibus crudelibus exactū eſt: ſimul quo huiuſmodi animos hominum ab ea mollitia & fœminea timiditate liceret ſenſim reuocari in audaciā probri adiectione prudentiſſimè excogitatum haud auferendo, ſed expiando patriæ, & conciliando res, vt decet, prauas. Longè námque præſtat mortē oppetere, quàm tantam ignominiæ calamitatem diutius in media patria experiri: támque abiecto ludibrio ciuibus ſuis vulgóque vitam perpetuò obnoxiam trahere. Et hoc fieri conueniebat, vt eo morbo animi ſeu naturæ vitio, ſine mollitie conſuetudinis laborátes, in deteriorem mortis conditionē adducti, primū deſperatione quadam, & doloris inſania efferatis animis pauorem abiicerent: poſt laboribus & periculis aſſueſcendo, exuerent inſitam prorſus ignauiā: ac iam impigra ad ferrum & certamen manu, prompti patriæ diſcriminibus occurrere, alienæ mox, laudis æmuli, geſtis etiam gloriam quærere, acceptámque ignominiā virtutis atteſtatione diluere certarent. *Diodor. Sicul. Antiq. libro duodecimo.*

Plerunque fit vt ex dolore contumeliæ vel ignaui milites ad virtutem accendantur. *P. Iouius, hiſtor. lib. 4.*

MILITES *omnium inſolentiſſimi.*

Factum eſt magna cum æui noſtri militiæ labe, vt milites nullum inter amicos & hoſtes diſcrimen ponant: & ſic non minus populos prouinciaſque vaſtant ij, qui vt eas defendant quam qui vt offendant pecunias accipiunt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 17.*

MILITES *qua ratione inuicti reddantur.*

Spiritus militum & animi ardores dux ipſe excitat atque alit, quādo honores & dona largiens oſtendit non ſe ſui luxus aut voluptatū cauſa bello diuitias parare: ſed eas opes tanquam communia virtutis præmia apud ſe recondi, ac tātùm diuitem ipſum in hoc eſſe, vt militibus pro meritis præmia dare poſſit. deinde, quando omnibus vltro periculis ſe obiicit, & nulli labori ſuccumbit. *Plutar. in Cæſare.*

MILITES *nudi.*

Fit vt non de pugna, ſed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponūtur

tur ad vulnera. Sed grauis pediti lorica videtur,& galea fortaſſe,rarò meditanti,rarò arma tractanti. Cæterùm quotidianus vſus non laborat, etiam ſi onerosa geſtauerit. Aſt illi qui laborem in portandis veteribus munimentis armorum ferre non poſſunt, detectis corporibus & vulnera ſuſtinere coguntur & mortes. Et(quod eſt grauius ac turpius) aut capi, aut certè fuga Rempublicam prodere. Sic dū exercitium laborémque declināt, cum maximo dedecore trucidantur vt pecudes. *Veget.lib.1.c.20.*

Inſtruendos omni arte pugnandi,ac protegendos quocunque genere armorum conſtat eſſe tyrones. Neceſſe eſt enim,vt dimicandi acriorem ſumat audaciam,qui munito capite vel pectore non timet vulnus. *Eod.l.& cap.*

MILITES *obedientes & ſtrenuos eſſe conuenit.*

Iis parendum eſſe qui cum imperio ſunt,generatim ad vniuerſos milites pertinet. Itidem fortiter aduerſus hoſtē ſe gerere,non huic conuenit,illi non:ſed cuiuis honeſtiſſimum eſt. *Xenoph.de inſtu.Cyri,l.2.*

Cogitate,*inquit Chryſantas*, quænam vrbs hoſtilis ab iis capi poſſit qui non ſunt dicto audientes? quæ verò amica vrbs conſeruari à non obedietibus poſſit? quínam exercitus hominum non morigerorum victoria potiatur? qui poſſint magis in præliis homines vinci,quàm vbi ceperint ſeorſum ſinguli de ſalute ſua quærere conſilium? quídnam aliud rei præclaræ perfici poſſit ab iis qui ſuperioribus haud parent? quæ vrbes legitimæ adminiſtrantur? quę domus ſeruari queāt? quo pacto naues eò peruenerint, quò velint? Nos ipſi ea bona quæ nunc poſſidemus,qua alia re magis comparauimus,quàm magiſtratibus obediendo? Nam hac re factum eſt, vt celeriter & noctu & interdiu quò erat neceſſe perueniremus: & dum frequentes imperatorem ſequebamur, nemo noſtrū impetum ſuſtinere poterat:eorum denique nihil ex ſemiſſe perfectū reliquimus, quæ nobis erant imperata. Ergo ſi apparet maximo eſſe commodo ad comparandum bona,ei qui cum imperio ſit parere, certò ſciendum vobis eſt, etiam id ipſum maximo vſui eſſe ad conſeruandum ea,quæ conſeruari neceſſe ſit. Et antea quidem multi nobis imperabant, quum nullis nos imperaremus: nunc res omnium quotquot adeſtis, ſic comparatæ ſunt, vt imperetis pluribus alij, alij paucioribus. Quemadmodum ergo dignum exiſtimatis eſſe, vos ſubditis veſtris imperare: ſic & ipſi pareamus eis, quibus vt pareamus, officij ratio poſtulat. Tantum autem intereſſe inter nos & ſeruos oportet, quòd illi quidem inuiti ſuas heris operas præſtant: nos verò, ſi quidem liberi eſſe volumus, ſponte noſtra facere conuenit quod maximè pretium operæ videatur. Inuenietis etiam, vbi non ad vnius dominatum comparata ſit reſpublica, eam minimè ab hoſtibus ad ſubiectionem cogi, quæ magiſtratibus parere velit. *Idem,l.8.*

Ratio rerum & occaſionum velocitas non patitur, vt in bello omnes nuncij palam audiantur, omnia conſilia cunctis præſentibus tractentur. Tam neſcire quædam

milites, quàm ſcire oportet. Ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa per centuriónes tribunóſque tantùm iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quærere ſingulis liceat, pereũte obſequio etiam imperium intercidit. *Tacit. hiſt. l.1.*

Parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur *Idem, ibid.*

Rex conſolatus milites, eos hortatus eſt, ne vnius turris inſcienter factæ & admotæ iactura demitterent animos: neque id virtuti hoſtium attribuerent, neque ignauiæ ſibi adſcriberent: Virtuti conſilium addendum, in exercitu neminem prope militem eſſe, quin dignus eſſet qui duceret exercitum: ſed, vt ratio militaris diſciplinæ poſtulat, ſuæ quiſque gentis ac ordinis ducibus magiſtriſque dicto audientes eſſe debere: milites proceribus, proceres ſummis ducibus parere. Duces, inquit, parentum pietatem animúmque gerant, concilium antequam res gerantur habeant, in commune conſulant, rationes belli adminiſtrandi conferant, ne in rebus agendis trepident. *P. Æmyl. l.6.*

MILITES *otioſi.*

Militare otium eſt ferè tumultuoſum. *Ammon. Marcell. libr. decimoquarto.*

MILITES *proprij & mercenarij.*

Vilius conſtat erudire armis ſuos, quàm alienos mercede conducere. *Vegetius libro primo, capite 28.*

MILITES *quales deligendi.*

Conſtat in omnibus locis & ignauos & ſtrenuos naſci. Sed tamen & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tantùm corporum, ſed etiam animorum plurimum valet. Omnes nationes quæ vicinæ ſunt Soli, nimio calore ſiccatas, amplius quidem ſapere, ſed minus ſanguinis habere dicunt: ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominus nõ habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui ſe exiguum ſanguinẽ habere nouerunt. Contrà, Septentrionales populi remoti à Solis ardoribus, inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi. Tyrones igitur de temperatioribus legendi ſunt plagis, quibus & copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortiſque contemptum, & non poſſit deeſſe prudentia, &c. *Veget. l.1. c.2.*

MILITES *ſtrenui.*

Sat calleo maxima in bellis momenta bellantium voluntatem ſortiri, iſtorúmque ad pugnandum animus propenſior eſt, quam multa ex officio geri conſueuiſſe. *Procop. de bel. Goth. l.1.*

MILITES *temerarij.*

Pudor & pręſentis ducis reuerẽtia haud ſunt diuturna pericula apud auidos periculorum & decoris ſecuros. *Tacit. hiſtor. l.3.*

MILITES *veterani.*

In repentinis caſibus ipſi etiam veterani milites ſæpenumero priſtinæ virtutis obliuiſcuntur. *P. Iouius, hiſt. l.17.*

MILITVM *corruptio.*

Degenerat labore ac virtute miles, aſſuetudine voluptatum, & contemptu ducis luxu diffluentis. *Tacit. hiſt. l.2.*

MILI-

MILITVM *exercitia.*

Semper in otio debet fieri,quod neceſſario faciendum videtur in prælio.*Veget.l.2.c.22.*

MILITVM *fides.*

Longis ſpatiis diſcretos exercitus habere, ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidẽ, nec enim vitiis nec viribus miſcentur, *Tacit.hiſt.li 1.*

Fluxa eſt per diſcordias militũ fides,& periculum ex ſingulis. *Idẽ, lib. 2.*

MILITVM *varia fortitudo.*

Quanto pugnantium multitudo pro Democratiis in bellicis certaminibus alacrior eſt, quam ſint hoſtiles tyrannorum ſubditi,tanto peregrini milites,qui à monarchis ſtipendia accipiunt, Democraticæ Reipublicæ ſtipendiarios ſuperãt & excellunt. Quemadmodum enim ſubditi alij pro libertate decertant, aliis ſeruitutis periculum imminet,ita ex ſtipendiariis militibus alij pro certa correctione, alij vt manifeſtum damnum propulſent,contendunt. Democratia verò,vbi libertatis hoſtes ſuſtulit,libertatem ſuam ſtipendiariis militibus non communicat. Tyrannis verò quo maiora aggreditur, eo pluribus ſtipendiariis opus habet. Quoniam enim pluribus iniuriam infert, plures etiam ſortitur inſidiatores.Monarcharũ igitur ſecuritas omnino in peregrinorum militum beneuolentia ac viribus conſiſtit.*Polyb.hiſt.l.11.*

MILITVM *ingenium.*

Apud quoſlibet commenta plurimum valent,dummodo irati audiant, plerunque temulenti, certè cõſiliorũ propè ſemper expertes. *Fl.Vopiſc.in Tacito.*

MILITVM *libido refrenanda.*

Militum libidini obtemperare non debent duces qui militiæ ad ſummum laudis decus adſpirant, & à iuſta generoſi animi probitate famam quærunt, latrocinantiúmque militum immanitatem abominantur. *P.Iouius, hiſtor. libro duodecimo.*

MILITVM *officium.*

Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipuè pertinere iudicare, vt & pugnandi voluntas adſit,modeſtia item & erga duces obedientia.*Thucyd.l.5.*

MILITVM *priuilegium.*

Solutio debiti apud Ægyptios ex bonis debitoris ſolùm fiebat: corpus non poterat addici creditori.Putabat enim legiſlator,oportere bona tantum ſubdita eſſe debitis: corpora, quorum opera bello& pace vterentur,ciuitatibus addicta eſſe.Non enim æquum videbatur milites,qui pro patriæ ſalute pericula ſubirent, pro vſuris in carcerem duci,aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ ſalutem. *Diodor. Sicul. Antiq.libr. 2. cap.3.*

MILITVM *ſtrenuorum expetita merces.*

Recordatio rerumglorioſè geſtarum omni iucunditati viris fortibus eſt gratior. *Ammian. Marcell. libr.17.*

MILITIA.

Plerunque inopes ac vagi ſponte militiam ſumunt. *Tacit. Annal. libr. 4.*

MILITIA *antiqua Chriſtianorum, eorum reſpectu qui clade accepta fugiebant.*

Inſtitutum hoc à maiorib. conſtanter ad poſteros propagatum

ſeruatúmque fuit, non modo à Romanis & Theſſalis, ſed Illyriis etiam, & Triballis ac Bulgaris, propter eandem religionem, ſpolia tantùm auferenda: homines verò nec ad ſeruitutem rapiendos, nec extra aciem occidendos eſſe. *Nicephor. Greg. hiſt. l. 4.*

Militia *religioſa.*

Eſt nos Gallicæ gentis principum, religioſam aliquam militiam pro arbitrio ſtatuere, ad quã quos initiatos admittunt, iurare verbis conceptis cogunt, futuros ſe ſocios periculorum, neque vllo vnquam tempore arma aduerſum laturos, fidem amicitiámque perpetuam ſeruaturos: vbi etiam caſus tulerit, auxilio futuros, in bello præſentes, armatóſque in acie ſtaturos, aut pecunia adiuturos. Ad hæc ſtata ſacra, & dies quoſdam maximè ſolẽneis conſtituunt, quibus intereſſe cunctos fas ſit. Ij *Confratres* vocantur quos & viuos & mortuos, qui religionis eius militiæque autores ſunt, maximis proſequuntur honoribus. Inſigne autem iſtius militiæ aliud alij eſt. Ioãni Andegauenſi Luna erat Corniculata, quæ à Gallis Creſcens dicitur, eaque ex argento brachio ſubligata geſtabatur. Quo religionis ac militiæ genere honeſtatum Robertum Sanſouerinatem Ioannes cùm ſibi obligaſſet, Pius inde Pontif. Max. illum haud multò poſt abſoluit, quod iudicaret eas non magis religiones, quàm coniurationes quaſdam eſſe peſſimo exemplo inſtitutas. *Io. Iouin. Pontan. hiſtor. libr. 1.*

Miracvla.

Religione longè latéque propagata, miracula deſinere neceſſe eſt, & Scripturas S. teneri, quibus quaſi manu ducti ea præſtemus quæ Deo grata ſunt. *G. Pachymer. hiſtor. libro ſexto.*

Miracvla *falſa.*

Hæc Dei permiſſu & dæmonũ efficacitate fiunt, vt huiuſmodi rebus vera noſtra exploretur fides, firmáve ea ſit & fixa, dominóque adhærens, neque ab eo ſe auelli ſinens præſtigiis iſtis ac diabolicis prodigiis, quæ miniſterio ſeruorũ improbitatis eduntur. Quippe etiam Dei prætexentes nomen nõnulli, vaticinati ſunt: vt Balaamus, Saulus, Caiaphas. alij malos genios abegerunt: vt Iudas, & filij Sceuæ. Ita gratia diuina etiam per indignos aliquando operatur, vt aliis benefaciat. Nam Balaamus neque rectè viuebat, neque vera fide erat præditus: & tamen Dei gratia per eum egit, propter aliorum vtilitatem. fuit & Pharao malus, atq; huic tamen futura indicauit. Et impio Nebucadnezari ea præmonſtrata ſunt, quæ multis poſt ſeculis euentura eſſent. Vnde conſtat multos etiam veræ aduerſos religioni, ſub Chriſti nominis præſcriptione, alio artificio miracula edere ad decipiẽdos imperitos, quales fuere Simon Magus, Menander, & alij eorum ſimiles. At neque decipi miraculis conuenit, nedum nulla pollicitatione: ſed explorãda eſt veritas eorum quæ dicuntur. *Cedrenus, compend. hiſt. pag. 205.*

Miser.

Nedum verborum miſero tempore difficile. *Curt. l. 6.*

Miseratio.

Fortuna hominibus calamitate afflictis vnum hoc ſolatium, nempe miſerationem, reliquit. *Plutar. in Æmyl.*

Æmyl. Paulo.

MISERI.

Parum fidei miſeris eſt. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

MISERIA.

Optimè miſerias ferunt qui abſcondunt. *Curt. l. 5.*

MISERIA *aliena quid nos doceat.*

Tutiſſimum, nec minima laude dignum videtur, alienis inſtrui pro tempore calamitatibus, externæque exemplo miſeriæ aſſueſcere virtuti, probiſque moribus, atque animum vacuum ira, clementia atque miſericordia imprimis comparatum habere: & cum aliquid cuiquam mortalium (veluti res humanę ſæpe ferre ſolent) aduerſi acciderit, non iam velut feris belluis eſſe duros, ſed generi ſuo male affecto miti affectu ignoſcere, & afflictis pro humanitate commiſereſcere mortalibus oportet. Innumeris námque fortunæ caſibus & inopinatis euentis, fortunas, corpus, vitam denique ipſam omnem quiſque obnoxiam trahimus: nil ætatis nobis, nil momenti terrore, periculo, inſidiiſve vacat. Hinc ciuiles ſeditiones terrent, illinc latrocinia, & prædationes infeſtant: aliunde ſemper aliud incumbit, bella, caſus, euenta, incurſus: ipſa demum rerum omnium mutabilitas, incompertis penitus homini cuncta modis momentíſque inſidiantur: in quibus euitare incumbens aſſiduè, per occultas vias & incertos exitus, periculum difficillimum eſt admodum illi qui intra ſocietatem cœtúſque hominũ degere perrexerit. *Diodor. Sicul. hiſtor. libr. 13.*

MISERIÆ.

Dant animum ad loquendum liberè vltimæ miſeriæ. *Liu. Decad. 3. libr. 9.*

MISERICORDIA.

Qui multum in ſuorum miſericordia ponunt, ignorant quàm celeriter lacrimæ inareſcant. *Curt. libr. 5.*

Miſericordia non parum confert ad leuandas communes mortalium miſerias. *Dionyſ. Hal. l. 2.*

Sunt optimi qui miſerati afflictos, benè ſibi ſperandum putant, ſi non inſolenter vtantur alieno infortunio. *Appian. l. de bel. Pun.*

Flagitiorum deformitas aufert miſericordiam. *Tacit. Annal. libro vndecimo.*

MISERICORDIA *Dei.*

Homo diuinæ miſericordiæ inexhauſto pelago fretus, ſuauiter omnem ætatem degit. *G. Pachymer. hiſt. l. 10.*

MISERICORDIA *in captiuos hoſtes exercenda.*

Syracuſanis poſt victorias de Athenienſibus terra maríque reportatas, & de captiuorum capitibus conſultantes Nicolaus Syracuſanis multa pro concione in mediũ protulit, vt ciuium ſuorum animos flecteret ad miſericordiã. Inter alia, hęc, Videte ne quid inſolẽs & inhumanum per elationem cõmiſeritis. Quęnam, obſecro, pietas, quod ſecuritatis exemplum, quod ſpecimen maieſtatis prudentiæve, aut modeſtiæ eſſe poteſt, proſtratum, atque ad pedes procumbentẽ hoſtem iugulare? Quæ deinde gloria ipſum eundem nudum vinculis conſtrictum vlciſci vlterius, & ſæuire odiis pergere? Nam qui deiectos à fortuna ferocius, neglecta

miſeratione inſectatur, quive ad uerſus calamitatibus & miſeriis obrutos iram & crudelitatem retinet, hic vtique ſuæ conditionis primum oblitus, imbecillitati humanæ vim afferre videtur. Nemo enim vnquam poſt cælum conditum in hac vita tanta poteſtate, tāta ſapientia præditus, inueniri potuit, qui fortunæ naturam percipere, vel illius volubilitatem ſiſtere valuerit: quæ quidem ſuopte ingenio calamitatibus & humanarum rerum, vti conſpicere licet, exagitatione exagitationibúſque variis in dies graſſata, tranquillitati ſecūdiſque euentibus inſidiatur: quos ipſamet nunquam rata fide, nunquam tutò, vel ſine fraude proſequi videtur. Ac veluti ſui ipſius muneris clementiæve ſumma ſem per inuidia flagrans, ac pœnitentia beneficij à ſe collati, mox in diuerſum adducta deſæuit, nec, infeſtiſſima, quicquam diu lætum inconcuſsúmque eſſe ſinit.

Indignum ſanè, atque atrox nimium videtur, miſeros illos qui ad fidem noſtram & humanitatem, veluti ad aram quandam, confugerunt, ſpe noſtræ benignitatis & clementiæ, & per crudelitatem & ſæuitiam fraudari. Nam qui contra nos ira odióque implacabili flagrādo perrexere, in pugna cęſi viribus veſtris, omnes interierunt: iſti verò ſeſe dedentes in veſtram poteſtatem, gladiis ſimul cum ira depoſitis ſupplices pro hoſtibus veſtræ clementiæ facti ſunt. Qui autem in ipſa pugna hoſti arma corpúſque dedunt, eos viribus diffiſos eam vltimam ſalutis ſpem tentare conſtat: quod ſi ſua ſpe deluſi, contrà rapiantur ad ſupplicia, calamitatem quidem cogentur illi inſperatam ſubire: verum qui id coegerint auerſo ſanè immaniq́ue ingenio exiſtimabuntur. *Diodor. Sicul. libr. 13.*

MORA.

Mora iræ mitigatio eſt. *Thucyd. libr. 3.*

MODERATIO.

Præclarum eſt, ſi quicquam aliud, animo in ſecundis rebus moderari poſſe. *Arrianus hiſtor. libro quinto.*

Continentia & moderatio inaltiſſima quaque fortuna eminentia bona. *Curt. l. 6.*

Maxima laus eſt, vt vnius viri, ita etiam totius ciuitatis ſecundis ſucceſſibus non corrumpi, ſed æquo & moderato animo bona ſua ferre. *Dionyſ. Hal. l. 6.*

Rerumpubl. principes qui moderatè ſe geſſerunt patrias ſuas ſeruarunt. *Idem, eod. l.*

Non vi ſed manſuetudine humilioris fortunæ homines vincendi ſunt: neque indecora ſed neceſſāria exiſtimanda eſt moderatio, præſertim verò ſi animo beneuolo vtamur erga ciues qui nobiſcum viuunt *l. 7.*

Felicitatis & moderationis diuiduum contubernium eſt. *Val. Maxim. l. 9. c. 5.*

His velle qui ad pœnitentiam & ſanam redire cupiunt mentem, hoſtiliter inſultare, nec ſanctum equidem duxerim, nec humanitatis officio dignum. *Procop. de bell. Goth. libr. 1.*

Vſque adeo difficile interdum eſt, eam moderationem, eáque præcepta tenere & conſeruare, quæ aliis ipſe præſcripſeris. *F. Guicciardin. hiſt. l. 2.*

MODE-

MODERATIO *in diſputationibus ſeruanda.*

Vbi ambitio, imperitiæ alumna, omni importunitate abuſa, modeſtiæ limites inuadit: ibi etiam eum ſequi exitum qui diſputationibus repugnet, non eſt mirandum. Neque enim rixoſi homines cogitant, non linguam temporibus, ſed tempora linguæ moderari, neque quenquam tuba Tyrrhena vocaliorem eſſe: tamen illam quoque vna cum aeris ictu cõſumere & amittere ſuam oblectationem, nec vllum relinquere ſui pôſt ſonitum fructum. Non autem eſſe amittendum prudentibus, vt ſubito motu ac temerario incitati, vltro ſibi periculum acceſſant, inter omnes conſtare arbitror. Neque verò mihi quiſquam dicat, multos ſæpe repentino impetu elatos, & quæ in mentem venißent effatos victoriam obtinuiſſe. Primùm enim ea res quæ neque modum neque rationem in ſe vllam habet, modus & ratio æquitatis ducenda non eſt. Deinde, ſatis ſcitur, inconſideratum impetum non ſuapte natura parere victoriã: ſed aduerſariorum maiore ſtultitia occaſionem mirabiliter præbẽte, malas quoque res bonarum locum occupare, duce audacia: ſicut viciſſim maior ſæpe aduerſariorũ prudentia, eos etiam qui bene ſuis rebus conſuluiſſe videntur, ſuperat. Nam cùm res futuræ incertæ ſint, nihil obſtat quominus interdum etiam tale aliquid vſuueniat. Sed fortuitorum ſucceſſuum euentus, non apud omnes legis tenere locum debet, præſertim cùm de religione agitur. *Niceph. Greg. hiſt. libr.* 10.

MODESTIA.

Quum vident homines eum, cui maxima facultas eſt inſolenter agendi, modeſtè ſe gerere, nolunt alij, quibus minor eſt facultas, quidquam inſolentius agere. *Xenop. de inſt. Cyri, l.* 8.

Pudore, modeſtia ac iuſtitia omnis ciuilis ſocietas conſeruatur. *Dionyſ. Hal. l.* 6.

Modeſtiæ fama neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à diis æſtimatur. *Tacitus Annal. libro decimoquinto.*

Pudor & modeſtia rara in hominibus virtus, rebus præſertim turbatis, ac prope ignota militibus. *Aurel. Vict. l. de Cæſarib.*

Modeſtia ſanè decet omnes omnium hominum ordines, in primis verò principes viros, vt intelligãt, & meminerint in omni actione eſſe Deum à quo proficiſcuntur & emanant omnia. *Ph. Commaeus, lib. primo.*

MODVS.

Quod modum excedit, vbique cauendum eſt ſapientibus: vel ſi id in laude fortè ſit conceſſum, eatenus his tamen gloriandum, qui pro rebus olim egregiè geſtis forſitan efferuntur, quoad crudelitas ipſa & confidentia ex animo propulſare prudentiam nequeant, vel ſe ad inſolentiam prorſus euehere. Enim verò qui ad id prouecti dementiæ ſunt, vt nec moderati quippiam audire, nec pẽſi queant, profectò vel ad Deum ipſum oppugnandum ſunt euaſuri. *Agath. hiſt. libro* 5.

beretur virtus: cùm verum illud atque vnicum decus peſſimo cui que gratis tribueretur, demptum impie bonis. *Aurel. Victl. libr. de Caeſ. rib.*

MORVM *mutatio.*

Mihi vt veram virtutem rectáque ratione ſtabilitam nunquam videtur fortunæ vis in contrarium poſſe conuertere: ita conſilia aliàs recta bonáſque naturas indignè grauibus calamitatibus afflictas non abſurdum puto credere vna cum fortuna mutari. *Plutarch. in Sertorio.*

MORVM *efficacia.*

Natura neque amici neque inimici inter ſe homines exiſtunt, actiones enim cuiuſlibet aut morum ſimilitudine in concordiam & ſocietatẽ mortales coniungunt, aut moribus diſcrepantes in inimicitiam deducunt. *Procop. de bello Vandal. lib. 2.*

MORES *hominum.*

Tam ciuitatiũ quàm ſingulorum hominum mores ſunt: gentes quoque aliæ iracundiæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in venerem proniores aliæ ſunt. Atheníenſium populum fama eſt celerem, & ſupra vires audaces eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cun ctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negauerim & totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia, & Rhodiorum tumidiorem ſermonem eſſe, quod excellere inter finitimas ciuitates videantur. *Liuius, Decad. 5. lib. 5.*

MORES *praui.*

Rom. Cenſores Lepidum Æmilium augurem, quòd ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. At nunc ſi quis tanti habitet, vix vt ſenator agnoſcitur, adeo maturè à rectis in vitia, à vitiis in praua à prauis in præcipitia peruenitur. *Velleius Patere. lib. 2.*

MORES *principis.*

Ipſi ſe homines in reges, velut vnici exempli, mores formant. *Liu. Decad. 1. lib. 1.*

MORES *publici.*

Ea quæ ad felicitatem ciuitatis & virtutem omnium maximum ad ferrent momẽtum, ita demum per manere immobilia Lycurgus iudicabat, ſi moribus & educationi ciuium implantarentur: nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ neceſſitatis eſt validiſſimũ vinculum: eam porro diſciplina (quæ legum conditoris vicem gerit) apud iuniores effici. *Plutarch. in Lycurgo.*

Nihil prodeſt foris eſſe ſtrenuũ, ſi domi malè viuitur. Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis iniiciantur manus: niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cælo cumulus, ſedem ſtabilem non habebit. *Valer. Maxim. libr. 2. cap. 9.*

MORES *huius ſeculi.*

In omnium noſtrûm moribus, nõ amplius habitant priſci animi, ſed à nonnullis grauitas ſuperbiæ, iuſtitia ſtultitiæ, fortitudo inſaniæ, prudentia fatuitatis nomine appellatur, contrà verò, quæ apud illos priſcos odioſa erant, hæc nunc extolluntur, & hominibus corruptis admiranda bona videntur, & ignaua ſcurrilitas, malignitas, & verſutia pro ſapientia habetur, & qui omnibus in rebus ſunt impudentes,

dociles ac tractabiles cenſentur: quæ vitia iam multas potentes ciuitates funditus euerterunt. *Dionyſ. Halic. lib.9.*

MORI *pro patria, honeſtum.*

Vt virtutem vitæ conſuetudo ſignificat, ſic confirmat exitus. Nam in his etiam qui antea obſcuri fuerunt, laudanda eſt fortitudo, cùm pro patria dimicantes mortui ſunt. Hac enim virtute priorem negligentiam tegentes plus profuerunt quàm & prius nocuerunt. Horum nemo aut volens frui diuitiis, aut ſperans ſe mutata paupertate diuitem fore, fugit hoc periculum, ſed magis voluerunt hoſtes profligare, & exiſtimantes hoc certamen honeſtiſſimum eſſe, conati ſunt depulſis hoſtibus poſtea ſuis rebus frui. Ita præſens periculum, quod oculis cernebant, elegerunt ſpe in certa victoriæ, & maluerunt præliando mori, quàm fugiendo vitam retinere. Malum igitur corpore ſuſtinentes, famam malam effugerunt, ac breuiſſimo tempore fortunam experti ſunt magis cum gloria quàm cum metu. *Thucyd. lib 2.*

MORS.

Mors omnibus mortalibus eſt fatalis, ignauis æquè ac fortibus: ſed præclara & glorioſa mors ſolis viris fortibus contingit. *Dionyſ. Halic. lib.6.*

Mors ſpontanea, non fuga actionum, ſed actio eſſe debet. Turpe verò eſt, nos nobis ipſis tantùm viuere ac mori. *Plutarch. in Cleomene.*

Mortem pro patria præclaram eſſe fateor. *Liuius, Decad.1. lib.9.*

Effugit mortem quiſquis contemſerit: Auidiſſimum quemque cõſequitur. *Curtius lib.6.*

Fortium virorum eſt magis mortem contemnere quàm odiſſe vitam. Vltimum omnium mors eſt, ad quam non pigrè ire ſatis eſt. *lib.5.*

Non ſolùm fortior, ſed etiam ſapientior mortis interdum quàm vitæ eſt cupiditas. *Valer. Maxim. lib.9. cap.13.*

Deeſſe nobis terra (*inquit Boiocalus*) in qua viuamus, in qua moriamur non poteſt. *Tacitus, Annal. lib.13.*

Mors omnibus ex natura æqualis eſt: obliuione apud poſteros vel gloria diſtinguitur. *Tacit. hiſt. lib.1.*

Honeſta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. *Tacitus, in vita Agric.*

Humanæ vitæ finis certè eſt aliquis neceſſarius. *Herodot. in Pertinace.*

Dij cœleſtes quibuſdam piiſſimis mortem tanquam præmium perſoluerunt.

Æquo iudicio iuxta timidus eſt & ignauus, qui quum non oportet mori deſiderat, & qui refugit quum ſit opportunum. *Amm. Marcell. lib.25.*

Quibus neceſſe eſt, vel in prælio cum gloria, vel à victoribus ad ſupplicium turpiter duci, magna profectò inſania non pro turpibus eligere meliora. *Procop. de bello Perſic. lib.1.*

Mors etſi acceleratius venerit, felices ſemper ex preterita ac proſperiore fortuna homines reddit, *Procop. de bello Goth. lib.1.*

Mortis formido non ſalutem, ſed

ſed exitium adfert. *Nicet. Manuel. Comn.lib.5.*

Nec experienti, nec formoſo, pareit natura: ſed omnes citra diſcrimen in periculum coniicit. *Conſtant. Manaſſ. Annal.pag.92.*

Mori neceſſe eſt, ſiue morbus ingruat, ſiue non. *G. Pachymer.hiſt. lib.1.*

Fratres fratribus in vita ſunt: morientibus, atque ex hac exiguitate in illam perpetuitatem æternitatémque vitæ migrantibus, quicquid in terris relinquitur vnum atque idem eſt. *P. Æmyl.lib.3.*

Millies mori præſtat clariſſimis viris, quàm à priſtina maiorúmque ſuorum gloria degenerare. *P. Æmyl.hiſt.lib.4.*

Nullus tardè eo properare poteſt, vnde nunquam eùm ſemel peruenit, reditus pateat.

Lege ea omnes nati ſumus, vt exuere ſemel neceſſe ſit mortale hoc corpus.

Omnibus horis in mortem ipſam ruimus, quantumuis ea differre videatur iter ad nos ſuum. *Ar. Ferron. lib.2.*

Ita natura comparàtum eſt, vt corpus fluxum, animum immortalem nacti, euocante Deo Opt Max. corpus humo, animam cœlo tandem aliquando reddamus. *Idem, lib.3.*

MORS *bonorum virorum.*

Hominis in Republica verſati mors quoque ipſa ad illius vtilitatem pertinere debet, neque ocioſè ea, ſed cùm virtutis aliqua actione obeunda eſt. *Plutarch. in Lycurgo.*

Haud verum eſt quod Æſopus dixit, felicium hominum mortem eſſe omnium grauiſſimam: ea verò omnium eſt beatiſſima, bonorum proſperos ſucceſſus tuto ſtatu collocans, fortunæque mutationi eos eximens. *Plutarch.in Pelopida.*

MORS *generoſa.*

Quum nihil atrocius euenire poſſit quam id in quod ſponte victi ruunt, & moriendum ſit victis ac deditis: id ſolùm refert nouiſſimũ ſpiritum per ludibrium & contumelias effundant, an per virtutem. *Tacit.hiſt.lib.3.*

MORS *hoſtium quo affectu audienda.*

Athenienſibus decorum fuiſſe ob mortem Philippi regis, qui tam clementem ſe eis victis præbuerat, coronas ferre, adde etiam ſacrificare nequaquàm affirmo: nam præterquam quòd hoc inuidioſum eſt, indignum etiam ingenuis hominibus erat, quem viuentem honoribus affeciſſent, ac ciuitate donaſſent, ob eius mortem immoderato exultare gaudio, defunctóque inſultare, & quaſi rem ipſi bene geſſiſſent, triumphum canere. *Plutarch. in Demoſthene.*

MORS *ineuitabilis.*

Semel nato non mori quãdoque, minimè conceſſum. *Procop. de bello Perſ.lib.1.*

MORS *principum.*

Vſitatum eſt, vt ab interitu ſummorum principum, magnę fiant rerum conuerſiones: dum alij creſcunt & locupletantur, alij verò detrimentum accipiunt, & in varias acerbitates incidunt. *Ph. Comin. in præfat.*

MORS *proximorum æquo animo ferenda.*

Vt non commouemur, cùm in-

quilinum poſt conſtitutum tempus domo locata migrare videmus: ita nec moueri æquum eſt, cùm diſcedere videmus homines ex hac vita, cùm commorandi certos Deus terminos circumſcripſerit & definierit *Arn. Ferr. lib. 2.*

Vide verò ne tua ipſius cauſa tot lachrymas profuſas ipſe etiã (*nempe proximus aut amicus*) indignetur, qui immortalitatem illi inuideas. Nam illius quidem gratiâ nihil eſt quòd te excrucies. Neque opinor laudâris mercatorem qui decoxerit, nec qui depoſitum inficiatus ſit: quid igitur depoſitam creditámque vitam à maximo negotiatore Deo ac amico precariò conceſſam cùm ille ſuo iure repetierit, reſtitutam doles? Quid eſt quod illius cauſa excruciet te tuus dolor inteſtinus? Nihil accidit illi incommodi. quid enim accidere incommodi ei potuit, cuius vita Deo grata fuit? niſi tu quidem ex mortalitate ad immortalitatem, ex terreſtri habitatione ad cæleſtem, ex turbulenta vita ad pacificam, ex tenebris ad lucem traductum grauiter ferre vidêris. *Idem, ibid.*

MORTALITAS.

Sine lamentatione, ſine planctu, veteres Maſſilienſes mortuos ſuos ſepeliebant. Etenim quid attinet, aut humano dolori indulgere, aut Numini inuidiã fieri, quòd immortalitatẽ ſuam nobiſcum partiri noluerit? *Valerius Maxim. lib. 2. cap. 6.*

MORTIS *contemptus.*

Lacedęmoniis virtutis opus fuit viuere libenter, & æquo animo mori. Nam neque fuga mortis in vitio eſt, ſi quis vitam non turpiter expetat, neque laudi datur mortem ſubſiſtere, quando id vitæ contemptu fit. *Plutarchus in Pelopida.*

MORTVI.

Cauſam peccati facillimè (*in bello*) mortuis delegatur. *Hirtius. lib. 8. de bello Gall.*

MORTVI *laudandi.*

Vetuſtas hunc morem iudicauit honeſtum eſſe, vt mortui laudarẽtur. *Thucy. lib. 2.*

Mortuorum laudi nemo inuidet. *Idem, ibid.*

MORTVI *carent inuidia.*

Viuentes inuidia exercet: mortuis autem beneuolentia ſine obtrectatione præſtatur. *Thucyd. libro 2.*

MVLIEBRIS *ſexus.*

Nõ eſt imbecillis tantùm & impar laboribus ſexus: ſed, ſi licentia adſit, ſæuus, ambitioſus poteſtatis auidus. *Tacit. annal. lib. 3.*

Muliebris natura minimè bello apta eſt. *G. Pachymer. hiſt. lib. 9.*

Muliebris ſexus, vt natura imbecillior ac timidior, ita ad credendum pronior eſt. *B. Facius, hiſt. lib. 2.*

Varia ſunt & mobilia mulierum ingenia. *Idem, lib. 4.*

Muliebris ſexus ad mouendos animos efficacior eſt. *Idem, libro 8.*

MVLIER.

Mulier exuta tunica: & verecundiam pariter exuit. *Herodot. lib. 1.*

Mulier nubendo ſe non proſperæ tantùm, ſed & omnis fortunæ cum marito init ſocietatem. *Iuſtin. hiſt. lib. 23.*

Maledictis mulieres pugnare ſolent,

ſent. Nicet. Manuel Comn. lib. 4.

MVLIERIS *iraſa ingenium.*

Nihil eſt concitatius muliebri animo, nihil æquè promptum ad probabiles calumnias ſtruendas, & ſua mala in inſontes conferenda. Cùm inuiſa eſt mulier, ſe odiſſe ait: cùm amat, amari: cùm furatur, ſe cõpilari quæritur: ac experi quidẽ ſe profitetur, ſed ea eſſe modeſtia vt amatorem execretur, & huiuſmodi rebus gloriari & ſuperbire non dubitat, nihil verita ne coarguatur. Sed cùm talia facilè exagitari poſſe, & iucunda petulantium hominum auribus eſſe nouit, tintinabulo ſonantiorem linguam ex erit, audacterque peierat, cœlúmque terræ miſcet. quòd ſi nobilitate & potentia eminet, quæ quouis modo cognitionis veritati obſtant, tum propitio Deo eſt opus, & magno mari ad eluendas contumelias & calumnias ei miſero, contra quẽ improba linguam ſuam exacuit. *Niceph. Gregoras. hiſt. lib. 7.*

MVLIER *vino dedita.*

Abſurdum & turpe eſt mulierem potandi ſtudioſam eſſe, & longè magis multipotam. *Ælian. var. hiſt. lib. 2. cap. 41.*

MVLIERES *malæ.*

Datæ frenos impotenti naturæ, & indomito animali: (*inquit M. Porcius Cato*) nec ſperate ipſas modum licentiæ facturas, niſi vos faciatis.

Omnium rerum libertatem, imò licentiam, ſi vera dicere volumus, deſiderant.

Extemplo ſimul pares eſſe cœperint, ſuperiores erunt. *Liuius, Decad. 4. lib. 4.*

MVLIERVM *ornatus.*

Ornentur mulieres (*dictum Catonis*,) non auro, non gemmis, non acupictis aut byſſinis veſtibus: ſed modeſtia, maritorum obſeruantia, liberorum amore, obedientia, moderatione, legibus ciuitatis, armis, noſtris, victoriis triumphis. *Zonar. Annal. tom 2.*

MVLTITVDO.

Omnis multitudo, & maximè militaris, mobili impetu fertur. *Curtius, lib. 9.*

Vide *Populus*, & *Vulgus*.

MVNERA.

Parua munera, diutina: locupletia, non propria eſſe conſueuerunt. *Æmyl. Prob. in Thraſybulo.*

MVNERA *licita & illicita.*

Viri boni aduerſus omnia amicorum munera bellum tale non ſuſcipiunt, quod componi nulla pace aut cõditione poſſit: ſed ea quæ ad reponendum & diuitias parandas ſpectant illiberalia iudicantes, non tamen ea repudiant, quæ liberalitati nullum lucrum admittenti, & ſplendori ſeruiunt. *Plutarch. in Ariſtide.*

MVNIMENTA.

Armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debent. *Liu. Decad. 1. lib. 9.*

MVNIMENTA *vrbium.*

In bellis externis profundæ altæque foſſæ non ſunt munimenta ſatis idonea ad certam ſecuræ ſalutis ſpem hominibus incluſis afferendam: ſed hoc tantùm polli-

centur, oppidanos repentina hoſtium incurſione obſeſſos cladem nullam accepturos: neque ſi inteſtini tumultus in Repub. exorti fuerint priuatæ ædes cuiquam refugium ſatis tutum præbent. Ad vitam enim tranquillè degendam, hæc ſubſidia & ſolatia ab hominibus inuenta ſunt, quæ neque inſidias quæ vicinis tenduntur ita arceant, vt illi miſeri non ſint, neque etiam faciant vt qui inſidiis appetuntur, quamuis in tuto ſint, tamē confidant. Nec vlla vnquam vrbs his ſolis ornamentis felicitatem & amplitudinem diuturnam ſibi quæſiuit. Neque contrà vlla vnquam ciuitas, quòd ſumptuoſis ædificiis priuatis publiciſque caruiſſet, prohibitum fuit quominus & ampla & fortunata euaderet. Sed aliud eſt quod vrbes ſeruat, & magnas ex paruis facit. In externis bellis ipſa armorum potentia, quæ audacia & exercitatione comparatur. At in ciuilibus perturbationibus ciuium concordia, *Dionyſ. Halic. lib. 2.*

MVNVS *publicum.*

Veriſſimum eſt illud & ſumma laude dignum, quod prouerbio dici ſolet, Magiſtratum, ſeu publicū munus, virum oſtendere. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. vlt.*

MVSICVS *& feſtiuiorum exercitiorum vſus.*

Muſicam neque quiſquam veterum Arcadūm poterat, imò neceſſario diſcebat: neque fateri neſcire auſus eſt, quia eiuſmodi inſcitia turpiſſimum quid apud eos putabatur. Præterea ſpectacula & ludos in theatris cum cantibus & choreis ſingulis quibuſque annis publicis ſumptibus adoleſcentes ciuibus præbebant. Quæ res ab eorum maioribus ſapienter inſtitutæ fuiſſe mihi videntur, non deliciarum aut laſciuiæ gratia: ſed cùm animaduerterent aſſiduos eius gentis labores in colendis agris, & duritiem atque aſperitatem vitæ, prætereà etiam morum auſteritatem, quæ ex frigiditate ac triſtitia aëris prouenit, cui nos ſimiles gigni neceſſariò oportet (non enim obſcurum eſt plagas cœli eſſe, quæ gentes moribus, & forma, & colore, & pleriſque diſciplinis inter ſe diſſimiles faciunt) volentes mitem atque tractabilem reddere naturam, quæ per ſe ferocior ac durior videbatur, primo ea omnia quæ ſupra memorauimus introduxerunt: deinde conuentus communes, & ſacrificia plurima in quibus viri ac mulieres congregarentur: poſtremò virginum ac puerorum choros. Quæ omnia ad eum finem fecere, vt id quod in animis hominū natura durius erat, conſuetudine placaretur, ac mitius fieret. *Polyb. lib. 4.*

MVTATIO.

Quæ paulatim fit mutatio, facit vt natura mutationes ferat: quod quidem Deus ipſe nos docet, qui paulatim ab hyeme nos ad perferendum ingentes æſtus abducit, & ab æſtu ad acrem hyemem: quem imitando peruenire ad id, quò neceſſe eſt, multo ante condocefacti debemus. *Xenophon. de inſtitut. Cyri, lib. 6.*

MVTATIO *caſtrorum.*

Nihil aliud ſubita mutatio caſtrorum quàm graue vulnus acceptum, timorem ſummum, deſperationem victoriæ, & denique turpiſſi-

piſſimam fugam propinquis hoſtibus ſignificat. *P. Iouius, hiſtor. libro 2.*

MVTATIONES *vitæ.*

Cùm omnis vitæ humanæ mutatatio periculoſa eſt, tum qui in præſenti ſtatu nihil quod deſideret habet, is vſitatam ſibi vitæ rationem nulla alia re quàm ſtultitia adductus mutat, atque à conſuetis aliò transfert, quibus ſi nihil aliud boni adeſt, at profectò firmitate ipſa ignotis præſtant. *Plutarch. in Numa.*

MVTATIONES *rerum.*

Mutationes rerum eos qui aliquando plurimum potuerunt, omni potentia exuunt. *Dion, lib. 37.*

Omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliáque hoſtilia portendunt. *Salluſt. de bello Iugurth.*

Ferenda ſunt regum ingenia, nec vſui crebras mutationes. *Tacit. Annal. libr. 12.*

M. Antonio & Pub. Dolabella conſulibus imperium Romanum iam ad Cæſares transferente fortuna varius & multiplex motus ciuitatis fuit, quódque in annua cœli conuerſione fieri ſolet, vt mota ſidera tonent, ac ſuos flexus tempeſtate ſignificent: ſic in Romanæ dominationis, id eſt humani generis conuerſione, penitus intremuit, omníque genere diſcriminum, ciuilibus, terreſtribus ac naualibus bellis, omne imperij corpus agitatum eſt. *L. Florus, libr. 4. cap. 3.*

Curarum aceruos & mutationes varias accidentium principes ipſi quoque vt homines, formidare debent. *Ammian. Marcell. lib. 20.*

Sæpe ex leui cauſa magnę mutationes & ingentes calamitates oriæ ſunt. *Nicetas, Manuel. Comnen. lib. 5.*

MVTATIONES *in bellis.*

In bello res in contrarium facilè vertuntur: ac quod nemo votis auſus eſſet expetere, ſibíve ſpondere, vltro ſe mortalibus nonnunquam offert. *P. Æmyl. lib. 4.*

N.

NATVRA.

Natura bonis vt plurimum quæ hominibus largitur, & mala immiſcet. *Diodor. Sicul. lib. 4. c. 4.*

Hæc lex naturæ apud omnes gentes recepta eſt, quam nullum tempus delebit, vt ſuperiores inferioribus imperent. *Dionyſ. Halic. lib. 1.*

Eſt ea natura præſtantior, in qua deteriora conſeneſcunt, meliora vigent atque adoleſcunt. *Plutarch. in compar. Cimonis & Luculli.*

Rerum natura potentiſſima eſt. *Liu. Decad. 4. lib. 7.*

Nulla lex aut timor plus poteſt, quàm ea quæ mortalibus à natura tributa ſunt. *Xiphilin. Cæſar. Auguſt.*

Ego corruptrici naturæ in multis non obſequor: ſed eius inſtitutis, vt puſillæ muliereulæ conſiliis in rebus grauioribus repudiatis, Deum ſequi malo. *Nicet. in Io. Comneno.*

Fortuna naturam plerunque corrumpit. *Curtius, lib. 3.*

Homines cùm ſe permiſere fortunæ etiam naturam dediſcunt. *Eod. lib.*

Natura mortalium hoc quoque

nomine praua & ſiniſtra dici poteſt, quod ſuo quiſque negotio hebetior eſt quàm in alieno. *libro quinto.*

Malè humanis ingeniis natura conſuluit, quòd plerunque non futura, ſed tranſacta perpendimus. *lib.8.*

NATVRA *hominum.*

Cùm perturbata eſt Reſpublica, natura hominum, victrix legum, oſtendit ſe libenter iniuſta facere contra leges, ſuperata magnitudine iræ, iure potentior, & excellentioribus inimica. Niſi enim talis eſſet natura hominum, non anteponerent vindictam ſanctitati & lucrum iuſtitiæ inuidentes alienæ potentiæ non lædenti. Sed volunt homines vindictæ cupiditate communes leges diſſoluere, & ſibi non relinquere legum præſidia, ſi quid ipſis aduerſi accidat, cùm in legibus ſalutis ſpes ſit. *Thucydid. libro 3.*

NATVRA *artem ſuperat.*

Difficile eſt attributam certis rebus naturã humana arte ſuperare. *Pauſan.lib.2.*

NATVRA *bona.*

Bona natura, ſi non rectè inſtituatur, inter bonos fructus multa etiam vitia profert, perinde atque bonus ager, ſi non accuratè colatur. *Plutarch.in Coriolano.*

NATVRA *in melius mutata.*

Inter vepres roſæ naſcuntur, & inter feras nonnullæ miteſcunt. *Amm.Marcelli lib.16.*

NATVRÆ *praua cupiditas.*

Fortuna nihil eſt ad naturam neque huius poteſt cupiditatem implere. *Plutarch.in Pompeio.*

NAVFRAGIVM.

Difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inſpexit. *Veget.lib.4.c.38.*

NAVTÆ.

Non imprudenter à quodam dictum eſt. Inſolentiam nauticam igne eſſe violẽtiorem. *Conſtant.Manaſſ.Annal.pag.109.*

NAVTICA.

Ars eſt res nautica, ſi quid aliud, nec dicitur obiter: ſed ita exercenda eſt, vt in eam ſolam cura intendatur, ne obiter alia ſimul agantur. *Thucyd.lib.1.*

NECESSITAS.

Audiui (*inquit Themiſtocles*) viros ad neceſſitatem redactos prælium inſtauraſſe, & ſuperiorem quàm accepiſſent calamitatem emendaſſe. *Herodot.lib.8.*

Vbi neceſſitas incumbit, non diu diſputandum eſt, ſed celerrimè & fortiter dimicandum. *Thucydid. lib.4.*

Hominibus quotidiani victus inopia laborantibus neceſſitas audaciam facilè præbere poteſt. *Dionyſ.Halic.lib.1.*

Neceſſitas eſt humanæ naturæ potentiæ. *lib.5.*

Vetus illud rectè admodum ſe habet, debere nos non ea petere vt fiant quæ volentibus nobis euenirent: ſed ea velle quæ ex neceſſitate quadam eueniunt. Neque vitam noſtro ipſorum arbitrio ducimus, neque in noſtra poteſtate ea ſita eſt, ſed, vt viſum fuerit fortunæ, ita viuendum eſt: & quale fatum noſtro vitæ curriculo deſtinatum, talem noſtram

quo-

quoque vitam eſſe neceſſum eſt. Atque hæc ita ſunt, ſiue nos velimus, ſiue nolimus. *Dion, libro 38.*

Efficacior eſt omni arte imminens neceſſitas. *Curtius,lib.4.*

Neceſſitas ante rationem eſt,maximè in bello.*lib.7.*

Efficacior eſt in aduerſis neceſſitas quàm ratio.*lib.8.*

Vltimum ac maximum telum neceſſitas.*Liuius,Decad 1.lib.4.*

Parendum eſt neceſſitati, quam ne dij quidem ſuperant. *Decad.1. lib.9.*

Neceſſitudo etiam timidos fortes facit. *Salluſt.de coniuration.Catil.*

Grauiſſimi ſunt morſus irritatæ neceſſitatis. *Salluſt. in Fragmen.*

Humanæ imbecillitatis efficaciſſimum duramentum eſt neceſſitas. *Valerius, Maxim. libro 2. cap.7.*

Neceſſitatis magnitudo excuſationis in ſe plurimum habet.*Proco. de bello Goth.lib.3.*

Neceſſitate nihil eſt violentius. *Nicetas in Bald.Flandro.*

Otio diſcordiæ nutriuntur: at vbi neceſſitas incubuit, poſtpoſitis priuatis cauſis & odiis,in commune conſulitur. *P.Oroſius,hiſtor. lib.2.cap.16.*

Magnā vim habet neceſſitas, ea ingentes ſtimulos addit. *P.Æmyl. lib.7.*

Neceſſitati parere ſemper eſt ſapientis habitum. *Arn. Ferron. lib.6.*

Eſt neceſſitas legibus excepta, quæ leges donec ciues in famis periculum ad eúmque rerum ſuarum ſtatum redigantur; vt nec ſe nec familias ſuas iam tueri poſſint, expectari nolunt. *Fr.Guicciardin, hiſt.lib.10.*

Concedendum eſt aliquid neceſſitati atque periculo,quod haud dubiè omnium ſalutem trahit. *P. Iouius,hiſt.lib.11.*

NEGLIGENTIA.

Ex re bene geſta ſuperbia negligentiáque oritur.*Liuius,Decad.1. lib.4.*

Multis ſæpe vrbibus negligentia exitio fuit. Sæpe contemptus hoſtis ingentem calamitatem attulit.*B.Facius,hiſt.lib.3.*

NEGOTIA.

Magna negotia magnis cum periculis ſuſcipi volunt. *Herodot. libro 7.*

Magna negotia magnis adiutoribus egent,neque in paruo paucitas miniſteria defecit. Intereſtque Reipub. quod vſu neceſſarium eſt & dignitate eminere, vtilitatémque auctoritate muniri. *Velleius Patercul.lib.2.*

NEQVITIA.

Inuenit etiam æmulos infelix nequitia,quid ſi floreat vigeátque? *Tacit.hiſt.lib.4.*

NEVTRALES.

Eſſe vtrique ſocium & neutrum velle iuuare, non reipſa æquale eſt,ſicut prætextu iuris videtur. Si enim proptereà quòd non iuuatis inferior euertitur, & victor fit ſuperior, qua re alia niſi veſtra abſentia ſociorum ſaluti defuiſtis? *Thucyd.lib.6.*

NOBILES.

Nobiles homines, facilius vulgarium quàm aliqua dignitate præſtantium libertatem tolerāt. *Dion, lib.59.*

NOBILES, *nomine tenus.*

Sic hodie nobiles complures inſtituuntur, quaſi ad ludum eſſent facti & iocum: in veſtitu & omni ſermone nihil moderatè faciunt, aut prudenter: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atque peritis non patet vllus ad eos aditus: de negotiis aut ſuis aut populi non cognoſcunt ipſi, verùm in familiares omnia reiiciunt, qui per hanc illorum ignauiam atque ſocordiam, ſuas facultates inſigniter amplificant, & hoc ferè ſolùm agunt. Si quis eſt aliquando, qui fortè, tanquam ex veterno expergefactus, animum rebus gerendis adiiciat, hoc ſerò admodum fit, amiſſis propemodum occaſionibus. Indubitatum enim eſt, eos, qui in vlla re vnquam excelluerunt, maturè puerilibus annis ad eam rē acceſſiſſe. *Ph.Comin.lib.1.*

NOBILIVM *decus.*

Vt humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitati fouēda magis quàm ſpernenda bonæ indolis nouitas eſt. *Valer.Maxim.lib.3.cap.8.*

NOBILIVM *& ignobilium diſcrimen.*

Vt iij qui eam dignitatem obtinent quam merentur, non magnopere poſtulant honores ſibi ab aliis exhiberi, neque ſi quid ab illis prætermiſſum aut peccatum fuerit, reprehendunt, ſibi enim conſcij ſunt ſe non contemni: ita qui ſubſidium ſibi comparant ad decus atque ornamentum, ſtudioſè quærunt omnia quæ ſpectant ad augendam dignitatem: quæ ſi nequeunt aſſequi, moleſtè ferunt, quaſi illudi videantur, iraſcunturq; quaſi ſint magnis iniuriis laceſſiti. Ex quo fit vt maior cura adhibeatur in fouendis eiuſmodi hominibus, quàm in ipſis imperatoribus ambiendis. Nam hi ſeruare ſe dignitatem ſuam putant & virtutem colere quum huiuſmodi peccatorum pœnas prætermittunt: illi dum ignoſcunt, exiſtimant argui ſuam imbecillitatem: dum autem puniunt, tum demum potentiam ſuam intelligi & confirmari putāt. *Xiphilin.Tiber.*

NOBILIVM *leuiſſima vitia obſeruantur.*

Vt grauius ferri, maioríque dedecori haberi videmus verrucas in facie, quàm næuos & luxata alia membra quæ teguntur: ita ob eam quam de nobiliſſimis hominibus reliqui concepere opinionem, quaſi de iis qui reliquos virtute vincere debuerant, minima quæque eorum vitia moroſius obſeruantur. *Ar.Ferron.lib.3.*

NOBILITAS.

Vt venator non id quod cane natum ſit, ſed canem requirit: & rei equeſtri deditus non quod equo prognatum ſit, ſed equum: ita & ciuilis boni arbiter procul à ſcopo aberrarit, ſi non quis ſit, ſed ex quibus ortus princeps, quęrat. Quādo ipſi etiam Spartani quoſdam reges abdicare coegerunt, vt indignos regno, & nullius precij homines. Quòd ſi vitia etiam in nobilibus genere inhoneſta ſunt: vtique etiam ſine nobilitate virtus laudem meretur. *Plutarch.in Syllæ & Lyſandri comparat.*

Humanam nobilitatem in nulla alia re quàm in ipſa virtute poſitam

ſitam cenſemus. *Dionyſ. Halic.libro 3.*

Nobilitati in pace durius ſeruitium eſt. *Tacit.ann.l.lib.11.*

Sæpe euenit vt & humili loco nati ad ſummam dignitatem conſurgant,& generoſiſſimarum imaginum fœtus in aliquod deuoluti dedecus acceptam à maioribus lucē in tenebras conuertant. *Valer.Max, lib.3.cap.4.*

Quod optimum eſt,id eſt nobiliſſimum. *Velleius Paterc.l.2.*

In cuiuſcunque animo virtus ineſt, ei plurimum eſt tribuendum. *Idem,ibid.*

Eos,quibus contentio eſt de maioribus, minorem etiam in pugna virtutem præ ſe ferre addecet. *Procop.de bello Vandil.lib.2.*

NOBILITAS.

Quò,obſecro, nobilitas ipſa,niſi morum benignitas adſit & humanitas?Siquidem fortunæ munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique gloriā conciliat, & claritas quidem generis diuitiæque,atque id genus reliqua, & ſi beatorum propria putantur,minimè in ipſis,vtpote ab aliis tradita,laudantur:lenitas autem ac benignitas, etſi ipſæ quoque admirationi ſunt,attamen habenti quoque laudem accumulāt. *Herodian. in Macrino.*

Patricia principum nobilitas ſępe numero in ſuperbiam vertitur,deſpectis omnibus velut multò inferioribus. At qui modeſtiæ experimento ad imperium adſciſcuntur, quaſi partum labore tuentur ſemper, verentúrque & colūt quos conſueuerant. *Idem,ibid.*

Magnorum principum virtutibus ſumma ſciendi nō eſt,vbi quiſque ſit genitus,ſed qualis in Republica fuerit. *Fl.Vopiſc.in Aurel.*

NOCVMENTA, *documenta.*

Triſtibus variarum mutationū in illuſtrium virorum conditione, quæ ex proſpera momento fit luctuoſiſſima, Deus arcanam doctrinam explicat,vt noſtris viribus agnitis,magnorum atque admirabilium ſucceſſiuum cauſas vni planè Deo acceptas referamus. *Nicephor. Gregoras,hiſt.lib.4.*

NOMEN.

Non exiſtimabant nomen inuidioſum & moleſtum imponendum magiſtratui,qui ciuitatis liberę adminiſtrationem haberet,tum ipſorum ſubditorum cauſa, ne odioſis appellationibus perturbarētur, tū etiam vt cauerent ne iis qui magiſtratus acciperēt, vel per imprudentiam ab aliis iniuria fieret, vel ipſi aliis facerent. *Dionyſ.Halic.libro 5.*

Nomen maximum in bello momentum *Curt.lib.5.*

Nomina inſignia oneroſa ſunt. *Lamprid.in Alex.Seuero.*

NOMEN *regium.*

Regium nomen (in bello præſertim quod aduerſus regem geritur) plurimum valet. *B.Tacitus,hiſt. lib.6.*

NOMINA.

Fuere quondam rerum nomina quàm optimè diſpertita mortalibus ex hiſce nominibus à fortitudine ſecernitur audacia, quorum alterum cuicunque acceſſerit, dedecus ac diſcrimen inducit, alterū virtutis opinionem. *Procop.de bello Goth.lib.1.*

Non me pręterit magnas turbas inter homines rerum nomina immutata concitare: veluti,ſi qui hu-

manitatẽ dicere improbitatem ve lint. Inde rectiora queque corrumpi ac perturbari contingit. Siniſtrũ quippe & planè improbum eſt, eos qui leges ad verum acrius circumſcribere profitentur, earum nominibus pro velamentis ad impietatẽ & nequitiam vti, vt peccare intrepidè, & prauitatem prę ſe tutius ferre queant. *Procop. de bello Goth. lib.3.*

NOMINA *rerum ac locorum.*

Quoniam ab ſapientibus traditum eſt viris nihil eodem ſtatu quo eſt ortum permanere, quid mirum, rerum ac locorum nomina cum ætatibus ſimul immutari? *Io. Iou. Pontan. hiſt. lib.1.*

NOVITATIS *ſtudium.*

Homines ſunt ſemper nouarum rerum appetentes, horúmque ita fert natura, vt demoliri potentiſſimum quenque, oppreſſum autem adiuuare ſtudent. *Dion, lib.45.*

NOX.

Nox omnia ex incerto maiora territis oſtentat. *Liuius, Decad. 1. lib.9.*

Nox ad quietem data eſt naturæ beneficio mortalibus. *Liuius, Decad. 4. lib.10.*

Peccatum, pudore aut metu tenetur, quibus rebus nox maximè aduerſaria eſt. *Cæſar, libr.2. de bello ciuili.*

Maiorem fiduciam Nox adferre videtur illis qui locorum notitia confidunt. *Hirtius, libr. de bello Alexandr.*

NVMEN.

Superni Numinis æquitas vtrobique vigilat. *Ammian. Marcell. lib.14.* Vide *Deus.*

NVMERVS.

Nimius numerus rei militari obeſt. *P. Æmy. lib.2.*

O.

OBEDIENTIA.

Qvos aliqui ſeipſis præſtantiores arbitrantur, iis nonnunquam, nulla etiam adacti neceſſitate, parere volunt. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib.3.*

Non turpe, ſed honeſtum atquę ſalutare eſt, parere & obtemperarę prudentibus. *Plutarch. in Ariſtide.*

Suis quiſque placidius parent, etiam cùm is præeſt, qui magis time ri poteſt. *Curtius lib.6.*

Quicquid imperio cogitur, exigenti magis quam præſtanti acceptum refertur. *Valer. Maxim. lib.2. cap.2.*

Futuro iam Domino non prorſus gratificari, dementię eſt. *Procop. de bello Goth. lib.1.*

OBEDIENTIÆ *ſubditorum cauſa.*

Homines dicto audientes eſſe nolunt iis, qui pręeſſe vt par eſt neſciunt: quippe obedientiam à principe diſcant oportet. qui enim bene ducit, efficit, vt rectè eum ij, quos ducit, ſequantur. At vt equeſtris artis opus eſt, reddere equum mãſuetum, & fræno parentem: ita regiæ ſcientiæ eſt obedientiam ſubditorum efficere. *Plutarch. in Lycurgo.*

OBLIVIO.

Remedium aduerſus calamitates eſt obliuio. *Appian. lib. de bellis Pun.*

OBSIDIO.

Tentare obſidionem quæ poſtea turpiter omittenda ſit, nihil eſt aliud

liud quàm victoriam, fortuitò obla tam, turpi aliqua dedecorare ia ctura. *Io. Iouian. Pontan. hiſtoriar. lib.*1.

Vnum ac maximum obſeſſis vrbibus remedium ac præſidium eſſe ſolet, ciues humaniſſimè alloqui, appellare ſingulos, ſua maiorúmque ſuorum publicè priuatímque benefacta memorare, de principe liberaliſſimè polliceri, auxilia propediem adfutura dicere: nec paſſurum fortem atque amicum principem deditiſſimum ſibi populum, bene meritum ducem, indefenſos deſertóſque hoſtis prædam ac ſpectaculum fore. *Io. Iuian. Pontan. hiſt. lib.*4.

OBSIDIO *quando & cur ſoluenda.*

Franciſcus I. Galliarum rex quum Papiam obſediſſet, & Cæſariani iter direxiſſent vt obſeſſos quoquo modo iuuarent, in regio concilio quid agẽdum eſſet diſputatum eſt. Præſtantiſſimi duces, vt rex obſidione relicta in locis munitis caſtra locaret ſuadebãt, hacque ratione ipſum citò ſine ſanguine & ſine periculo, propterea quod hoſtilis exercitus cùm pecunia careret, nõ diu ſimul coniunctus manere poſſet, ſed vel diſſolui, vel per oppida diſtribui cogeretur, victoria potiturum oſtendebant: & Germanos, Papiæ defenſores, qui timori ſuo ſtipendiorum cauſam prætexere dicerentur, multorum iam menſium creditores patienter id ferebant, ſtatim vbi obſidio eſſet ſoluta ſtipẽdia ſua petituros, quibus quum duces ſatisfacere non poſſent, neque vllam veriſimilem ſpem qua eos (& ſi vana) fouere poſſent haberent, grauem aliquem tumultum cõcitaturos: hoſtes nulla alia re, niſi prælij committendi ſpe coniunctos retineri, qui vbi bellum protrahi, & pugnę opportunitatem lõgius ſubmoueri videret, difficultatibus & confuſione replerentur. Afferebãt etiam, quàm periculoſum eſſet, inter vrbem in qua quinque peditum millia ex ferociſſima gente eſſent, & exercitum qui vt ei opem ferret veniebat, hominum numero & ducum ac militum virtute atque vſu potentem, atque ob victorias partas ferocem, quíque omnes ſpes ſuas in prælij fortuna collocaſſet, caſtra habere. Nullum dedecus eſſe retrocedere, cùm eius cauſa prudẽtia eſt, nõ autem metus: cùm ne res certæ in diſcrimen coniiciantur, cùm propinquus belli finis cunctis mortalibus conſilij maturitatem eſt oſtenſurus, & nullam victoriam vtiliorem, præclariorem, magíſve glorioſam eſſe, quàm ea quæ abſque militum ſuorum detrimẽto & ſanguine comparatur: præcipuam militaris diſciplinæ laudem magis in eo ſitam eſſe, vt ſeſe periculis, niſi neceſſitate cogente, non obiiciant, & vt aduerſariorum conatus induſtria, patientia, & artibus irritos reddant, quàm vt ferociter pugnent. *Fr. Guicciardin hiſt. lib.*15.

Fortiſſimi & reges & Imperatores aduentantibus hoſtibus ſoluerunt olim obſidionem, ne duplici hoſte oppreſſi ſuos perderent. *Arn. Ferron. lib.*7.

OBTRECTATIO.

Multò facilius eſt contra diſſerendo alienis obtrectare conſiliis, quàm veram in ſumma negotij difficultate ſalutis atque victoriæ rationem inuenire. *P. Iouius, hiſtor. lib.*3.

OCCASIO.

Aggreſſuros aliquid iuuat occaſio, quæ cùm ſe offert præter opinionem, etiam ſi vires alioqui minores ſunt, incitat vt periculum adeant, præcipuè ciuitates, &c. *Thucyd.l.3.*

Dominatur occaſio in cunctis rebus humanis, maximè verò in bellicis. *Polyb.hiſt.l.9.*

Quod opportunitas & occaſio magnam partem in quibuſlibet rebus maximè verò bellicis ad perficiendos conatus habeat, nemini obſcurum eſt. *Idem,l.10.*

Occaſionum in bello maximũ eſt in vtranque partem momentũ. *Plutar.in Coriolan.*

Armatus intentúſque ſis, neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam occaſionem hoſti des. *Liu. Decad. 3. libr.2.*

Rebus in aſperis & tenuibus fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt: quia ſi in occaſionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulùm fueris: nequicquam mox omiſſam queráris. *Idem, Decad.3.l.5.*

Plura negotia opportunitate occaſionum quàm viribus ſunt rectè confecta. *Dion,l.43.*

Opportuni ſunt magnis conatibus tranſitus rerum, nec cunctatione opus, vbi pernicioſior ſit quies quàm temeritas. *Tacit.hiſtor. lib. 1.*

Occaſio in bello amplius ſolet iuuare quàm virtus. *Veget.libr.3.capit.26.*

Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione aut nimia neceſſitate confligunt. *Ibid.*

Occaſio reliqua omnia intra ſe continet. *Procop. libro primo de bello Perſico.*

Præſtat præuenientem in tuto eſſe, quàm bene gerendæ rei occaſione amiſſa turpiter ab inimicis pati. *Idem,l.2.*

Rerum humanarum momenta in Occaſionis perceptione conſiſtunt. Nam ſi per ignauiam quis fortunam paratam neglexerit, ſi ſua culpa ab ea deſeratur, nequaquam illam ſed ſeipſum accuſet. *Idem, de bello Vandilico, libro ſecundo.*

Quibus ſpes dubia eſt, nec breuiſſimum quidem momentum excidiſſe conduxerit. temporis ſiquidem vbi occaſio ipſa rei bene gerendæ præteriit, inutile proculdubio fit quodcunque poſt hac impenditur ſtudij, vel ſi id quidem permaximum fuerit, rerum natura ſuperuacaneum nil admittente virtutem. Nam & prætereunte neceſſitate, vel ea quæ in poſterum fiunt, vana, inania, & importuna ſint, neceſſarium eſt. *Idem, de bello Goth.l.3.*

Occaſio anima actionum eſt. *G. Pachym.hiſt.l.3.*

In omni re bellica (quod vſus ipſe docuit) plurimum occaſio valet, quam optimus quiſque imperator ſummo ſtudio ac celeritate complecti debeat: quippe cuius ea natura ſit, vt ardua in planum facilè vertat. Sed in omni occaſione capienda, incœptíſque proſequendis duo potiſſimum ſeruanda ſunt: alterum quod factu opus eſt, maturè id vt fiat. Quid enim occaſione breuius aut fugacius eſt? Alterum vt ſuo quæque res geratur ordine: quando in re præſertim militari nihil ordine ipſo potius ac maius ſit. *Io. Iouian. Pontan. hiſt.l.1.*

Cùm

Cùm non ſemper hoſtium conditiones offenſionéſque ſint ducibus notæ, in bellis ſæpenumero pulcherrimæ occaſiones amittuntur. *F. Guicciardin. hiſt. l. 2.*

Nihil occaſione ocius elabitur. *Idem, l. 11.*

Pœnitebat duces ſe potius voluntati legati pacem à Damaſcenis petitam repudiantis, quàm ſuis cōſiliis obtemperaſſe, qui rerum militarium peritiſſimi, viciſſitudines rerum experiendo didicerant. Offerentis ſe fortunæ beneficio præſenti vtendum. maiorum rerum auiditate, perſæpe quod iam teneretur, è manibus elapſum, nulla deinde virtute repeti poſſe. *P. Æmyl. l. 6.*

In præcipiti bellicarum rerum occaſione, grauia repentináque pericula multæ deliberationis conſilium non admittunt. *P. Iouius, hiſt. libr 3.*

Bellicæ occaſionis ratio certis atque breuiſſimis rerum & temporum momentis conſtat. *Idem, libro 15.*

OCCASIONES.

Raræ ſunt atque fallaces magnę occaſiones, quas prudentes & magnanimi cū offeruntur arripere debent: eas verò negligere, ſumma reprehenſione dignum eſt. ac ſæpe nimis curioſa ſapientia, & futuri nimium ponderatrix, vituperatur: quoniam res humanæ, tot támque vatiis caſibus ſubiiciuntur, vt rarò id eueniat quod viri etiam ſapientes exiſtimarant: & qui præſens bonum futuri periculi timore, quum id nec certum nec propinquum eſt, negligit, ſummo ſępe dolore & infamiæ nota, eorum periculorum quæ poſt vana fiunt metu, vtilitatis & gloriæ plenas occaſiones amiſiſſe reperitur. *F. Guicciardin. hiſtor. l. 4.*

In bellis occaſiones innumeræ, quia ducibus non ſemper hoſtium errores & difficultates ſunt notæ, amittuntur. *Idem, l. 14.*

Facilè eſt præclaras occaſiones amittere, & contrà, difficilè eas adipiſci: ideóque dum manibus tenentur, omni ſtudio ad eas retinendas eſt enitendum. *Idem, l. 16.*

OCCVLTA.

Minimè occultum eſſe poteſt quicquid illuſtriſſimi homines agunt. *Xenophon Orat. de Ageſilao.*

OCCVPATIONVM vtilitas.

Animus certis negotiis occupatus effugere ferè ſolet multarum cogitationum prauarúmque cupiditatum decumanos fluctus. *Zonar. Ann. tom. 1.*

OCHLOCRATIA.

Vbi magiſtratuum deſcriptio, legúmque latio, non de communi ciuium quotidianóque conſenſu, ſed paucorum arbitrio peragūtur, tunc ciuibus non iam in publicum bonum, ſed in ſuas cupiditates, finéſque priuatos intentis, factiones & partes, quibus adiunctæ ſunt totius ciuitatis ſeditiones, peſtes atque interitus certiſſimi rerum publicarum imperiorúmque omniū, exiſtunt. *Item.* Ciuitas, quæ eum habet gubernationis modum, in quo pauci autoritate immoderata Rēpubl. gerunt, paucorum ſemper tyrannorum erit Reſpublica: qui eò erunt vno tyranno pernicioſiores, quo pernicies omnis capitalior ac nocentior eſt multiplicata, quàm ſola: quòd ſi nihil aliud inſit mali,

in eo ſaltem propter opinionum diuerſitatem,ambitionem, variáſque hominum cupiditates,diuturna concordia in eo ſperari non poteſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 2.

OCVLI.

Viſus eſt certus rerum arbiter, & pluris eſt, vt Comicus ait, vnus oculatus teſtis, quàm auriti decẽ, vt qui non alieno teſtimonio, ſed ſuo experimento nitatur. *Nicet. Alex. Ang. l.* 1.

ODIA.

In pace,etiam ſi non odia finiũtur,intermittuntur. *Liu. Decad.* 5. *lib. vndecimo.*

Fermè acerrima proximorum odia ſunt. *Tacit. hiſt. l.* 4.

In veteribus grauibúſque odiis firmam pacem conſtituere, quòd ea vel ſuſpicione,vel vltionis cupiditate impediatur,difficile eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 3.

ODIVM.

Cupido vel odium multos exercitus in diſcordiam egere. *Tacit. hiſtor. l.* 1.

Fas eſt priuata odia publicis vtilitatibus remittere. *Idem, Annal. libr.* 1.

Odium certaminibus ortum vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur: neque ante inuiſum eſſe deſinit quàm eſſe deſiit. *Vell. Paterc. l.* 1.

In acerbiſſimis etiam odiis naturalis perſæpe recurſat affectus. *Io. Iouian. Pont. hiſt. l.* 4.

Odio & dominandi cupiditate homines ad quamuis periculoſam deliberationem vehementer impelluntur. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr.* 4.

Dignitatis atque imperiorum æmulatio, vel inter amiciſſimos odium gignere ſolet. *Idem, l.* 7.

ODIVM *in tyrannos.*

Maximæ laudi eſt,odium aduerſus tyrannos,inimicitiǽque contra malos. *Plutarchus in Compar. Dionis & Bruti.*

Accidit plærunque vt ea odia quæ diu in tyrannos ſtante eorum fortuna exitij timore diſſimulantur,quum eorum res labare cœperint,acrius atque liberius erũpant. *P. Iouius, hiſt. l.* 2.

OFFENSIONES.

In rebus bellicis ſemper offenſionibus nouæ offenſiones accedunt. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro* 13.

OFFICIA *in commune conferenda.*

Si ea quæ delectationem pariũt, omnia ex æquo diſtribuere natura potuiſſet: facilis,& laboris omnis expers eſſet vtique nũc hominum indignatio, & mutui amoris cauſę facilimè præciderentur. Nunc verò,cùm iucundis admiſceri moleſta neceſſe fuerit,& Græci tertium dolium in Iouis aula nullis permiſtum malis eſſe negent: vt inopia moleſta eſt,ita copię ſpes delectat: hæque inter ſeſe pugnant, & efficiunt vt alius petat,alius largiatur, ſintque hæ vices perpetuæ,vltro citróque commeantes,quæ amicitię lex eſt, & vinculum firmiſſimum. Et hoc illud eſſe dicere liceat, quod telluri præſtet, vt mare nauigetur, & mari vt in tellure ambuletur: vtque Tanais longinquo curſu in Græciam feratur,& Iſter in Ægyptum perueniat, & Nilus aquas ſuas Mæotidi communicet. Si quis verò adeo tenax fuerit, vt bona diſtribui nolit: ei cauendum erit,ne legem per orbem terrarum ferat

ferat omnis improbitatis autorē, & omnes congreſſus, omnia com mercia funditus tollat; beneficentiæ diu inæ ingratus, à qua illa om nia quæ habet accepit. Neque enim obſcurum cuiquam eſſe po teſt, vllum à diuina prouidentia bo num cuiquam contingere, vt ſolus eo fruatur: vt nec lucem Soli, vt ſibi Soli luceat. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. l.* 8.

OFFICIVM.

Præſtat ſerò incipere officium quàm nunquam. *Dionyſ. Halicarn. libr.* 9.

OLIGARCHIA.

Quando pauci quidam vi dominantur, illud eſt legibus & modeſtiæ maximè contrarium, & tyrannidi proximum. *Thucydid libro tertio.*

Dominatio paucorum non videtur firma aut durabilis. Nā pro ſe quiſque ſummo ſtudio & conatu enititur vt ipſe primus ſit gubernator populi. *Idem, l.* 8.

OMINA.

Ominum obſeruatiò contactu aliquo religionis innexa eſt: quoniam non fortuito motu, ſed diuina prouidentia conſtare creditur. *Valerius Maximus libro primo, capite quinto.*

OPERA.

Quę cum voluptate agimus dulcia: quę cum virtute glorioſa ſunt. *Herodian. in Alexandro.*

OPERA *bellica perficienda.*

Incipere opus, nec perficere, nihil aliud eſt quàm hoſtibus oſtendere, quanam ratione mœnia ſint expugnanda. *Procop. de bello Perſ. libr.* 2.

OPERA *bonorum Principum.*

Cyrus dicere ſolebat, ſimilia eſſe boni paſtoris & boni regis opera. Nam paſtoris munus requirere, vt poſteaquam pecudes fortunata reddidiſſet, deinde eis vteretur: (quæ quidem eſt pecudum felicitas) item regem vrbibus & hominibus, quos ipſe beaſſet, vti debere. *Xenophon de inſtitut. Cyri, libro octauo.*

OPERA *preclara laude digna.*

Nihil præconiis dignius quàm pulcherrimæ victoriæ, laudatiſſimáque facinora. *Xen. Orat. de Ageſil. laudib.*

OPES.

Auri vis atque opes ſunt principibus infenſæ. id eſt, iniquitatis inſtrumenta. *Tacitus Annal. libro primo.*

Neque in familia & argento, quæque ad vſum parentur, nimiū eſt aliquid, aut modicum, niſi ex fortuna poſſidentis. *Idem, Annal. libro* 2.

OPINIO.

A vulgata opinione diſſidere, difficillimum. *Pauſan l.* 2.

Grauis eſt ac pernicioſa in bellis vel proditionis ſociorum vel nouorum hoſtium aduentus inanis opinio quę animos militum occupat. *Dionyſ. Hal. l.* 3.

OPPORTVNITAS.

Opportunitatis momenta redire omnino neſciunt. *Procop. de bel. Perſ. l.* 1.

Non ij qui temporis opportunitatem neglexerit, nec ſe rebus gerendis tunc ſtatim accommodauerit, in poſterum licebit, quod omiſſum eſt, reuocare. *Agath. hiſtor. libr.* 4.

OPTATA.

Fit natura, vt quæ optamus, ea

facilius in ſenſus noſtros irrepant. *B. Facius, hiſt. l. 8.*

OPPVGNATIO.

Vetus atque vſitata res eſt, in oppugnanda hoſtium vrbe, labores ac pericula pati. *Liuius, Decad. 3. lib. 6.*

Hoc & natura prius eſt, tua cùm defenderis, aliena ire oppugnatũ. *Idem, l. 8.*

OPPVGNATIO *murorum.*

Priſci Spartani prudenter ab oppugnatione murorum ſe abſtinuerunt: quòd ibi non à viro modò quouis, ſed etiam à muliere aut puero ictum perire fortiſſimum quenque contingat. *Plutar. in comp. Sylle & Lyſandri.*

OPPVGNATIO *vrbium.*

Res admodum lenta eſt, vrbium oppugnatio, & obſidentibus prius ſæpe quàm obſeſſis tædium affert. *Liu. Decad. 4. l. 4.*

Si à ſidentibus ſiue militaribus viris repellatur prima congreſſio, ſtatim clauſis creſcit audacia, & iam non terrore, ſed viribus & arte confligitur. *Veget. libr. 4. cap. 12.*

OPPVGNATIONES *doloſæ vrbium.*

Philippus rex facto per noctem itinere cum expedito exercitu Meliteam appulit, & admotis mœnibus ſcalis capere vrbem conatus eſt: tantóque terrore ob repentinum & inopinatum aduentũ Melitenſes affecit, vt parum abfuerit, quin vrbe ſit potitus: & niſi ſcalæ aliquanto, quàm opus erat, breuiores extitiſſent, voti compos fiebat. qua in re potiſſimum reprehẽdendi ſunt duces. Cùm enim eorũ nonnulli ſine vlla inſpectione murorum, vallorum, & eiuſmodi locorum per quæ aggreſſum & irruptionem moliuntur, inconſideratè ſuapte temeritate ad capiendas ciuitates proſiliunt, quis tales non reprehenderit? Siue etiam, licet iſta quàntum in ipſis eſt expenderint, cùm tamen apparatum ſcalarum & huiuſmodi inſtrumentorũ, quaſi modici momenti res quibuſlibet commendant, in grauiſſimã reprehenſionem meritò incurrũt. Nequit enim alter in hiſce rebus fieri, quàm vt vel quæ neceſſe eſt fieri fiant, vel in periculũ incidas. Mox enim detrimentum adeſt ſpe fruſtratis, idque multis modis: tempore ſcilicet conatus periclitãtur optimi ac ſtrenui viri, & maximè cum diſceditur, quando ſemel contemni cœperunt. Huius rei multa ſunt exempla. Nõ paucos reperias in talibus conatibus fruſtratos, periiſſe alios, alios extrema paſſos, alios ſeruatos, poſtea diffidentiæ & odio factos obnoxios: alios ad hoc reliquis expoſitos, vt cunctos cautos eſſe iubeant. Non enim ij tantũ qui periclitati ſunt, ſed & quotquot caſus illorum gnari ſiũt, hoc quodam modo mandatum accipiunt, vt alieno malo ſapiant. Quapropter nunquam eſt temerè huiuſmodi conſiliis vtendum. Modus autem menſurandi & apparandi talia facilis eſt & inoffenſus, ſi ordine tractetur. *Polyb. l. 5.*

ORACVLA.

De Oraculorum quæ ſermonibus hominum celebrantur, ortu atque inuentione, dubitatur. Deinde qui fiat, cùm futurorum neceſſariam ſignificationem complectantur, vt intricatis verborum ambagibus obſcurẽtur. Nam quis ea compoſuerit, & ad poſteros tranſ-

tranſmiſerit, à nemine vnquam vel poeta, vel philoſopho, vel hiſtorico ſcriptum reperimus: ſed illud tantùm ab eis annotatum deprehēdas, alio atque alio tempore certū oraculum vulgo iactatum, hunc vel illum exitum habuiſſe. Quis verò primus illud ſparſerit, à nemine dicitur aut ſcitur, niſi quis mentiri velit. Sint tamen qui exiſtiment ſpiritus quoſdam adminiſtros partim bonos, partim malos, & inſtrumenta ſuppliciorum, inſpectores eorum quæ hîc gerātur, aerem & terram peragrare, qui futurorum ſcientiam & ſupernè acceperint, & hominibus impertiri iuſſi fuerint, partim per inſomnia, partim per aſtra, partim per Delphicum quempiam tripodem, partim per exta immolatarum cupidum: partim (ne ſim prolixior) per vocem ex aëre primùm ortam, ac deinde circumuolitantem, & aures hominum circumſonantem, quam veteres ſapientes Diuinam vocem appellarunt. Sæpè etiam factum, vt in ſaxis aut parietibus, ignoto autore, ſcripta reperirentur. Sed tamen ambagibus inuoluta ſunt omnia, & non ſatis perſpicua: quemadmodum Imperatorum precioſa ornamenta, quæ diuini quiddā habere, &(vti par eſt) vulgi captum ſuperare creduntur. Nam quæ expoſita ſunt omnibus facilè faſtidiū tur, & ferè negliguntur. Non tamē vana ea eſſe aut irrita creditur: ſi quis non obiter, ſed iudicio adhibito, rimetur. Aliis enim beneficij, aliis ſupplicij loco ſignificari. Quoſdam enim calamitatum impreſſionem præparatione & patiētia molliorem reddidiſſe: quoſdā verò vitæ emendatione placato Deo prorſus illa auertiſſe: quibuſdam interiecto tēpore ob animorum imbecillitatem, ſupplicio eſſe calamitatum expectationē, priuſquam aduenerint ea quæ perpetiēda fuerint: ita gubernante Prouidētia, vt grauius ob commiſſa plectātur. Quòd ſi qua mentiantur, hominúmque ſpem fruſtrentur: (nam omnia quæ ſignificantur aliis moleſta ſunt, aliis iucunda, vt Crœſi imperij deſtructio, Crœſo & Lydis moleſta, Cyro & Perſis pergrata viſa eſt) id non ipſorum oraculorum natura fieri, ſed hominum præpropera potius cupiditate, qui tempora anticipent, & oraculorum ſenſum ad optata ſua detorqueant. Interim tamen videndum, ne qui ſunt, qui huiuſmodi oraculis addictos ludificentur, & nouos cōmentitios verſiculos ad oraculorum imitationem confingāt, eóſque clā in vulgus ſpargant, horúmque mēdaciis illorum etiam confundant veritatem. Id quod multos noſtra etiam ætate feciſſe conſtat. *Niceph. Greg. hiſt. l. 5.*

ORATIO.

Fermè omnes orationem animi vniuſcuiuſque imaginem eſſe exiſtimant. *Dionyſ. Hal. l. 1.*

Quæ oratione dirimi non poſſunt, de his decerni ſolet armis. *Idem, l. 3.*

Cæſar tribuere honores & largiri pecuniam poteſt, oratorem facere non poteſt. *Dion in Adriano.*

Lenis & placida oratio ferocitatem reprimit, quemadmodum aſpera manſuetum hominem ferocem & infeſtum facit: præterea data venia immanem & ferum continet atque coercet, non aliter atque

ſupplicem mitem & placidum incendit. Nam facta violenta, quamuis iuſtiſſima ſint, omnes concitãt: manſueta verò, mitigant & relaxant. Quocirca perſuadendo facilius vnuſquiſque eò adducetur; vt toleret ea quę grauiſſima ſunt, quã ſi coactus ſit. Adeo autem vtriſque id natura neceſſariò ineſt, vt etiam bruta animantia & rationis expertia, quæ robuſtiſſima & ferociſſima ſunt, blanditiis quibuſdam mãſuefiant, & eſcis capiantur: contrà ea quæ timidiſſima ſunt ac maximè imbecillia, dolore conturbentur & metu, atque in iram accendantur. *Xiphilin. Cæſ. Auguſt.*

In rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti clemẽtiam Dei importat. *Paul. Diacon. in Arcad. & Honor.*

ORATIONIS *præmeditatio.*

Eum qui orationem præmeditaretur, Demoſthenes popularem eſſe pronuntiabat: meditando enim homines ſe ad captandam populi gratiam comparant: negligere verò quomodo multitudo ſit orationem exceptura, id hominis eſt omnia ad paucorum poteſtatem reuocantis, ac cogendis magis quàm perſuadendis hominibus intenti. *Plutar. in Demoſt.*

ORATORES.

Veteres oratores famam in poſteros præmia eloquentiæ cogitauerunt pulcherrima. *Tacit. Annal. libr. 11.*

ORBIS *terrarum.*

Ambitus terræ totius, quæ nobis videtur immenſa, ad magnitudinem vniuerſitatis, inſtar breuis obtinet puncti. *Am. Marcell. l. 15.*

ORBITAS.

Pecunia, & orbitas, bonis maliſque temporibus iuxta valent. *Tacit. hiſt. l. 1.*

ORDO.

In quacunque re, præſertim militari, nihil ordine ipſo potius ac maius eſt. Nam confuſio ac trepidatio, præterquam quòd periculoſa, gerẽdis quidem rebus maximè etiam contraria eſt. Neque enim aut vnum, aut alterum tantùm prælium, quanquam conſilio ac ratione ſuſceptum, feliciter tamen ceſſiſſe inuenias, magis ob imperiã nõ eo quo tradita erant ordine ſeruata, quàm ob militũ virtutem, atque aduerſarum partium imperatoris induſtriã. *Io. Iouin. Pont. hiſt. l. 1.*

ORDO *equeſtris.*

Equeſtris ordinis dignitas, non in otio imbellibus ambitioſè quæſita, ſed fortibus teſtatæ virtutis merito in acie parta, viros vel infimæ fortunæ longè nobiliſſimos efficere conſueuit. *P. Iouius, hiſt. l. 15.*

ORPHANI.

A Charonda gratia & fauore plena lex traditur conſcripta, de tutela & educatione orphanorum. quã ſi quis ex verborum ſuperficie & cortice perpendere interpretarique perrexerit, nihil in ſe neque dignitatis neque facinoris continere videbitur. Vbi verò profundius inſpectionem duxeris, ac diligentius res ipſa introrſum ad medullam perquiratur, ſapientiſſimo cõditam conſilio, ſingularique admiratione dignam iudicaueris. Scriptum enim reliquit, Orphanorum fortunas & bona hæreditaria eorũ tutelę adminiſtrationique permitti debere, quibus ex paterno genere proxima ſibi cognatio duceretur: orphanos illos educandi curã tradi maternis affinibus,

Enim-

Enimuero ex verbis iſtis nulla in lege perpenditur neque pruden tiæ præcipua ratio, neque cautionis vllius ſingularis habita diligentia: verum altius ac perſpicacius inſpicienti dignum laude admirabili videtur inſtitutum, ac ſumma ſapientia pro re cautum. Nam cauſas inueſtiganti cur aliis opum & patrimonij curam, aliis verò vitæ educationem infantium eredi ſtatuerit, ſingularis quædam & prope diuina legiſlatoris prouidentia & cautio occurret, ad vtriuſque rei incolumitatem protegendam excogitata: affines nempe maternos, quibus nullum ius in hæreditate tractanda permiſſum eſſet, ſubmota per id auaritiæ occaſione & irritamento adeundæ per fraudem pecuniæ, nunquam fruſtra ſine aliqua ſpe adduci poſſe ad inſidias pueris moliendas. Paternis item cognatis pariter inſidiandi facultate erepta, quibus nulla corporis vitæque cõtrectatio, nullum arbitrium datũ ſit. Cęterùm fortunarum patrimoniíque, quod ad ſe peruẽturum intelligunt, ſi hæres ipſe, vel morbo, vel alio caſu abſumptus, vita deceſſerit, curam geſturos diligentiorẽ, fidéque magis incolumi pecuniam tractaturos: veluti ſi fors vel caſus aliquis tulerit, ſpes proprias perſecuti. *Diodor. Sic. hiſt. l. 12.*

Otiũ in exercitu pernicioſiſſimũ eſt, & ferè, ac ſolũ, vt ita dicã, omnium ſeditionum fons atque origo. *Polyb. l. 1.*

OTIVM.

Quemadmodum in corporibus externas incommodi cauſas, vtpote frigus, calorem, laborem, vulnera, & antequam fiant præcauere, & vbi factæ ſunt facilè curare licet: quę verò ex ipſis corporibus emergunt, vt ſcabies & morbi, difficilè præuidentur, difficile etiam vbi prouenire curantur: ad eundem etiam modum & de politiis & de exercitibus ſentiendum eſt. Etenim aduerſus externas quidem inſidias & bella, in promptu eſt & præueniendi modus, & auxilium, vbi ingruerint: verùm aduerſus ea quæ in ipſis politiis aduerſa naſcuntur, contra ſeditiones & colliſiones difficilis eſt medela, & quæ magnam gerendarum rerum dexteritatem, & ſingularem quandam requirãt induſtriã. Verùm vnum omnibus, vt mea fert ſententia, & exercitibus, & ciuitatibus, & corporibus, conuenit conſilium. Id autem eſt, vt circa prædicta nunquam permittatur multum deſidiæ & otij, maximè in proſperitate rerum & copia neceſſariorum. *Idem, hiſtor. libro vndecimo.*

Otio plebs laſciuit. *Liu. Decad 1. libr. 2.*

Otium quidẽ, requies, ſtudiúmque literarum, voluptatẽ contemplationémque rerum afferens, cõuenientiſſima eſt ſeni laboribúſq; domi & militiæ defuncto recreatio. *Plutarch. in comparat. Cimonis & Luculli.*

Otium ac requies finis eſt quem reges mali ac inſipientes bellis & certaminibus aſſignant. quod iis accidit, non quod ſolam voluptatẽ pro honeſtate & virtute conſectentur, ſed quod ne frui quidem voluptatibus & luxuriari verè norint. *Idem in Demetr.*

Militum conſiliis Otium maximè contrarium eſt. *Cæſar, libr. 2. de bell. Ciuil.*

Otium, res diſciplinæ inimiciſ-

ſima. *Velleius Paterc. libr. 2.*

Præpotentia imperia agitationẽ rerum ad virtutem capeſſendam excitantur, nimia quiete reſoluuntur in deſidiam. Et ſanè negotium nomine horridum ciuitatis noſtrę mores in ſuo ſtatu continuit: blandæ appellationis quies plurimis vitiis reſperſit. *Valer. Maxim. libr. 7. cap. 2.*

Militare otium eſt ferè tumultuoſum. *Amm. Marcel. l. 14.*

Nequitiæ flatus magis aſpirare ſolent menti quieſcenti, malarúmque cogitationum & rationum alias alios excitare fluctus, eámque continenter inuadendo demergere, & aut in peccata impellere (ſi facto minus, at aſſenſu) aut vndarũ in ea magnam agitationem ac tumultum commouere. *Zonar. Ann. tom. 1.*

Actuoſi hominis otium multò eſt hominis inertis atque ignaui occupatione efficacius. *G. Pachym. hiſt. lib. 4.*

Otiosi.

Antoninus Pius dicebat nihil eſſe ſordidius, imò crudelius, quàm ſi Rempubl. ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. *Iul. Capitol. in Anton. Pio.*

P.

Pædagogus.

PÆdagogo non eſt tribuenda dignitas, quæ illius conditionẽ ſuperet, ne dignitates indignitate afficiantur. *Zonar. in Michaele tomo 3.*

Pagani.

Paganorum lixarúmque ignaua, ſed procax ante periculum manus. *Tacit. hiſt. libr. 4.*

Patientia.

Qui ſe vltro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patiẽter ferant. *Cæſar, libr. 7. de bell. Gal.*

Ei qui ad Rempublicam & verſandum inter homines animum adiecit, magnopere fugienda eſt contumacia, ſolitudinis contubernalis, amplectendáque ea quæ à nonnullis derideri ſolet, patientia iniuriarum animíque remiſſio. *Plutar. in Coriolano.*

Nulla nobis optio viuendi noſtro arbitrio propoſita eſt, ſed neceſſe omnino habemus omnia tolerare quæ de nobis fortuna ſtatuerit. Quòd ſi hoc ſponte noſtra fecerimus, dolore vacabimus: ſin noluerimus, neque ea quæ fatum nobis deſtinauit, effugiemus: & inanes præterea in dolores, ſummum illud malum, incidemus. Cuius euidens indicium eſt quòd alij mortales etiam rès aduerſiſſimas leuiter ferunt, ſéque nullo malo conflictari cenſent: alij leuiſſimis oppreſſos ſe arbitrantes, nullum à ſe malum quod in hominem cadere poſſit, abeſſe putant: itémque vt res iſtæ tales aliis eſſe iudicentur, quales illi ferendo eas eſſe oſtenderunt. *Dion, l. 38.*

Deus ſi ſæpe percutere, at ſæpiſſimè etiam mederi conſueuit: prępſertim ſi quis leuiter, & cum gratiarum actione moleſtias perfert: neque ob acerbitatem earum, eum à quo proficiſcuntur odio perſequitur: nec cum prouidentia expoſtulat: nec diuini iudicij profunditate reiecta, in ſecundis duntaxat rebus bonũ ſe præbere didicit. *Nicet. Andr. Comn. l. 1.*

Patientia *Dei.*

Conſueuere dij immortales,quo grauius homines ex cõmutatione rerum doleāt,quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res,& diuturniorem impunitatem concedere. *Caeſ.lib.1.de bel.Gal.*

Parricidæ.

Pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda eſt.*Val.Max.l.1.c.1.*

Parricidia *regum.*

Qualia apud Geometras ſunt, quæ illis ſibi concedi ſuo iure poſcunt, & poſtulata appellant, tale poſtulatum commune regibus eſt, & quaſi conceſſum,fratres ſecuritatis cauſa necare.*Plutarchus in Demetrio.*

Parricidium.

Perſæ aiunt neminem vnquam patrem ſuum aut matrem ſuam occidiſſe: verum quotquot horum fortè acciderunt,omni neceſſitate excuſſa, hos tandem deprehenſos tradũt aut ſubdititios aut ſpurios. Quippe veriſimile nequaquam videri aiũnt,vt is qui verus parens ſit à proprio filio interimatur.*Herod. libr.1.*

In parricidio nulla ſatis iuſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt.*Iuſtin.hiſt.l.16.*

Non tam facilè excuſari poteſt parricidium quàm fieri. *Et,* Aliud eſt parricidium, accuſare innocentem occiſum.*Spartian.in Caracal.*

Poſt Marij de Gallis deletis triũphum, Romanámque victoriam, incredibile facinus, & nunquam antea auditum vel cognitum Romæ,perpetratum eſt,quod verſum in horrorem,gaudium in tota vrbe funeſtauit.P.Malleolus quidam ſeruis annitentibus matrem ſuam interfecit.damnatúſque parricidij, inſutúſq; in culeum, in mare proiectus eſt.Impleuerũntque Romani & facinus & pœnam: vnde & Solon Athenienſis decernere non auſus fuerat, dum fieri poſſe non credidit: & Romani qui ſe ortos à Romulo ſcirent,etiam hoc fieri poſſe intelligentes,ſupplicium ſingulare ſanxerunt. *P.Diacon.hiſtor. libr.5.*

Patria.

Patriam exiſtimo non eam ciuitatem quæ me in ciuem abnegauit,ſed eam à qua ciuis ſum factus, licet ſin peregrinus: & regionem amicam puto,non eam in qua affectus ſum iniuria, ſed in qua tutò manere poſſum. *Dionyſ.Halicarn. lib.8.*

Patria eſt vbicunque vir fortis ſedem elegerit.*Curt.l.6.*

Loca ipſa nullam felicitatem beatitatémve afferunt homini: ſed vnuſquiſque noſtrum, ipſe ſibi & patriam & vitam beatam omni tépore vbicunque locorum efficit. *Dion,l.38.*

Qui pro altero dimicant, quum ſuæ victoriæ felicitatem (ſi quidé contingat)ad alios videant migraturam,minus profectò acriter decertant: quippe qui intelligant ſe quidem in periculi participatũ admitti:cæterùm extremos victoriæ fructus ad alium peruenturos.Qui autem pro patria pugnant.præterquam quòd ſpe meliore eſſe debēt (neque enim aliena occupare, ſed tueri ſua contendunt)etiam animo ſunt maiore, vt quos non alienum imperium, ſed ſua quenque neceſſitas adigat,quoniam ſcilicet victoriæ fructus ipſis debeantur.*Herod.*

Q

in Maximino.

Beatè perfecta ratione victuro, ante alia patriam conuenit eſſe glorioſam. *Amm. Marcel. l.* 14.

Patriæ à qua omnia accepimus, omnia redonemus. *P. Æmyl. libro tertio.*

Quam à patria mutuatus es vitã eam illi iure optimo repoſcenti, redde. *Idem, eod. l.*

Patriæ ſalus non modò publicũ bonum comprehendit, ſed in Reipublicæ ſalute ſimul & priuatorũ omnium commodum ſalúſque agitur, quæ ita inter ſe apta connexáque ſunt, vt alterum ſine altero ſtare non poſſit: cadente enim Republica & in ſeruitutem ruente, quis priuatorum fortunas, honorem, vitam, hoſtium auaritiæ, libidini, crudelitati, prædæ relinqui ignorat? Verùm etſi in Reipublicæ defenſione nihil aliud præter patriæ ſalutem contineretur, nonne id generoſis eſt ciuibus dignum præmium, apud homines gloria ſplendoréque plenum, ac Deo gratum? eſt enim vel Ethnicorum ſententia, omnibus qui patriam iuuerint, cõſeruarint, auxerint, certum eſſe in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. *F. Guicciardin. hiſt. l.* 8.

Ferte opem, ciues, (*dictum Soderini*) patriæ veſtræ, veſtram libertatem dum poteſtis defendite: nihil vos Deo Optim. Maxim. gratius acceptiúſque facere poſſe vobis perſuadete, quàm bellum à tectis, à prædiis, à templis, auertere: remedium efficacius nullum eſt, quàm ſi iis qui vos l[illegible]re cogitant, oſtenderitis, vos nihil quod ad defenſionem veſtram facere videatur eſſe prætermiſſuros. *Idem, l.* 10.

PATRIA *illuſtris & obſcura quid conf. rat.*

Quidam dixit ad felicitatem primo loco requiri patriam nobilem. Ego verò ei qui veram ſit felicitatem conſecuturus, cuius in moribus & animi affectionibus maior pars conſiſtit, non magis exiſtimo ignobilem & obſcuram patriã obeſſe, quàm matre deformi vel puſilla eſſe natum. Ridiculus enim fuerit qui cenſeat Iulidem (quæ exigua pars eſt Cei non magnæ inſulæ) vel Æginam, quam Atticorũ quidam amoueri iuſſit veluti Piræi luminibus officientem, hiſtriones poſſe & poetas bonos producere: virum autem iuſtum & ex ſeſe aptum, prudentem, ac magnanimum proferre non poſſe. Etenim conſentaneum eſt alias artes quæ ad rem faciendam, comparandámve gloriam pertinent, in humilibus & obſcuris vrbibus elangueſcere, virtutem autem, vt vegetam validámque plantam, quouis in loco radices agere, vbicunque bonã indolem & animum laboris tolerãtem apprehenderit. Itaq; ne nos quidẽ, ſi nõ ea qua debemus prudẽtia & vitę rectitudine ſumus, patrię id noſtræ humilitati, ſed nobis ipſis meritò imputauerimus. *Plutar. in Demoſthene.*

PATRIÆ *amantes.*

Eos qui ſolummodo verbis ac voluntate bellum pro ſociis ſuſtinent bonos viros putamus: qui verò populationem patriæ, incendia, obſidiones patiuntur, non ſolùm laudamus, atque admiramur, verùm etiam gratiis muneribúſq; proſequimur. *Polyb. l.* 2.

PATRIÆ. *amor.*

Neque piè agunt, neque hone-

ſtè

ſtè agunt, qui patriam tyrannide armata preſſam negligunt, ſuæ tan tum vitæ ac ſalutis rationem du-centes. *Plutar. in Pelopida.*

Tu, mihi patriæque concede, cui & natus es & educatus, téque eius commodis inſeruire oportet, eorum cauſa nullos labores, nulla pericula ſubterfugere: ſed, etiamſi res ita ferat, vt moriendum pro ea tibi ſit, quouis mortis genere fatũ anteuertere. *Dion, l.36.*

Æquè virtutis eſt, & bona patriæ auxiſſe, & mala in ſe transferri voluiſſe. *Valer. Maxim. libro primo cap.5.*

PATRIÆ *conſeruandæ ratio habenda.*

Areus Athenienſium dux commeatu iam ferę conſumpto copias domum reduxit: quippe qui quod erat facultatum reliquum, ad patriæ vſus conſeruandum, neque temerè ſociorum cauſa profundendum cenſeret. *Pauſan. libro tertio.*

PATRIÆ *defenſio.*

Beati quicunque pugnantes pro patria victores euadunt: illis etenim lætiſſima dies, fulgebit. Beati etiam ij qui in acie cadunt: memoriam enim ſempiternam cunctis diuitiis pręſtantiorem conſequuntur. *Xen. de reb geſt. Græc. l.2.*

Propugnantibus pro patria quã hoſtis inuaſit, non perinde conuenit diu deliberare, ſicut illis qui ſua ſalua & integra tenent, atque ampliora appetentes ſua ſponte alios inuadunt. *Thucyd. l.4.*

PATRIÆ *hoſtes.*

Qui furore iráque deprauati hoſtes patriæ ſemel eſſe cœperunt, ij cùm à Reipublicæ pernicie repulſi ſint, neque vi coerceri, neque beneficio placari poſſunt. *Amm. Ferron. l.8.*

PATRIÆ *proditio.*

Deleto patriæ exercitu produntur tecta vrbis, mœnia, eáque turba à qua patria, incolitur. *Liuius, Deca. 1. lib.9.*

PAVIDI.

Non poteſt pauida & conſternata multitudo regi imperio. *Liu. Decad.1.l.3.*

Pauida conſilia in incerto ſunt. *Tacit. Ann. l.3.*

Trepidantiũ ea natura eſt, vt ſint non ſolum largi promiſſis, ſed etiam immodici. *Idem, hiſtor. libro tertio.*

PAVOR.

Pauor etiam auxilia formidat. *Curt. l.3.*

Pauoris natura eſt hæc vt cùm omnia quis metuit, ei præſentiã maximè diſpliceant. *Tacit. hiſtor. libro tertio.*

Materia pauoris eſt hominum raritas in locis ſpatioſis. *P. Oroſ. hiſt. l.2. c.19.*

Premit miſeros inter iniuriarũ ſtimulos ſuperfuſus pauor, ipſaq; diſſimulatione dolor creſcit: hoc altius demiſſus, quominus profiteri licet, timentibus ne ipſe quoque lachrymæ pro contumacia accipiãtur. *Idem, l.3. c.12.*

Hominum naturæ inſitum eſt, vt ea quæ initio terrori fuerunt, in dies ſic paulatim minuantur, ac deleantur, vt niſi noui caſus qui terrorem renouent incidant, exiguo tempore homines pauorem prorſus exuant. *Fr. Guicciardin. hiſt. libr.13.*

PAVPERES.

Qui fortunæ iniquitate ſua patrimonia amiſerunt, iis de bonis

priuatis eſt benefaciendum. *Dionyſ. Halyc.l.5.*

Semper in ciuitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odere, noua exoptant, odio ſuarum rerum mutare omnia ſtudent, turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur: quoniam egeſtas facilè habetur ſine damno. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

PAVPERTAS.

Ariſtides apud iudices palã profeſſus eſt, ſibi potius ob paupertatem, quàm Calliæ Athenienſium locupletiſſimo ob diuitias, animũ tollẽdum. multos enim eſſe qui diuitiis malè aut bene vterentur, qui paupertatem fortiter ferrent, non paſſim & temerè inueniri: eam verò ab iis dedecus putari, qui inuiti pauperes ſint. *Plutar. in Ariſtide.*

Æmilij, qui duos conſulatus geſſit, biſque triumphauit, filiam, in Tuberonum familia tenuiter victitante, ſed concordi, paupertatis viri non puduit, quin virtutem potius, qua paupertatem ferebat, mirabatur. Noſtro tempore fratres & cognati, niſi regionibus, fluuiis, muriſque communia bona diſtinguant, longòque à ſe inuicem remoti ſint ſpacio, altercandi finem nullum faciunt. *Idem in Æm. Paulo.*

Paupertas quum in Republica inualeſcit, illiberalitatem boneſtorumque ſtudiorum intermiſſionem, inuidiámque & odia aduerſus diuites ſecum trahit. *Idem in Agide.*

Multum virtutis paupertas ad uerſus inſolentes diuitias habet. *Iuſtin. hiſt l.20.*

Minimè pudeat ſapientem cuncta bona in animi cultu ponentem, honeſtam paupertatem profiteri. *Amm. Marcel. l.24.*

Romani paupertatem non in parum habendo, ſed in multum concupiſcendo poſitam eſſe crediderunt. *Zonar. Ann tom.2.*

Non eſt turpe homini qui ſummum bonum in animo poſuit, honeſtam profiteri paupertatem. *Põp. Lat. in Diocletiano.*

PAVPERTATIS *conſideratio.*

Exactior in Catone maiore rei familiaris cura & adminiſtratio Ariſtidem paupertatis cultorem & ſuós negligentem vt tantùm Reipublicæ inſeruiret, damnare videtur, tum præcipuè in eo quod Catonis ſoboles floruerit, Ariſtidis ad ſummam ignominiam redacta ſit. Sed hoc primum in controuerſiam poteſt vocari. Pauperies enim per ſe turpis non eſt, ſed indicium ſi ſit ſocordiæ, intẽperantiæ, prodigalitatis, imprudẽtiæ. Viro autem temperanti, laborioſo, iuſto, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico verſatur, magni animi teſtimonium præbet. Non enim poteſt magnas res gerere, qui parua curat: neque multis indigentibus auxilium ferre, qui ipſe multis opus habet. Neque diues, ſed qui omnia in ſe ſua poſita habet, viam tenet ad Rempubl. expeditã: is enim eo quòd nullius priuatim rei ſuperuacaneæ indiget, ad publica negotia liberatur. Ipſe quidem Deus ſimpliciter nulla re opus habet: in humana autem virtute id quàm maximè diuinum eſt & perfectiſſimum, quod ad ſuum vſum pauciſſima requirit. Ac veluti corpus bono ad valetudinem temperamento præditum, neque veſtitũ, neque alimentum curioſum deſiderat: ſic vita & domus bene inſti-

tuta

nuta facilè quibuſcunque facultatibus adminiſtratur. Sed & neceſſitati reſpondere poſſeſſionem oportet. Itaque qui multa parat, paucis verò vtitur, is ex ſe ſe aptus non poteſt dici: ſed aut vanus eſt, ſiquidē ea quærit, quibus opus non habet: aut miſer, ſi ob ſordes animi non vtitur partis. Libenter verò ex ipſo Catone ſic percunter: Si diuitiis fruendū eſt, quid gloriaris te multa poſſidentem modicis vti? Sin præclarum eſt (& quidem ita res habet) pane quocunque veſci, & vinum idem cum operariis & ſeruis bibere, purpuram domumq́ue dealbatam non requirere: iam officio Ariſtides etiam, Epaminondas, M. Curius, C. Fabricius ſatisfecerunt, quarum rerum vſum improbarent, earum etiam poſſeſſionem valere iubentes. Quid enim attinebat virum, qui rapa ſuauiſſimū cibum duceret, eáque ipſe elixaret, vxore ſimul farinam ſubigente, toties de aſſe nugari, & ſcribere quo quis opificio quamprimum diteſceret? Etenim tenuitas, & in ſe omnia ſua ponere, eo ipſo nomine magna ſunt, quòd cupiditate ſimul & cura liberant rerum nō neceſſariarum Itaque in Calliæ iudicio hoc dixiſſe Ariſtidem aiunt, Paupertatis pudère eos debere, qui inuiti eam ferant: laudi eam ſibi ducere eos, qui (vt ipſe) vltro ſubirent. Ridiculum enim erat exiſtimare ob ignauiam Ariſtidem egeſtate laborare, cui licebat nihil turpe agenti, ſpoliato vno barbaro, aut vno tentorio occupato, diuiti eſſe. *Plutar. in compar. Ariſt. & Catonis Maioris.*

PAX.

Nemo ita amens eſt vt bellum quàm pacem præoptet. nam in pace filij patres, in bello patres filios ſepeliunt. *Herodot. l. 1.*

Pax magis confirmatur ex bello, at ex otio non perinde periculo cares ne bello laceſſaris. *Thucydid. libr. 1.*

Equidem cenſeo eam pacē quæ fit inter cognatos & amicos eſſe præſtātiſſimam & honeſtiſſimam, quum omnis ira extincta & omnibus malis obliuioni mandatis, omnes ſibi inuicem ſine dolo, vltrò citróque, illatas & acceptas iniurias condonant. Minus verò honeſtam eam eſſe iudico in qua ipſa quidē populi multitudo criminibus liberatur, ſed illi ſoli qui ſe mutuis iniuriis affecerunt, coguntur iudiciū ſubire, cauſam dicere & iure diſceptare. *Dionyſ Hal. l. 3.*

Vrbano ocio foris omnia tranquilla ſunt. extra pacis concordiæ quoque inteſtinæ cauſa eſt. *Liuius, Decad. 1. l. 3.*

Frui pace per inteſtina arma nō licet. *Idem, l. 4.*

Quum exercitus Romanus, ſub P. Scipione, multis partis victoriis contra Carthaginienſes clarus & Africæ formidabilis, de perſequenda victoria & finiendo Punico bello cogitaret, Annibal qui ex Italia ad ſuos protegendos reuocatus erat, quum vim, prudentiam & felicitatem ducis & exercitus aduerſarij metueret, Scipionem longa oratione ad ſtudium pacis deducere conatus eſt. Inter multa autem, præclara quæ ſequūtur effatus eſt, Scipionem pugnas & abſolutā victoriam ſpirantem alloquens: Poteſt victoriam malle, quàm pacē, animus. Noui vobis Spiritus magnos magis quàm vtiles, & mihi ta

lis aliquãdo fortuna affulſit. Quòd ſi in ſecundis rebus bonam quoque mentem darent dij, non ea ſolùm quæ euenissent, ſed etiam ea quæ euenire poſſent, reputaremus. Vt omnium obliuiſcaris aliorum, ſatis ego documenti in omnes caſus ſum. quem modò caſtris, inter Anienem atque vrbem veſtram poſitis, ac iam propè ſcandentem mœnia Romana videras, hîc cernis duobus fortiſſimis viris fratribus, clariſſimis imperatoribus, orbatũ, ante mœnia propè obſeſſæ patriæ, quibus terrui veſtram vrbem, ea pro me deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minimè credendum eſt. In bonis tuis rebus, noſtris dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax: nobis petentibus magis neceſſaria quàm honeſta. Melior tutiórque eſt certa pax, quàm ſperata victoria. hæc in tua, illa in deorum manu eſt. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis diſcrimen. Cùm tuas vires, tum vim fortunæ, martémque belli communem propone animo. vtrinque ferrum, corpora humana erunt. nuſquam minus quàm in bello euentus reſpondẽt. Non tantum ad id, quod data pace iam habere potes, ſi prælio vincas, gloriæ adieceris, quantum ademeris, ſi quid aduerſi eueniat. Simul parta ac ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt. Omnia in pace iungenda tuæ poteſtatis ſunt P. Corneli. tunc ea habenda fortuna erit, quam dij dederint. Inter pauca felicitatis virtutiſque exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuiſſet, ſi victor pacem petentibus dediſſet patribus noſtris: ſed non ſtatuendo tandem felicitati modum, nec cohibẽdo efferentem ſe fortunam, quanto altius elatus erat eo fœdius corruit. *Idem, Decad.3.l.10.*

Eſt eius qui dat, non qui petit conditiones dicere pacis. *Ibidem.*

Multum, per quos petita ſit, ad fidem tuendæ pacis pertinet. *Ibidem.*

Militares artes ſunt per otium ignotæ, induſtrióſque ac ignauos pax in æquo tenet. *Tacitus Annal. libr.12.*

Pax & concordia victis vtiles, victoribus tantum pulchræ ſunt. *Idem, hiſt.l.3.*

Quæ nimio pretio emitur, & vt potentior hoſtis reddatur, non eſt pax, ſed pactio ſeruitutis. *Zonar. in Arcad. & Hon.*

Qui imperium vrbium firmum habere ſtudet, ciues clariores aliò transferet. Nam vulgus per ſe nouis rebus non ſtudebit. *Zonar. in Baſil.*

Longæ ſecuritas pacis, homines partim ad delectationem ocij, partim ad ciuilia traducit officia. *Veget.l.1.c.28.*

Pax colenda eſt, vbi Dei iacturam non facimus: rurſus bellum gerendum, vbi religio periclitatur. *G. Pachymer. hiſtor. libro quinto.*

Pax non fortuitò, ſed ratione & oratione conciliatur. *Idem, libro ſexto.*

Bonum eſſe pacem apud omnes homines in confeſſo eſt, quibus paululum rationis exiſtit: ſi quis autem ipſam turbare ſit inuentus, malorum cauſa ſibi ac proximis fuerit. *Procop. de bell. Perſ. libro primo.*

Pacis

Pacis fœdera ſoluere, nihil aliud eſſe quis dixerit quàm hominum cultum in ferarum vitam cõmutare. Nam ſi diffidentes inter ſe nunquam conuenirent, infinitum omnino bellum eſſet: quod ſi finem non eſt habiturum, de ſtatu hominum & naturæ eos, qui in illo occupantur, eſt decorum dimouere. *Idem, l.* 2.

Pro acquirenda plurimorum ſalute oportet potius decertare, quã ſuper incertis & inuiſibilibus loeu pletari. Gratius enim eſt Deo, plures potius ſaluare quàm paucos. Porro damnum in pluribus pati propter medicum lucrum, primæ dementiæ eſt. *P. Diacon. in Michaele.*

Nihil eſt aut omnino acceptius, aut auribus ſuauius, quàm de pace & beneuolentia verba facere. Irripit enim, neſcio quo modo, ſenſus noſtros, ac vehementer retinet, totóſque pœnæ artus permouet. Eſt enim inſitus natura mortalibus pacis & ocij amor: ſed aut mala conſuetudine, aut nimia cupiditate nonnunquam ex animis noſtris elabitur. Quæ poſtea ſi quando renouatur, multò fit profectò dulcior atque iucundior neceſſe eſt. *B. Facius, hiſt. l.* 9.

Pax non modò ipſa dulcis eſt, ſed etiam ipſius nomen blandum ac ſuaue: tum res ipſa, vt ſapientes dicere audio, ſalutaris. Hac enim agri, hac vrbes, hac res priuatæ, hac reſpublicæ, hac denique regna conſtituuntur & conſeruantur. Mihi quidem ita ſemper viſum eſt, qui pacem negligerent, hos ſummam hominum felicitatem haud ſatis cognoſcere. Totius enim felicitatis fructus eſt pax. Quid enim proderat diſperſos homines eloquentia conciliaſſe, niſi conciliatos pax ipſa in ſocietate & charitate contineret? *Idem, ibidem.*

Pax & ocium finis eſt qui bella gerentibus proponi ſolet. *Idem, ibidem.*

Quum ſuſpicionibus liberat, quum periculum non auget, quum quieſcendi & ſumptuum minuendorum facultatem adfert, pax expetenda ſanctáque eſt: ſed quum omnia parit contraria, ſub inſidioſo pacis nomine bellum latet, & ſalutaris medicamenti ſpecie peſtilens venenum *Fr. Guicciardin. hiſtor. lib.* 15.

Nihil ſanctius, nihil magis neceſſarium, nihil Deo gratius communi inter Chriſtianos principes pace futurum video: ſine hac enim religionem, pietatem, & hominũ mores in apertiſſimam perniciem ruere vel manibus tangi poteſt. *Idem, l.* 16.

P A X *quatenus & quomodo appetenda.*

Equidem ita exiſtimo fugiendum quidem eſſe bellum: non tamen ita fugiendum, vt omnia, ne in id incidamus, ſuſtinere perpetique velimus. Quid enim vel æquabilitatem in republica, vel fiduciã, vel libertatis iucundiſſimum nomen laudaremus, ſi nihil omnino eſſet paci anteponendum? Sed neque Thebanos laudamus, quòd tẽpore Medici belli, vt à communi Græciæ periculo eſſent immunes, ea per formidinem elegere, de quibus poſtea periclitati ſunt. Neque Pindaro aſſentimur, qui in poematibus ſuis ciues hortatur, vt cæteris omnibus poſtpoſitis pacem dũ-

taxat & tranquillitatem ampleƈtâtur: ac pacem magnificè ſcrutatus definit eſſe quietis terminum, & ſplendidam lucem. Verùm cùm ſe perſuabiliter dixiſſe putaret, paulò poſt repertus eſt omnium turpiſſimam ac nocentiſſimam protuliſſe ſententiam. Pax enim, ſi iuſta & honeſta ſit, res eſt certè omnium rerum pulcherrima atque optima. Nihil tamen eſt aut faciendum iniuſtè, aut patiendum turpiter, vt pace frui valeamus. *Polyb. libro 4.*

PAX *qua ratione tuta & firma redditur.*

Stabilius diſſoluuntur magnæ inimicitiæ, cùm æquales adhuc pacem faciunt, non quando altera pars ſe vlta eſt, & plura obtinens alteram cogit pacis conditiones petere aut accipere: ſed cùm modeſtè offert pacem etiam dum poteſt pugnare, & vincit moderatione atque manſuetudine prǫter expeƈtationem. Nam altera pars cũ agnoſcit ſe non debere pugnare, tanquam vi coaƈtam, ſed mutuam gratiam debere, pudore mouetur, vt conſtantiam præſtet in paƈto: ac magis hoc faciunt homines erga maiores aduerſarios quàm minores. Libentius enim cedunt vltro cedentibus: ſed contra ſuperbos ſuſtinent pericula etiam præter opinionem. *Thucyd. l. 4.*

PAX *ficta.*

Non conſentaneum eſt, vt pax vera exiſtimetur, quando neque redduntur, neque viciſſim accipiũtur ea quę ſicut conuenit reddi debebant. *Thucyd. l. 5.*

PAX *à quibus ſoluatur.*

Soluunt pacem, non qui bellum primi mouent, ſed qui per inſidias fœderum tempore arma capiunt. Nam illi qui non eſt cauſa belli, retreƈtare licet, æquúmque ab iniuria diſcedere. *Procop. de bell. Perſ. lib. ſecundo.*

PAX *petentibus concedenda.*

Neque naturæ neque conſuetudinis noſtræ eſt (diƈtum Alphonſi regis) petentibus pacem negare: ídque ſemper inhumanum atque impium duxi. Quis enim tam demens eſt, qui ſi poſſit pace frui, malit bello contendere? *B. Facius, hiſt. lib. 8.*

PACIS *amor.*

Cùm ad famam primi Balduini defunƈti Euſtachius eius reliquus frater, Comes Bononienſis, vt in regnum fratri ſuccederet, iter ingreſſus Brunduſium iam perueniſſet, inde in Orientem ſoluturus: vbi Rhenenſem virum fortiſſimum in defunƈti locum ſuffeƈtum regem accepit, authoribus amicis, vt ire pergeret, illum enim neque viribus neque cauſa parem futurum: Deus meliorem, inquit, mentẽ mihi det, quàm vt regnũ cruore meorum Chriſto redditum, per me, domeſticis bellis antequam coaleſcat euertatur. *P. Æmyl. l. 5.*

PACIS *confirmatio.*

Pax bello magis confirmatio, otium verò ſemper belli metum & periculum coniunƈtum habet. *Thucyd. l. 1.*

PACIS *commendatio.*

Nõne videtis in ſecundis & aduerſis rebus quietem vtiliorem eſſe, & ad retinendas res ſecundas, & ad medendas aduerſas: nec non in pace dignitatem aliáque bona eſſe ſine periculo? *Thucyd. l. 4.*

Si Regum atque Imperatorum animi virtus in pace, ita vt in bello,

lo, valeret. æqualius atque conſtantius ſeſe res humanæ haberent, neque aliud aliò ferri, neque mutari ac miſceri omnia cerneres. *Saluſt. de coniur. Catil.*

PACIS *commoda.*

In pace & rebus ſecundis vniuerſæ ciuitates & priuati homines mentem ſaniorem gerunt. Quia non cogit neceſſitas quærere vitæ præſidia malis modis. Sed bellum copiam quotidiani victus ſubtrahens, violentus magiſter eſt, & ad præſentes occaſiones multorũ impetus incitat. *Thucyd. l. 3.*

PACIS *deſiderium.*

Quod aliquando bella inter homines oriantur, rurſúſque diſſoluãtur, omnes nouimus. Nos veró pacis deſiderio, ſi non nunc, at aliquando tenebimur. Cur igitur potius tempus illud expectandum, quo vexati bellóque defeſſi pacem concupiſcamus, non iam integri & nulla oppreſſi clade eam amplectemur? Neque enim illos laudandos cenſeo qui in certaminibus ſæpius victoriam ac gloriã retulerunt: & tamen ita certare pergunt, vt non antea deſiſtant quàm victi artem relinquant. Neque aleatores, qui vna iactura facta de duplo periclitantur: iſtorum enim plæroſque cernimus ad extremam redigi inopiam. Quæ & nos conſiderare decet, nec vnquam eo certaminis deſcẽdere, vt aut cuncta capienda, aut cuncta ſint nobis amittenda: ſed potius, dũ & viribus vegeti, & fortuna florentes ſumus, inter nos amicitiam contrahamus: eo enim pacto & nos per vos, & vos per nos potẽtiores quàm ſeculis ſuperioribus imperabimus. *Xen. de reb. geſt. Græc. l. 6.*

PACIS *tractatio.*

Pacis tractatio prudentibus atque fidis hominibus eſt cõmittẽda. Eos à legatione reuerſos audiat Princeps, ac ſolus: ne ſi minus iucunda renuncient, pauorem ea res atque metum inferat multitudini. Sunt enim omnes cupidi rerum nouarum: & non deſunt qui quum familiariter norint legatos, audent ſibi polliceri, fore, vt omnia reſciſcant. Verùm ſi iudicio ſint præditi illi, cauebunt modis omnibus, ne quid efferant, quòd vel alienationẽ animis, vel trepidationem excitare poſſit. Hoc ideo mihi dicendum fuit, quòd Principes à ſuis non rarò circumueniri ſciam in eiuſmodi actionibus, illos præſertim, qui præ faſtu & arrogantia quæ ſit aliorum ſententia non auſcultant. Nam qui ſe demittunt, ac libenter aliorum iudicia cognoſcunt, ij minus falluntur. *Ph. Comin. l. 1.*

Eſt apud nos quotidiano ſermone tritum prouerbiũ, quo dicitur, in ſplendidiſſimis etiam epulis exiſtere ſemper aliquos, qui minus bene tractentur. Idẽ vſuuenit in principum de pace tractationibus, dũ alij quod volunt adipiſcuntur, alij ſpe & expectatione decidunt. *Idẽ, lib. 2.*

PECCATVM.

Eum qui ſemel vel precibus adductus, vel vi coactus peccauit, in cæteris eodem modo gerere non oportet: ſed memorem prioris peccati cauere ne in poſterum in aliud ſimile incidat. *Dionyſ. Hal. l. 7.*

PECCATVM, *in quibus minus excuſabile.*

Res fortiter geſtæ debent eſſe ſubſidio iniuſtè oppreſſis: illis autẽ qui aliquid turpitudinis admi-

tunt, pœnam duplicant. Nõ enim conuenit propter præclarè facta peccare. *Thucyd.l.3.*

PECVNIA.

In bello non ſolùm armis, ſed etiam pecunia opus eſt, qua fiunt arma vtilia. *Thucy.l.1.*

Propter inopiam pecuniæ res veterum fuerunt imbecilliores. *Idẽ, ibidem.*

Ad virtutem vna & ardua via eſt, ad pecuniam qua cuique libet, nititur: & malis & bonis rebus ea crcatur. *Salluſt.in Fragm.*

Pecunia, maxima hominum pernicies. *Idem, ibid.*

Qui primus pecuniam eſſe neruos rerum dixit, id præcipuè ad bellum reſpexiſſe videtur. *Plutar. in Cleomene.*

Pecunia & orbitas bonis maliſque temporibus iuxta valent. *Tacit.hiſt.l.1.*

Pecuniæ, belli ciuilis nerui. *Idẽ, libr.2.*

Pecunias neruos eſſe principatus Veſpaſianus imperator dicere ſolebat. *Xiphil.Veſpaſ.*

Pecunias qui non ad neceſſitatem ſit conſecutus, bellum (vt reor) gerere nunquam ſatis commodè poterit. *Procop. de bell.Goth. l.3.*

Quidam ex antiquis, pecuniam rerum neruos rectiſſimè appellauit. *Nicet.Manuel.Comn.l.1.*

Rerum vires neruúſque, pecunia eſt. *P.Æmyl.l.8.*

Pecuniæ, bellorum nerui, paciſque ſubſidia. *P. Iouius, hiſt. libro 13.*

Nemo virtute vel fortuna maximus Imperator, res præclaras vnquam bello geſſerit, ſi cum abundè optimis artibus inſtructum pecuniæ, propria bellorum inſtrumenta defecerint. *Idem, l.18.*

PECVNIÆ *amor.*

Quiſquis admodum pecuniis delectatur, eum certò ſcias etiam vehementer angi, quum ſumptus facit. *Xenophon de inſtitut. Cyri libro octauo.*

PECVNIÆ *contemtus.*

Præclarius eſt pecunia quàm armis bene vti: cæterum ipſo vſu pecuniæ contemtus plus laudis meretur. *Plutar.in Coriolano.*

PECVNIÆ *vis.*

Multò commodius atque facilius auro arceantur hoſtes, quàm ferro ac viribus in ipſo belli diſcrimine ſuſtinentur: & ex rerum vſu plerunque accidit, vt qui pecuniæ parcendo remota pericula negligere contemneréque ſolent, incumbentibus demum malis, deſperato ſæpe remedio grauiora detrimenta ſentire conſueuerunt. *P.Iouius, hiſt.l.2.*

PERDVELLES *impij.*

Tam ſanctum non eſt fidem ſcripto comprehenſam ſeruare, quàm profanum & impium in ipſum publicum corpus inimicando & bellando peccare. *Polybius, hiſtor. libro nono.*

Ferrum, impiè præparatum, ad eorum interitum eſt vertendum, qui non laceſſiti, ſed aucti beneficiis pluribus, ad inſontium pericula ſurrexerunt. *Ammon. Marcell. libr. 21.*

PERDVELLIVM *mens.*

Ita ſe mores habent, vt publica quiſque ruina malit occidere, quã ſua proteri, & idem paſſurus minus conſpici. *Velleius Paterculus libro 2.*

PERE-

PEREGRINI.

Homines peregrini, peregrinos etiam ſecum adferunt ſermones, vnde rurſus noua de rebus iudicia oriuntur, ex quibus fieri non poteſt quin affectus multi conſiliáque naſcantur, quæ ab inſtituta Reip. ratione (quæ conſonantiæ vocum inſtar habet) diſcrepent. *Plutarch. in Lycurgo.*

PERFIDIA.

Triſtiſſimum & domeſticum regibus omnibus pharmacum, liberorum, amicorum, & exercitus perfidia. *Appian. libro de bellis Mithridat.*

Nullis meritis perfidia mitigari poteſt. *Curt. libr. 7.*

Occultum & inſidioſum malum perfidia. Cuius efficaciſſimæ vires ſunt mentiri ac fallere: fructus in aliquo admiſſo ſcelere conſiſtit: tũ certus, cùm crudelitatem nefariis vinculis circum dedit: tantùm incommodi humano generi adferẽs, quantum ſalutis bona fides prçſtat. *Valer. Max. lib. 9. cap. 6.*

Virum qui virtutis ſibi quippiam vendicet, principẽ præſertim, mentiri ac fidem fallere nequaquam decere exiſtimo. quin etiam iuſiurandum literis traditum violare, pactionéſque recens factas contemnere, nec abiectiſſimis quidem hominibus decorum fuerit. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

PERFIDI.

Iſti longè deteriores ſunt vel ipſis manifeſtis hoſtibus, & longè grauiori pœna digni. Nam facilè eſt cuiuis ab iſtorum inſidiis ſibi cauere, & eos quibus hoſtiliter congreſſos repellere poteſt: ſed ab amicis qui hoſtiliter ſe gerunt, illi qui iam ſunt præuenti neque facilè ſibi cauere, neque eos propulſare poſſunt. *Dionyſ. Halic. lib. 3.*

Neque Legati audiendi neque conditiones accipiendę ſunt ab iis, qui per dolum atque inſidias, petita pace, vltro bellum inferunt. *Cæſar, lib. 4. de bello Gall.*

Fœdera ſoluunt, non qui iniuriam patiẽtes à proximis deſciſcunt, ſed qui fœderatos habere aliquos poſtulantes deinde violant. *Procop. de bello Vandil. lib. 2.*

Hominibus perfrictæ frontis, infamiam negligẽtibus, humana quidem forma, ſed beluinis animis, nõ eſt habenda fides. *G. Pachymer. hiſt. lib. 5.*

Qui fidem Imperatori frangit, nunquid diris ſacerdotum deuotus diuinam vltionem formidabit? *G. Pachymer lib. 1.*

Perfidi aliquando datam fidem ſeruare ſolent, vt opportunius & maiori quidem cum lucro poſtea decipiant. *P. Iou. hiſt. l. 2.*

PERFIDVS.

Qui cum omnium miſerrimis pactiones factas neglexerit, erga alium quempiam firmiorem præ ſe ferre animum nequit. Quin potius veluti abſurdioris naturæ indiciũ ad omnes, qui ſecum verſantur circumferre perfidiam videtur. *Proco. de bello Goth. lib. 3.*

PERICVLA.

Pericula communia beneuolentiam inter commilitones mutuam excitant, ad quę vbi peruentum eſt, nemo aliis, quibus ornatiſſima ſunt arma, nemo gloriæ cupidis inuidet: ſed potius & collaudant & cõplectuntur huiuſmodi ſibi ſimiles, quòd eos ſecum in iuuanda republica coniunctos exiſtiment. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib. 3.*

Homines inſueti laboris,ob imminẽs periculũ ſic ſunt animo cõſternati,vt omnia quæ imperãtur, ſibi patienda & perferenda exiſtiment. *Cæſar,lib.7.de bello Gall.*

Summæ amentiæ eſt ob res leues diſcrimen ſubire. *Appian.lib.de bello Hiſpan.*

Neceſſaria, nec prorſus voluntaria eligentes pericula Deus ſemper adiuuat. *Procop. de bello Perſic. lib.1.*

Semper indomitus furor periculorum citò obliuiſcitur. *P.Diacon, hiſt.lib.2.*

Difficile eſt ei qui ægrè ſe ab imminentibus periculis tuetur,eodem tempore aliorum periculis cauere. *Franc. Guicciardin.hiſtoriar. lib.1.*

Contra remotiora pericula ſæpe tempus non cogitata remedia adferre ſolet. *Fr.Guicciardin.hiſtor. lib.16.*

PERICVLA *quomodo euitantur.*

Qui prudenti conſilio cedit, & tempori ſeruit,impendens periculum vitat. *G. Pachymer. hiſtor. libro 5.*

PERICVLA *ingentia quid efficiant.*

In magnis difficultatibus accidit vt homines ſemper præſentia,tanquam maximè perículoſa fugiant, in incognitis ſpem collocãtes. *Plutarch.in Mario.*

PERICVLA *Reipub.*

Scio hanc rebus nouis ineſſe oportere conſtantiam, vt ſapienda ſint conſilia non quærenda: verbis quinetiam plurimis abſtinendum ſit atque ſententiis, vbi res perurgent. *Iul. Capitol. in Maxim. & Balbino.*

PERICVLI *nimia apprehenſio.*

Trepidat miles, Dux ſegnis & veluti captus animi,non lingua,nõ auribus competit, neque alienis conſiliis regitur, neque ſua expedit. huc illuc hoſtium clamoribus circumagitur, quæ iuſſerat vetat, quæ vetuerat iubet. Mox, quod in perditis rebus accidit,omnes præcipiunt,nemo exequitur. *Tacit.hiſt. lib.3.*

PERICVLVM.

In vnius exitio quiſque imaginem periculi ſui conſiderat. *Ammi. Marcell.lib.14.*

Vbi res in periculum vertitur, nihil magis expedit, quàm in promptu optimum capere conſilium. *Procop. de bello Perſic. lib.6.*

In exercitum hoſtilem multis poſt terga munitiſſimis locis,multis etiam in his fortiſſimis viris relictis proficiſci,periculum eſt. *Idem lib.2.*

In periculum non neceſſarium ſponte ſe coniicere, magna eſt dementia. *Idem,eod.lib.*

Adhortatio quę fit imminẽte periculo nullam fert admonẽti vtilitatẽ, quod accuſationis plerunque occaſioni ſubiiciatur. Homines enim ſi fortè ſibi ex ſententia quæ facta ſunt eueniant, bene ac libenter ferre videntur: ſi verò ſecus, autorem conſilij protinus accuſant. *Idem,de bello Vandil.lib.1.*

In promptum velle apertúmque diſcrimen ruere, cùm liceat extra periculum conſiſtendo ſeruari, dementia eſt. *Idem, de bello Goth. libro 2.*

Præſens periculum nihil habet

morte grauius. *Nicet.Man.Comn. lib.5.*

Nemo facilè pericula euadet,ni ſi Numine exorato diuinitus cuſtodiatur, malarúmque leuamen imperret.*Idem,lib.6.*

Citius venit periculum cùm cõtemnitur.*Ar.Ferron.lib.7.*

Rarò periculum ſine periculo vincitur.*Idem,eod.lib.*

PERITI *imperitis præſtantiores.*

Conſtat mortales ipſos natura nihil prorſus differre: experientia tamen rerum magiſtra,peritum aliquem imperito meliorem eſſe cuiuis patet. *Totilas, ap.Procop.de bello Goth lib.4.*

PERIVRIA.

Dij ſunt periuriorum vindices. *Iuſtin.hiſt.lib.14.*

PERIVRIVM.

Commiſſa periurio fraus in nepotes redundat.*Pauſan.lib.2.*

Periurium ad Dei contemptum refertur. *Nicephor. Gregoras,hiſtor. lib.10.*

PERIVRVS.

Difficile eſt periurum hominem Deum latere.*Polyb.lib.4.*

Qui iureiurando fallit hoſtem, hunc ſe metuere, Deum contemnere fatetur. *Plutarch. in Lyſandro.*

PERSEVERANTIA.

Nulla re vtili abſtinendum eſt propter apparentem difficultatem ſed comparandus habitus,quo cunčta bona mortalibus comprehenſibilia redduntur, ea maximè in quibus ſæpenumero ſumma ſalutis ſita eſt.*Polyb.hiſt.lib.10.*

Nonnulli perinde atque imperiti ac vecordes curſores,relicto primo feruore,cœptis deſiſtunt:aliqui verò hoc ipſo potiſſimum aduerſarios ſuperant, quod in propoſito conſtanter perdurant. *Idem, libro 16.*

Perſeuerantia in omni genere militiæ, maximè tamen in obſidēdis vrbibus neceſſaria eſt: quarum pleraſque, munitionibus ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame ſitíque tempus ipſum vincit,atque expugnat.*Liuius,Decad.1.lib.5.*

Ad diſciplinam militiæ plurimum intereſt, inſueſcere militem non ſolùm parta victoria frui, ſed ſi res etiam lentior ſit,pati tędium, & quamuis ſeræ ſpei exitum expectare:& ſi non ſit æſtate perfectum bellum,hyemem opperiri: nec, ſicut æſtiuas aues, ſtatim autumno tecta ac receſſum circumſpicere. Obſecro vos, venandi ſtudium ac voluptas homines per niues ac pruinas in montes ſyluáſque rapit:belli neceſſitatibus eam patientiam nõ adhibebimus,quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet?adeóne effeminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus, adeo molles animos,vt hyemem vnam durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint?vt tanquam nauale bellum tēpeſtatibus captandis, & obſeruando anni tempore gerant?non ęſtus, non frigora pati poſſint?Erubeſcāt profectò ſi quis hæc obiiciat,contendántque & animis & corporibus ſuis virilem patientiam ineſſe, & ſe iuxta hyeme atque æſtate bella gerere poſſe, neo ſe patrociniũ mollitiæ inertiæque mandaſſe tribunis: & meminiſſe hanc ipſam poteſtatem non in vmbra non in tectis maiores ſuos creaſſe. *Idem, ibid.*

Perſeuerantia vi eſt efficacior,

teſte Sertorio, multáque quæ vno impetu confici non poſſunt, paulatim abſoluuntur. Eſt enim adſiduitatis vis inuicta, qua omnem ſuperat excinditque potentiam tempus, quod plurimum auxilij fert iis, qui prudenter occaſionem captant, idémque tempus infeſtiſſimum eſt iis, qui importuna feſtinatione vtuntur. *Plutarch. in Sertorio.*

PERSONA.

Interdum perſona vt exemplo nocet ita, inuidiam auget aut leuat. *Velleius Paterc. libro 2.*

PERSVASIO *ſuperuacua.*

Quibus propriæ res geſtæ aut inimicorum debilitas fiduciam præbent, nihil puto verbis ad perſuaſionem indigere. *Procop. de bello Vandil lib.2.*

PERTVRBATIO. *mentis.*

Omnia plerunque, quæ abſunt, vehementius hominum mentes perturbant. *Cæſar, lib. 7. de bello Gall.*

PERVICACIA *hominum.*

Plerunque accidit vt multi ea quæ ſunt impoſſibilia propter ſpes apparentes concupiſcentia rationem ſingulorum ſuperante appetant: & vbi res ipſas opere aggreſſi ſunt, nullo pacto à propoſito declinare ſuſtineant, eò quòd mēte ſint obtenebrata & ſeducta, propter connatuum impoſſibilitatem, & moleſtiam eorum quæ occurrunt. *Polyb. hiſt. li.16.*

PHILOSOPHI.

Ludouicus XI. idem Philoſophis vſu venire aiebat, quod his qui medendi curam ſibi vendicant: qui accutiſſimè quidem de cauſis principiiſque morborum differant, magnámque partem in his occupati ſint: ita eorum perexigua ſit oratio qua medeantur ægris. *Ar. Ferro. lib.3.*

PHILOSOPHI *nomine tenus.*

Ipſi illi philoſophi, etiam in his liberis quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribūt: vt in eo ipſo quo prædicationem nobilitatémque deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari velint. *Amm. Marcell. lib.22.*

PHILOSOPHI *veri.*

Doctores ſapientiæ ſola bona quæ honeſta, mala tantùm quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteráque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant. *Tacitus, hiſt. lib.4.*

PHILOSOPHIA.

Veri philoſophi philoſophiam non verborum ſed præclarorum facinorum exercitationem putāt. *Dionyſ. Halic. lib.11.*

Illa vehemens & conſtans animi militia, literis pellens venerabiliū doctrinę ſacrorū antiſtes Philoſophia, vbi pectore recepta eſt hominū inhoneſto atq; inutili affectu diſpulſo, totos in ſolido virtutis monumento confirmat potentiores metu ac dolore faciens. *Valer. Max. lib.3. cap.3.*

Florent ciuitates, ſi philoſophi imperant, aut imperatores philoſophantur. *Iul. Capitol. in M. Ant. Philoſopho.*

PHILOSOPHIÆ *arcana impuris non communicanda.*

Pythagorici vetant ne arcana philoſophiæ impuris adhuc animis

mis communicentur. Nefas enim eſſe, vt ea quæ magnis laboribus parta ſint, cuiuis offerantur. prætereà publicè philoſophandi conſuetudinem magnum apud mortales rerum ſublimium contẽptum peperiſſe. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. lib.8.*

PIETAS.

Philoſophis Æmilius Paulus teſtem ſe præbuit, qui pietatem ſcientiam eſſe colendi Numinis definierunt. *Plutarch. in Æmyl. Paulo.*

Plus apud bonos pietatis iura quàm omnes opes valent. *Iuſtin. hiſt. lib.3.*

Græci Æneæ pietate oblectati vniuerſas poſſeſſiones ei reliquerunt: confitentes erga eos qui pietatem in Deos exercent, quique parentes reuerenter colunt, etiam natura inimicos non poſſe non æquos & placatos ſe prębere. *Æl. var. hiſt. lib.3. cap.24.*

Vera & ſola pietas eſt neceſſaria: qua conſeruata iis qui rectè viuere inſtituerunt cætera deſpicienda ſunt. *G. Pachymer. hiſt. lib.5.*

PIETAS *in parentes.*

Commendabilis eſt pietas quæ parentibus præſtatur. *Valer. Max. lib.5. cap.4.*

Diligere parentes, prima Naturæ lex eſt. *Idem, ibid.*

Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas verò in parentes amoris plurimùm meretur. *Idem, ibid.*

Prima & optima rerum natura pietatis eſt magiſtra, quæ nullo vocis miniſterio, nullo vſu literarum indigẽs, propriis ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infundit. Quid ergó doctrina proficit? vt politiora ſcilicet, non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem ſolida virtus naſcitur magis, quàm fingitur. *Ibidem.*

PIETAS *propter liberos non violanda.*

Mea ſententia is prudentiſſimè rebus ſuis conſulet, qui primùm ſuapte cauſa optima quæque fuerit amplexus: deinde liberis etiam & cognatis ſuis proſpexerit. Qui verò toto animo incertam gloriolam aucupatur, & iis caſibus qui animũ obruunt, nec conſtantiæ quicquam habent, ſe ſubiicit, & iucundiſſima optimis, ſiue ſua ſiue ſuorum cauſa anteponit: is miſer mihi videtur, tum ob temeritatem, tum propter inane ſtudium: quòd pręter Deum, eius voluntati & conſiliis aduerſantem, eueſtigiò etiam euidenter alia quàm ſperarat experitur, & in extremas præcipitatur miſerias. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib.5.*

PIETATIS *amor.*

Nequis vir pius principem reuereri, quum ipſa religionis pietas in diſcrimen adducitur: perſonas non reſpicit, nec potentia ſubnixos formidat. *Cõſtant. Manaſſ. Annal. pag.80.*

PIORVM *&* *impiorum in morte diſcrimen.*

Quid damni eſt Chriſtiano ad vitam æternam inhianti, huic ſeculo quolibet tempore & quoquo pacto abſtrahi? Quid autem lucri eſt pagano in medio Chriſtianorum aduerſus fidem obdurato, ſi paulò diutius diem protrahat quãdoquidem moriturọ deſperata cõuerſio eſt? *P. Oroſius, hiſtor. lib.7. cap.41.*

ex Spartana dura illa & horrida diſciplina manſit? Generoſius in ſua quicquid ſede gignitur, inſitũ alienæ terræ in id quo alitur, natura vertente ſe degenerat. *Liuius, Decad.4. lib.8.*

POPVLORVM
natura.

Adeo mobilis ac infida populorum natura eſt, vt facilè quos deſertos à fortuna conſpexerint, ſtatim ſoluto pudore deſtituat. *P. Iouius, hiſt. lib.2.*

POPVLVS.

Populari multitudine nihil eſt neque inſipientius, neque inſolentius. Itaque eos qui tyranni inſolentiam fugiunt, in plebis effrænatæ inſolentiam incidere, nequaquam tolerandum eſt. Nam tyrannus ſi quid facit, intelligens facit: ac plebi nulla intelligentia ineſt. vnde enim intelligentia ei adſit qui nec edoctus eſt, nec nouit honeſtũ quicquam, ne in ſua quidem familia, & qui ad rès agendas ſine conſilio præceps ruit torrenti ſimilis? *Herodot. lib 3*

Plebe imperante, fieri non poteſt quin malitia exoriatur. *Id. ibid.*

Reliqua turba (populus) eſt ciuitatis corpus, vim ac robur ad virorum præſtantiſſimorum conſilia exequenda miniſtrans. *Dionyſ. Halic. lib.3.*

Plerunque fieri comperimus in populo, vt conſultores ipſi coniecta prius & explorata auditorum voluntate, ſententias eò cunctas ad gloriam dirigant. Nam qui oratoris comprobat ſermonem, quive intentius dicenti aſſentiendo aſſiſtit, hic procul dubio quid ipſe ſentiat, quidve potiſſimum exoptet, inſinuat. Nec enim in perorantis exiſtit arbitratu volũtas multitudinis: ſed populus ipſe, ſi quem optima ſemper conſulta trahunt, pro more ſuo oratores aſſuefacit ad conſilia ſemper optima diſſerenda. *Diodor. Sicul. hiſt. lib.13.*

Illud mihi præclarè dictum videtur, hominem nimis Reipublicæ adminiſtrationi deditum, & populari aura fidentem, haud vnquam feliciter diem extremum claudere. *Pauſan. lib.1.*

Poteſt aliquis facilius vrbem humilem, ſi rebus aduerſis laboret, erigere, cùm eam neceſſitas cogat ſapientis conſilio obtemperare, quàm populo ſecundis rebus elato ac ferocienti frenum iniicere, quo eius petulantiam atque temeritatem compeſcat. *Plutarch in compar. Pericl. & Fab. Max.*

Solet populus ſublimes metuere, ideóque abiectos extollere: & non contemni ſe à potentioribus vulgus ſummi honoris loco habet. *Idem, in Nicia.*

Sanè videtur populus rebus præſertim ſecundis inſultare bonis viris, fortunæ fauore & rerum ſtatu læto elatus; contra tamen fieri ſolet. Nam res aduerſæ moroſos ſemper multitudinis animos efficiunt, irritabiléſque, & qui leuiſſimam ob cauſam iras concipiant: aures quoque difficiles & delicatas, ac quæ ab omni ſermone ac verbo vehementiori lædantur. Peccata enim increpans aliquis, exprobrare eis infortunium videtur, & liberè ſi loquatur contemnere. Ac quemadmodum vulneratas & exulceratas corporis partes mel offendit: ita ſæpenumero verus & prudens ſermo niſi admixtam habeat lenitatem & obſequium, mordet & exaſ-

perat aduerſam fortunam expertos. atque hoc eſt opinor, cur Homerus ea quæ dulcia ſint, animo obſecundantia dixerit, nempe quod ei animæ parti quæ voluptatẽ percipit concedãt, neque ei repugnẽt. Atque vt oculus inflammatione laborans vmbroſos & obſcuros colores libenter inſpectat, ſplẽdidos & luminoſos auerſatur: itidem ciuitas rebus parum proſperis vtẽs meticuloſior eſt, & delicatior, quàm vt perferre liberi oris ſermones poſſit: cùm quidẽ hi maxime tum requirantur, quod correctionem eorum quæ peccantur ſtatus rerum non admittit. Itaque eo tempore in Republica verſari, periculoſiſſimum eſt: nam & qui grata populo loquũtur, vnà pereunt: & qui ſecus faciunt, ab eo perduntur. Quemadmodum igitur ſolem mathematici perhibent neque eodem quo cœlũ motu ferri, neque prorſus tamen contrario, ſed obliquo & deflexo curſu leuiter incuruis circuitionibus conuerti, quibus temperat omnia quàm rectiſſimè & cõſeruat: ita in Republica etiam adminiſtranda rectus nimis, & vbique populari ſententiæ repugnans tenor, durus eſt & inhumanus, rurſuſque ad perniciem procliue eſt, obſequi per omnia, & vnà cum peccantibus abripi ſe pati. Quæ verò & morem gerit aliquando petentibus, & gratificatur aliquid, gratiámque rurſus commodi publici cauſa repoſcere nouit gubernatio hominum, multis rebus placidè atque vtiliter, ſi non pro imperio omnia exequi, cogantur, ſubſeruientium: ea demum vt ſalutaris, ita & perdifficilis eſt laboris, grauitatem habẽs cum manſuetudine coniunctam. Quæ duo ſi inter ſe commiſceãtur, nulla profectò modorum aut ſonorum concinnior dici poteſt ſuauiórque harmonia: quomodo etiã Deus temperare mundum dicitur, non cogendo, ſed neceſſitatem obtemperandi perſuadendo deliniẽs. *Idem, in Phocione.*

Multitudo coaleſcere in vnius populi corpus nulla re poteſt, præterquam legibus. *Liuius, Decad.1. lib.1.*

Populi turba nouarum rerum eſt auida. *Id. ibid.*

Multitudo ſemper fermè regenti eſt ſimilis. *Liuius, Decad.1. libro 5.*

Populus tãtiſper eum qui aliquid ipſis parauit, in memoria habet, dum nulla acceſſio recens ſuperuenit: ſempérque ad id quod de nouo partum eſt (quantumuis id prius re minus ſit) conſuetam ſuam ob ſatietatem, nouarúmque rerum cupiditatẽ, ſumma promptitudine ſe inclinat, inuidiáque adducta plebs omne id quod prius magna in exiſtimatione fuit, euertit, proptérque ſpes ſuas id quod ſe recens oſtentat euehit. *Dion, lib.39.*

Faſtidioſus eſt in æſtimandis bonis ſuis populus. *Valer. Maxim. lib. 5. cap.4.*

Neminem illuſtrem populus ſine æmulo ſinit. *Tacitus, Annal. lib.14.*

Eſt nouarum rerum cupidus populus pauidúſque. *Tacitus, Annal. lib.15.*

Sunt procacia vrbanæ plebis ingenia. *Idem, hiſt. lib.3.*

Sæpenumero populus ad furorem vſque accenſus ignem ipſum vincere ſolet. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag.161.*

Per

Per ſe populus eſt corpus ſine pectore. Cor vitale ac ſpiritus populi, Rex eſt. *P. Æmyl. lib.8.*

Populus ſæpe magis voluntatem quàm rationem ducem ſequitur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.6.*

Suapte natura eſt ingratus rerúmque nouarum cupidus populus. *lib.9.*

Populorum natura rerum nouarum cupida eſt, & hominum ſe à præſentibus malis liberandi tam ardens ſtudium, vt quid poſtea futurum ſit non cogitent. *lib.14.*

Populus per ſe mobilis eſt, & rerum nouarum cupidus. *P. Iouius, hiſt. lib.2.*

POPVLI *aſſenſus.*

Reges Angliæ bellum, niſi conuocatis primis ordinibus, & aſſentiente populo ſuſcipiunt: quæ quidem conſuetudo valde mihi laudanda videtur. Interueniente enim populi voluntate & aſſenſu, creſcit robur & potentia Regum, & maior eſt ipſorum authoritas & feliciores progreſſus. *Ph. Cominæus, lib.5.*

POPVLI *ingenium.*

Omnium fermè populorum mos eſt, vt præſentia ſemper faſtidiāt. & noua temere expetant: vnde fit, vt intempeſtiuæ cupiditatis pœnas ſæpius perſoluant. *P. Iouius, hiſt. lib.3.*

POSSESSIO.

Nulla eſt diuturna poſſeſſio in quam gladio inducimur. *Curtius, lib.8.*

Quæ vel iuſto bello parta, vel ab eo qui dandi poteſtatem habeat tradita ſunt, hæc iniuſtè poſſideri quis arguat? *B. Facius, hiſtor. lib.2.*

POTENTIA.

Firmior eſt potentia, non iniuria afficere æquales, quàm ob præſens commodum attrahere pericula, etiam ſi vires augeantur. *Thucyd. lib.1.*

Magna potentia, eorum qui ipſam adepti ſunt, ingenium mutat, & vecordiam, iuſtabiléſque & inhumanos mores efficit. *Plutarch. in Sylla.*

Ea demum tuta eſt potentia, quę viribus ſuis modum imponit. *Valer. Max. lib.4. cap.1.*

Arduum eſt eodem loci potentiam & concordiam eſſe. *Tacit. Annal. lib.4.*

Potentia tutius habetur cautis quàm acrioribus conſiliis. *Idem, Annal. lib.11.*

Nunquam ſatis fida eſt potentia, vbi nimia eſt. *Idem hiſt. lib.2.*

Fortunæ vis licentiam nacta pernicioſa libidine mortales agit: quæ diu quidem virtute, vti muro prohibita, poſtquam penè omnes flagitiis ſubacti ſunt, etiam infirmis genere inſtitutóque publica permittit. *Aurel. Vict. libr. de Caſarib.*

Sic eſt comparatum in rebus humanis, vt quorum augeſcere videmus potentiam, eos magis obſeruemus, quàm illos, qui in ſupremo gradu poſiti, amplius progredi non poſſunt. *Ph. Cominæus, lib.10.*

Magis expetēda eſt potētia, quæ ſponte & voluntate, quàm quæ vi & neceſſitate conſeruatur: quia firmior, facilior, gratior, honeſtiórque eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.16.*

POTESTAS *impatiens conſortis.*

Collegarum in publicis functio-

nibus celſioribus, cùm natura quodammodo, tum magis ex inuidia ſocietas infida eſt: nec temerè fit, vt multi, præſertim potentes conſentiant. *Zonar. Annal. tom. 2.*

Vno diademate duo capita tegere, & imperium pluribus partiri, graue eſt & perturbatione plenum. *G. Pachymer. hiſt. lib. 3.*

POTESTAS *mores immutat.*

Ea eſt natura animorum humanorum, vt non iuuenes modò, verùm ætate etiam prouectiores, poſt quam multum temporis in poteſtate transegerint, patriis moribus haudquaquam ſibi viuẽdum ducant. *Dion, lib. 36.*

PRÆCEPTA *ſancta.*

Chriſti præcepta Chriſtianos omnes iubent ea facere hominibus, quæ ab iiſdẽ ſibi præſtari cupiant. *Nicetas in libr. de ſtatu Conſtantinop. Vrbis.*

PRÆDA.

Qui ad prædam, non planè euerſa hoſtium fortuna, ſe confert, non miles bonus eſt, ſed calo, quem vti mancipium tractare cuiuis licet. *Xenophon. de inſtitut. Cyri, lib. 4.*

Ab hoſtibus parta abundantia non ſolùm (mihi credite) commeatum, ſed immortalem gloriam apud omnes mortales parare ſolet. *Xenophon de rebus geſt. Græc. lib. 5.*

Quum veteres milites Romani è caſtris ad militiam egrediuntur, iurant omnes nihil ſe ex præda defraudaturos, ſed fidem ſecundũ datum ſacramentum ſeruaturos. Dum ſic diuiſi pars ad prædandum conuertitur, pars cuſtodiæ gratia in acie remanet, nunquam Romanis aliquid diſcriminis in vniuerſum auaritiæ vitio aboritur. Et enim nemo inter eos ſpe lucri fraudatur, ſed dum alij prædantur, alij conſtanter in acie permanentes iſtos cuſtodiunt: nec vllus reperitur qui aciem deſerat, id quod alij potiſſimum incommodare cõſueuit. Quandoquidem enim plurimi mortalium damnum accipiunt, & periclitantur lucri gratia, manifeſtum eſt quòd vbi illius occurrit occaſio, ægrè abſtineant, & ſeſe cohibeant, qui in acie vel caſtris relinquuntur: propterea quòd plerunque præda omnis in poteſtate eius eſt qui dominatur, ſi is omnino ſit monarcha: ſi verò dux, licet accuratè in cõmune cuncta lucri gratia comportentur, nihilominus tamen cuncti pro ſuo deputant quicquid abſcondi ac defraudari poteſt. Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atque ita plenam victoriam obtinere nequeunt, fit vt de ſumma rerum periclitentur. Multis hoc accidit, vt licet facti ſint voti compotes, & vel in caſtra hoſtium irruerint, vel ciuitates cœperint, attamen non ſolùm eiecti ſint, ſed & totius cauſæ periculum ac detrimẽtum incurrerint: ob nullam videlicet aliam quàm dictam iam cauſam. Quapropter nihil tantopere curandum ac prouidẽ diſponẽdum eſt ducibus, atque hoc ipſum de quo loquimur, videlicet, vt quantum fieri poteſt, ſpes ita apud pleróque maneat. quòd ſi eiuſmodi incidat occaſio, cunctis certa ſit æqualis lucri partitio. *Polyb. hiſt. lib. 10.*

Prædæ cupiditas multos longius enecat. *Cæſar, lib. 6. de bello Gall.*

Omnis cædes, & vulnera, & ſanguis.

guis, auiditate prædæ penſantur. *Tacit. hiſt. lib. 3.*

PRÆDATORES.

Auidæ in direptiones manus ocioſorum vrbanorum præripiunt fortium bellatorum præmia: & ferme euenit vt ſegnior ſit prædator, vt fortiſſimus quiſque laboris periculíque præcipuam petere partem ſoleat. *Liuius, Decad 1. lib. 5.*

Eius ſententiæ ſum, eiuſdem criminis eſſe reos, qui vim cuiquam inferat, & qui res proximo non volens reſtituat. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

PRÆLIA.

Prælia magis animis decernuntur, quàm corporum viribus. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib. 3.*

Hoſtes qui multitudine antecellunt, magis viribus quàm conſilio freti pugnam cient. His verò qui multò minorem exercitum habent, & non coacti pugnare tamen non detrectant pugnam, animum addit conſciẽtia peritiæ ſuæ. *Thucyd. lib. 2.*

Cum magna multitudine hoſtium, præſertim eo abſente, qui ſummam imperij teneret, niſi æquo loco aut opportunitate aliqua data, legato dimicandum Cæſar non exiſtimabat. *Cæſar, lib. 3. de bello. Gall.*

Petreius & Afranius nocturna prælia eſſe vitanda cenſebant, quod perterritus miles in ciuili diſſenſione timori magis quàm religioni conſulere conſueuerit: at lucem multum per ſe pudorem omnium oculis, multum etiam Tribunorum mil. & centurionum præſentiam afferre, quibus rebus coerceri milites, & in officio contineri ſoleant. *Idem, lib. 1. de bello ciuili.*

Proſperè gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia eſt: & in anguſtijs vtique pugnandi compulſum, abſtinere ſe prælio, peſtiferum ignauiæ adfert exitum. Eorúmque qui iſta committunt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuria reſiſtere neſcit. *Valer. Max. lib. 7. cap. 2.*

Etiam in multis legionibus pauci ſunt qui prælia profligent. *Tacit. Annal. lib. 14.*

Belli momenta aut ducis virtute aut fortunæ felicitate conſtant. *Procop. de bello Vandilico, libro 2.*

In præliis nihil quicquam apertè poteſt clamoribus denunciari, tum armorum præ crepitu, tum bellantium ſenſibus præ turba ac formidine occupatis. *Idem, de bello Goth. lib. 2.*

Præliorum euentus omnium actionum humanarum incertiſſimi ſunt. *Franc. Guicciardin. hiſtor. lib. 5.*

Plærunque accidit, vt prælia caſu potius quàm certo ducum decreto conferantur. *P. Iouius, hiſtor. lib. 1.*

PRÆLIVM.

Vbi ad manus & gladios ventum eſt, ibi mars eſt atrociſſimus. *Liuius, Decad. lib. 2.*

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. *Vegetius, lib. 1. cap. 1.*

PRÆLIVM *nocturnum.*

Prælium tota nocte varium anceps, atrox: his, rurſus illis, exitia-

bile. *Tacitus, hiſt. lib. 5.*

PRÆLIVM *non leuiter committendum.*

Eſt ſanè res plena periculi, dimicare prælio, propter incertiſſimum euentum. Nam etiam vt modica ſit accepta clades, fieri tamen non poteſt. quin aliqua fiat rerum conuerſio, partim metu hoſtium, partim contemptione & deſpectu illius, qui infeliciter pugnauit: oritur fremitus & indignatio militum, qui & magnis iacturis conciliandi ſunt. Optimum igitur eſt, vt qui prælium aduerſum fecit, contineat ſe, quantum fieri poteſt, intra ſuas munitiones, & experiatur, ſi qua ratione non difficili poſſit recuperare amiſſam gloriam, vt ſuis animum addat, & eos metu liberet. Dici enim non poteſt, quantas ſecum incommoditates trahat aduerſum prælium: vbi qui victoriam adeptus eſt, authoritatem ſuam amplificat, & facilè quiduis impetrat, & militem habet ad quæuis obſequentiorem. *Ph. Comineus, lib. 2.*

Periculi res plena eſt facere aduerſum prælium. Nec eſt, niſi neceſſariò, dimicandum: & ante prælium de ſumma rei cogitandum eſt. Nam qui meticuloſè aliquid faciunt & pauidè, melius fere rebus ſuis proſpiciunt, & ſæpius vincunt quàm illi, qui faſtuoſè & ſuperbè progrediuntur. *Idem, eodem lib. 2.*

PRÆLIVM *quando committendum.*

Nos de prælio cum hoſtibus cõſerendo agimus: ego verò, *inquit Triuultius*, illud maximorum Imperatorum firmamentum perpetuum ſemper eſſe, quod & ipſe vſu verum eſſe comperi, nunquam niſi vel magna rei bene gerendæ occaſio inuitet, vel neceſſitas cogat pugnæ fortunam eſſe periclitandam. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 9.*

PRÆLII *variæ rationes obſeruandæ.*

Conflictus publicus duarum vel trium horarum certamine diffinitur: poſtquam partis eius, quæ ſuperata fuerit, ſpes omnis intercidit. Ideo omnia ante cogitanda ſunt, ante tentanda, ante facienda, quàm ad vltimum veniatur abruptum. Boni enim duces, non aperto marte prælium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, vt integris ſuis, quantos poſſint hoſtes interimant certè vel terreant: in qua parte quę neceſſaria admodum ſunt, ab antiquis reperta perſcribam.

Præcipua res, & vtilitas ducis eſt, vt adhibitis ex vniuerſo exercitu ſcientibus belli, & ſapiētibus viris, de ſuis & hoſtium copiis ſæpius tractet, omni (quæ plurimum nocet) adulatione ſummota: vtrum maiorem numerum pugnatorum ipſe, an hoſtes habeant, vtrum ipſius an aduerſariorum homines magis armati ſint, & muniti: qui magis exercitati, qui ſint in neceſſitatibus fortiores.

Quærendum eſt etiam, vtra pars equites, vtra pedites habeat meliores. Sciendúmque in peditibus vel maximè conſiſtere robur exercitus: & inter ipſos equites, quis contatis, quis ſagittariis antecedat. Quis plures loricas induat, quis vtiliores equos adduxerit. Poſtremò loca ipſa, in quibus pugnãdum eſt, vtrum inimicis an nobis videantur accommoda. Nam ſi equitatu

tatu gaudemus, campos debemus optare. ſi pedite, loca eligere anguſta, foſſis, paludibus, vel arboribus impedita, & aliquoties montuoſa: cui magis victus abundet, aut deſit, nam fames (vt dicitur) intrinſecus pugnat, & vincit ſæpius quàm ferrum.

Maximè autem tractandum eſt, vtrum expediat neceſſitatem protrahi, an celerius dimicari: interdum enim ſperat aduerſarius expeditionem citò poſſe finiri: & ſi dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur, aut deſiderio ſuorum reuocatur ad propria: aut nihil magnum faciens per deſperationem abire compellitur. Tunc fracti labore & tædio plurimi deſerunt, aliquanti produnt, aliquanti ſe tradunt: quia aduerſis rebus fide rarior eſt, & nudari incipit qui copioſus aduenerat.

Ad rem pertinet qualis ipſe aduerſarius, vel eius comites ſint, noſſe: vtrum temerarij an cauti, audaces an timidi, ſcientes artem bellicam an ex vſu temere pugnantes, quæ gentes cum his fortes, quæve ignauę pugnauerint, noſtra auxilia cuius fidei, quarúmque ſint virium, quos animos illius copiæ, quos habeat noſter exercitus, quæ pars ſibi magis victoriam repromittat. Eiuſmodi enim cogitationibus virtus augetur aut frangitur. Deſperantibus autem creſcit audacia adhortatione ducis, & ſi nihil ipſe timere videatur. Creſcit animus, ſi ex inſidiis vel occaſione aliquid fortiter feceris, ſi hoſtibus aduerſæ res cæperint obuenire, ſi vel infirmiores aut minus armatos ex inimicis potueris ſuperare.

Cauendum autem eſt ne dubitantem, aut formidantem exercitũ ad pugnam publicã aliquando producas. Intereſt, tyrones an veteres milites habeas: vtrũ ante breue tẽpus in expeditionibus fuerint, an per annos aliquot in pace durarint. Nam pro tyronibus accipiẽdi ſunt qui pugnare longo tẽpore deſierũt. Sed cùm legiones, auxilia, vel equites ex diuerſis aduenerint locis dux optimus, & ſeparatim ſingulos numeros, per tribunos electos quorũ ſcitur induſtria, omni genere armorum exercere debet: & poſt in vnũ collectos, quaſi depugnaturos conflictu publico, exercebit ipſe. Sæpius tentabit quid artis poſſint habere, quid virium, quemadmodum ſibi ipſi conſentiant: vtrum ad tubarum monita, ad ſignorum indicia, ad pręcepta vel nutũ ſuum diligenter obtemperent. Si errant in aliquibus, exerceantur atque doceantur, quandiu poſſint eſſe perfecti. Si verò in campicurſione, in ſagittando, in iaculando, in ordinãda acie ad plenum fuerint eruditi, ne ſic quidem temere, ſed occaſione captata, ad publicam educendĩ ſunt pugnam. Sed ante prælijs minoribus imbuendi.

Dux itaque vigilans, ſobrius, prudẽs, tanquam de ciuili cauſa inter partes iudicaturus, adhibito conſilio, de ſuis & aduerſarij copiis iudicet. Et ſi multis rebus ſuperior inuenitur, opportunũ ſibi ne differat inire conflictum. Si verò aduerſarium intelligit potiorem, certamẽ publicum vitet. Nam potiores numero, & inferiores viribus, ſuperuẽtus & inſidias facientes, ſub bonis ducibus reportauerunt ſæpe victoriam. *Veget. lib. 3. cap. 9.*

In euentu aperti Martis

victoriæ plenitudo conſiſtit. Hoc ergo tempus eſt, quo tanto magis duces debent eſſe ſolliciti, quanto maior ſperatur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos. in quo momento peritiæ vſus, pugnandi doctrina, conſilium dominatur.

Veteribus ſeculis mos fuit, parco cibo curatos milites ad certamen educere, vt citatiores ſumpta eſca redderet, & longiore conflictu non fatigarentur inedia.

Preterea obſeruandum eſt præſentibus hoſtibus, ſiue ex caſtris, ſiue ex ciuitate producas ad præliũ, ne dum per anguſta portarum particulatim procedit exercitus, à collectis & præparatis debilitetur inimicis. Ideóque prouidendum eſt, vt omnes milites egrediantur portas, & aciem cõſtituant antequam hoſtes adueniant. Quòd ſi intra ciuitatem manentibus parati aduenerint, aut differatur egreſſus, aut certè diſſimuletur, vt cùm aduerſarij inſultare cœperint his quos non putant exituros, aut cùm ad prædam, vel ad redeundum cõuerterint animum, & ordines ſolue rint, tunc illis ſtupentibus lectiſſimi prorumpant, & conferti aggrediantur ignaros.

Obſeruandum autem, ne longo ſpacio fatigatum militem, ne laſſos poſt curſum equos ad publicũ prælium cogas. multum virium labore itineris pugnaturus amittit. Quid faciet, qui ad aciem anhelus aduentat? Hoc & veteres declinarunt, & ſuperiori noſtra ętate, cùm Romani duces per imperitiam nõ cauiſſent, (ne quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio eſt, laſſum cum requieto, ſudantem cum alacri, currentem cum eo, qui ſteterit, ſubire conflictum. *Vegetius libro tertio, capit.* 11.

Ipſa die quo certaturi ſunt milites, quid ſentiant diligenter conuenit explorare. Nam fiducia vel formido ex vultu, verbis, inceſſu, motibuſque cernitur. Nec confidas ſatis, ſi tyro prælium cupit: inexpertis enim dulcis eſt pugna. Et noueris te oportere differre, ſi exercitati bellatores dimicare metuunt. Monitis tamen ex oratione ducis exercitui virtus creſcit & animus: præcipuè ſi futuri certaminis talem acceperint rationem, quaſi ſint facile ad victoriam peruenturi. Tunc inimicorum ignauia vel error oſtendendus eſt: vel ſi ante à nobis ſuperati ſunt, commemorandum. Dicenda etiam, quibus militum mentes in odium aduerſariorum, ira, & indignatione moueantur.

Animis penè omnium hominũ hoc naturaliter euenit, vt trepidet cùm ad conflictum venerint. Sine dubio autem formidoloſiores (id eſt, meticuloſiores) ſunt, quorum mentes ipſe confundit aſpectus. Sed hoc remedio formido lenitur, ſi antequam dimices, frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines, vnde & videre hoſtẽ, & agnoſcere conſueſcant. Interdum audeant aliquid ex occaſione, aut fugent, aut interimant inimicos, mores aduerſariorum, arma, equos recognoſcant. Nam quæ ex vſu ſunt, non timentur. *Idem, eodem libr. cap.* 12.

Bonum ducem conuenit noſſe magnam partem victoriæ, ipſum locum, in quo dimicandum eſt, poſſi-

poſſidere. Elabora ergo, vt conſerturus manum, primum auxilium captes ex loco qui tanto vtilior iudicatur, quanto ſuperior fuerit occupatus. In ſubiectos enim vehementius tela deſcendunt, & maiore impetu obnitentes pars altior pellit. Qui aduerſo nititur cliuo, duplex ſubit, & cum loco & cum hoſte certamen. Sed illa diſtantia eſt, quòd ſi de peditibus tuis victoriam ſperas contra equites hoſtiū, loca aſpera, inæqualia, montuoſa debes eligere. Si verò de equitibus tuis contra aduerſarij pedites victoriam quæris, ſequi debes paulò quidem editiora loca, ſed plana atque patentia, neque ſiluis, neque paludibus impedita. *Eodem libr. capit.* 13.

Ordinaturus aciem tria debet ante proſpicere, ſolem, puluerem, ventum. Nam Sol ante faciem eripit viſum: ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hoſtium adiuuat tela. Puluis à fronte congeſtus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare ſolent: ſed duci prouido cauendum eſt in futurum, ne poſt paululum accedente die noceat ſolis murata conuerſio, ne ventus aduerſus hora ſolita eo pugnante naſcatur.

Ita ergo conſtituantur ordines, vt hæc poſt occipitium noſtrum ſint, & (ſi fieri poteſt) aduerſariorū impetant faciem. Acies dicitur exercitus inſtructus: frons, quę aduerſus hoſtem ſpectat. Hæc in pugna publica, ſi ſapiēter diſponitur, plurimum iuuat: ſi imperitè, quamuis optimi bellatores ſint, mala ordinatione franguntur. *Eodem libr. capit.* 14.

Scire dux debet cōtra quos globos hoſtiū quos equites oporteat poni. Nam neſcio qua occulta ratione, immo penè diuina, alij contra alios dimicant melius: & qui fortiores vicerant, ab inferioribus ſæpe vincuntur. Quod ſi equites impares fuerint, more veterum velociſſimi pedites ad hoc ipſum exercitati iiſdem miſcendi ſunt, quos expeditos velites nominabant. Quo facto quamuis fortiſſimi hoſtium venerint equites, tamen aduerſus mixtum agmen pares eſſe non poſſunt. *c.* 16.

Optima ratio eſt, & ad victoriā plurimum confert, vt lectiſſimos de peditibus & equitibus, cum vicariis, comitibus, tribuniſque vacantibus, habeat dux poſt aciem in ſubſidiis præparatos: alios circa cornua, alios circa medium, vt ſicubi hoſtis vehementius inſiſtit, ne rumpatur acies, prouolent ſubitò, & ſuppleant loca: additáque virtute, inimicorum audaciam frangant.

Quòd ſi bellatorum tibi copia non abundat, melius eſt aciem habere breuiorem, dummodo in ſubſidiis colloces plurimos *c.* 17.

Dux qui præcipuam ſuſtinet poteſtatem, inter equites & pedites in parte dextra ſtare cōſueuit. Hic enim locus eſt, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus eſt liberque procurſus. Ideo autem inter vtrunque conſiſtit, vt & conſilio regere, & autoritate tam equites quàm pedites ad pugnam hortari poſſit. Hic de equitibus ſupernumerariis, mixtis peditibus expeditis, aduerſariorum ſiniſtrum cornu, quod contra ipſum ſtat, circuire, & à tergo ſemper vrgere debet.

Clamor non prius debet attolli, quàm acies vtraque ſe iunxerit. Imperitorum enim, vel ignauorum eſt, vociferari de longè, cùm hoſtes magis terreantur, ſi cum telorum ictu clamoris horror acceſſerit.

Semper autem ſtudere debes, vt prior inſtruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudicas, cùm nullus obſiſtit: deinde & tuis auges confidentiam, & aduerſariis fiduciam minuis: quia fortiores videntur, qui prouocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formidare, qui vidēt contra ſe acies ordinari. Huic additur maximum commodum, quia tu inſtructus paratúſque ordinantem & trepidum aduerſarium præoccupas. Pars enim victoriæ eſt, inimicum turbare antequam dimices. *cap. 18.*

Illud obſeruandum eſt, quo nihil melius inuenitur, vt ſine ſolo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortiſſimos ponas: ſiue ſiniſtro, ibi ſtrenuiſſimos colloces: ſiue in medio cuneos facere volueris, per quos acies hoſtium rumpas, in cuneo exercitatiſſimos ordines milites. Victoria enim per paucos fieri conſueuit. Tantum eſt, vt electi à duce ſapientiſſimo, in his locis, in quibus ratio & vtilitas poſtulat, ordinentur. *c. 20.*

Plerique rei militaris ignari, pleniorem victoriam credunt, ſi aduerſarios aut locorum anguſtiis aut armatorū multitudine circundederint, vt aditum non inueniant abſcedendi. Sed clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Libenter cupit commori, qui ſine dubio ſcit ſe moriturum. Ideóque Scipionis laudata ſententia eſt, qui dixit, viam hoſtibus, qua fugiant, muniendam. Nam cùm abſcedendi aditu patefacto, mentes omniū ad præbenda terga conſenſerint, inulti more pecudum trucidātur. Nec inſequentium vllum periculum eſt, cùm victi (quibus defendi poterant) arma conuerterint. Hoc genere quantò maior fuerit exercitus, tātò facilius multitudo proſternitur. Neque enim ibi requirēdus eſt numerus, vbi animus ſemel territus, non tam tela hoſtium cupit declinare quàm vultum. Cæterùm clauſi, licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipſo tamen ſunt hoſtibus pares, quia deſperantes ſciunt aliud ibi licere non poſſe. Nam vna ſalus victis nullā ſperare ſalutem. *c. 21.*

Vnum ſupereſt docere, ſi conſilium prælij diſpliceat, quemadmodum recedamus ab hoſtibus. Nam diſciplinæ bellicæ & exemplorum periti nuſquam maius periculum imminere teſtantur. Qui enim ante congreſſum recedit ex acie, & ſuis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam. Verùm quia hoc ſæpius neceſſe eſt euenire, quibus modis tuto poſſit fieri, declarandum eſt.

Primùm, vt tui neſciant, ideo te recedere, quia declinas inire conflictum, ſed credant arte aliqua ideo ſe reuocari, vt ad opportuniorē locum inuitetur hoſtis, ac facilius ſuperetur: aut certè inſequentibus aduerſariis ſecretiores collocentur inſidiæ. Nam neceſſe eſt, ad fugam parati ſint, qui ducem ſuum ſentiunt deſperare.

Illud quoque vitandum eſt, ne

hoſtes

hoſtes te recedere ſentiant, & ſtatim irruant. Propterea plerique ante pedites, equites poſuerunt, vt diſcurrentes aduerſarios videre nõ ſinerent, quando pedites abſcedebant. Item articulatim incipientes à primis, ſingulas acies ſubducebant, retróque reuocabant, in gradu ſuo manentibus reliquis, quos cenſim poſtea ceſſimque ad illos iungebant, quos primùm ſubduxerant.

Aliquanti exploratis itineribus, noctu cum exercitu recedebant: vt hoſtes die orto, cùm intellexiſſent, non poſſent comprehendere præcedentes. Præterea leuis armatura præmittebatur ad colles, ſub quos ſubitò totus reuocaretur exercitus: & ſi hoſtes inſequi voluiſſent, à leui armatura, quæ ante occupauerat locum, additis equitibus, fundebantur. Nihil enim periculoſius exiſtimant, quàm ſi inconſultè inſequentes, ab his qui in ſubſeſſa fuerint, vel qui ante ſe parauerint, obſeruentur. Hoc tempus eſt, quo opportunè collocantur inſidiæ, quia aduerſus fugientes maior audacia & minor cura eſt. Neceſſario autem amplior ſecuritas, grauius ſolet habere diſcrimen.

Imparatis, cibum capientibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcẽtibus, ac nihil tale ſuſpicantibus ſuperuentus aſſolent fieri. Quod & nobis vitandum eſt, & hoſti in eiuſmodi occaſionibus pernicies inferenda. Hoc enim caſu oppreſſis, nec virtus poteſt, nec multitudo prodeſſe: quia qui in acie, publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum profit, tamen ad defenſionem ſuam poteſt accuſare fortunam. Qui verò ſuperuentus & ſubſeſſas paſſus eſt, culpam ſuã non poteſt excuſare: quia hæc & vitare potuit, & per ſpeculatores idoneos ante cognoſcere.

Cùm receditur, talis fraus ita fieri conſueuit. Recto itinere pauci equites conſequuntur, valida manus occultè per alia mittitur loca: vbi ad agmen inimicorum peruenerunt equites, tentant leuiter atque diſcedunt. Illi credunt quicquid inſidiarum fuerit, prçteriiſſe, & ſine cura reſoluuntur in negligentiam. Tunc illa manus quæ ſecreto itinere deſtinata fuerat, ſuperueniens opprimit ignorantes.

Multi cùm ab hoſte diſcedunt, ſi per ſiluas ſunt ituri, præmittunt qui anguſta vel abrupta occupent loca, ne ibidem patiantur inſidias. Et rurſus poſt ſe præciſis arborib. vias claudunt, quas compedes vocant, vt aduerſariis facultatem adimant perſequendi, & penè vtrique parti in itinere ad ſubſeſſas communis occaſio eſt. Nam qui prçcedit opportunis vallibus vel ſiluoſis montibus poſt ſe relinquit inſidias, in quas cùm inciderit inimicus, recurrit ipſe & adiuuat ſuos. Qui verò ſequitur, aduerſis ſemitis longè ante deſtinat expeditos, vt præcedentem aduerſarium arceat tranſitu, deceptúmque à tergo & à fronte concludat.

Dormientibus noctu aduerſariis, & qui præceſſit poteſt regredi, & qui ſequitur, quantumuis interſit, poteſt ſuperuenire per fraudẽ. In transfretatione fluuiorum, qui præcedit, illam partem tentat opprimere, quç prima tranſierit, dum reliqui alueo ſeparantur: qui autem ſequitur itinere feſtinato, il-

los qui nondum potuerunt tranſire,conturbat. *Vegetius libro tertio,capit.22.*

Sciendum verò eſt, ſi pars exercitus vicerit & pars fugerit, minimè deſperandum, cùm in eiuſmodi neceſſitate ducis conſtantia totam ſibi poſſit vendicare victoriã. Innumerabilibus hoc accidit bellis,& pro ſuperioribus ſunt habiti, qui minimè deſperarunt. Nam in ſimili conditione fortior creditur,quem aduerſa non frangunt. Prior ergo de cæſis hoſtibus ſpolia capiat,colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Hac fiducia perterrebit inimicos,& ſuis fiduciam geminabit,quaſi victor ex omni parte diſceſſerit.

Quòd ſi aliquo caſu omnis in acie fundatur exercitus,pernicioſæ cladis tamen reparationis fortuna non defuit, & medicina quærenda eſt.Dux ergo prouidus ſub ea cautela debet publico marte conſligere,vt ſi quid pro varietate bellorũ, vel conditionis humanæ ſecus acciderit, abſque graui detrimento liberet victos. Nam ſi vicini colles fuerint,ſi poſt terga munitio,ſi cæteris abſcedentibus fortiſſimi quique reſtiterint, ſe ſuóſque ſeruabunt. Frequenter iam fuſa acies, diſperſos,ac paſſim ſequentes, reparatis viribus interemit. Nunquam exultantibus maius ſolet eſſe diſcrimen,quàm cùm ſubitò ferocia in formidinem commutatur.

Sed quicunque euentus fuerit, colligendi ſuperſtites,bello erigẽdi adhortationibus congruis, & armorum inſtauratione refouendi. Tunc noua dilectus, noua quæruntur auxilia:& (quod amplius prodeſt) captatis occaſionibus in ipſos victores per occultas inſidias impetus faciendus eſt, ac ſic audacia reparanda. Nec opportunitas deſit,cùm pro felicitate ſuperbius & incautius mentes efferantur humanæ. Si quis hunc caſum vltimũ putat,cogitet euentus omniũ præliorum,inter initia contra illos magis fuiſſe,quibus victoria debebatur.*c.25.*

In omnibus præliis expeditionis conditio talis eſt, vt quod tibi prodeſt,aduerſario noceat: quod illum iuuat, tibi ſemper officiat. Nunquam igitur ad illius arbitriũ aliquid facere, aut diſſimulare debemus,ſed id ſolùm agere, quod nobis vtile iudicamus. Contra te enim eſſe incipis, ſi imiteris quod fecit ille pro ſe: & rurſus quicquid pro tua parte tentaris,contra illum erit, ſi voluerit imitari.*capit.26.*

In bello,qui plus in angariis vigilauerit,plus in exercendo milite laborauerit, minus periculum ſuſtinebit.*Ibid.*

Nunquam miles in aciem producendus eſt, cuius antea experimenta non didiceris.*Ibid.*

Aut inopia, aut ſuperuentibus, aut terrore melius eſt hoſtem domare,quàm prælio:in quo amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quàm virtus.*Ibid.*

Melius eſt poſt aciem plura ſeruare preſidia,quàm latius militem ſpargere.*Ibid.*

Difficile vincitur, qui verè poteſt de ſuis, & de aduerſarij copiis iudicare.*Ibid.*

Amplius iuuat virtus quàm multitudo. *Ibid.*

Amplius

Amplius prodeſt locus ſępe, quã virtus. *Ibid.*

Nunquã ad certamen publicum produxeris militem, niſi cùm eum videris ſperare victoriam. *Eodem capit.*

Qui diſperſis ſuis inconſultè ſequitur, quàm ipſe acceperas, aduerſario vult dare victoriam. *Ibid.*

Qui multitudine & virtute pręcedit, quadrata dimicet fronte. Qui imparem ſe iudicat, dextro cornu ſuo ſiniſtrum pellat inimici. Qui ſiniſtram alam fortiſſimam habere ſe nouerit, dextram alam hoſtis inuadat. Qui habet exercitatiſſimos milites, in vtroque cornu pariter prælium debet incipere. Qui leuem armaturam optimam regit, vtranque alam hoſtis inuadat, ferentariis ante mediam aciem conſtitutis. Qui nec numero militum, nec virtute confidit, ſi depugnaturus eſt, de dextra ſua ſiniſtram alam hoſtium pulſet, reliquis ſuis in ſimilitudinẽ veru porrectis. Qui pauciores infirmioréſque habere ſe nouit, ex vno latere aut montem, aut ciuitatem, aut mare, aut fluuium, aut aliquod debet habere ſubſidium. *Eodem capite.*

Boni duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione aut nimia neceſſitate confligunt. *Ibidem.*

Quo genere depugnaturus ſis, neſciant hoſtes: ne aliquibus remediis reſiſtere moliantur. *Ibid.*

PRÆMIA.

Nihil in rebus humanis inæqualius eſſe duco, quàm & fortem & ignauum æqualibus pręmiis ornari. *Xenophon de pædia Cyri, libro ſecundo.*

Nihil non aggreſſuri ſunt homines, ſi magna conatis magna præmia proponantur. *Liuius, Decad. 1. libr. 4.*

Sui laboris milites ſemper, euętu belli, præmia petiuerunt. *Cæſar, l. 2. de bel. ciuil.*

Vbi malos præmia ſequuntur, haud facilè quiſquam gratuitò bonus eſt. *Salluſt. in Fragm. hiſt.*

Leuanda eſt paupertas eorũ hominum, qui diu reipub. viuentes, pauperes ſunt: & nullorum magis. *Fl. Vopiſc. in Claudio.*

Præmiis magnorum etiam virorum animi excitantur. *Ar. Ferron. l. 1.*

PRÆSAGIA.

Signa oſtenduntur, inquit Tullius, a diis, rerum futurarum. In his ſi quis errauerit, non deorum natura, ſed hominum coniectura errauit. *Am. Marcell. l. 21.*

PRÆSENTIA *faſtidium pariunt.*

Ea quæ adſunt plerunque ſatietas comitatur, voluptatémque imminuit: quòd & plurium ſenſuum adminiculo ſubinde animi receſſibus ingeruntur, & iis pro libidine vti & abuti licet. Contrà verò quæ prætererierunt nihil habent faſtidij, quòd rarò, vni ferè aurium ſenſui offeruntur. Nam melle & carnibus, cæteriſque diuitis menſæ deliciis ſatiati, caſeum interdum & thymum deſiderant: non quòd hæc illis præſtent, ſed propter raritatem requiruntur. Quòd ſi hæc ita ſunt, vt præſentia faſtidium comitetur: cætera quæ ex internallis & videntur & audiuntur, adeo nos non ſatient, vt vehementius deſiderentur. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr. 8.*

PRÆSIDIARII *fugati.*

In caſtra ad ſuos refugi cuncta formidine implent, augendo rumoribus virtutem copiaſque hoſtium, quo amiſſi præſidij dedecus leniant. *Tacit. hiſt. l.* 3.

PRÆSIDIVM *vrbium.*

Magna ſtultitia eſt, præſidium, præſertim Barbarorum, in vrbem inducere, quod aut viribus, aut multitudine magis quàm ciues pol leat. *Polyb. l.* 2.

PRÆSTANTIA *principis.*

Cuius partes potius ſunt, vt plurimum cæteris proſit, quàm eius qui plurimùm poteſt? quis contrà minorem delinquendi cauſam habet? Cuius verò eſt, prudentiſſimè muneribus cæleſtibus vti, potius quàm eius in quem illi ſumma contulerunt? Quis præſentia bona rectius adminiſtranda curabit atque is qui plurima poſſidet, præque reliquis, ne ea amittat, timet? *Dion, lib.* 43.

Mihi iniquus is videtur, qui quę aduerſariis ſuis vitia obiecerit, eorundem ipſe coargui poteſt. neque velim ſanè quibus actionum ſimilitudine componi, merear, iis ſolius victoriæ gloria præſtare. *Idem, ibidem.*

PRÆTERITA.

Præterita magis reprehendi poſ ſunt, quàm corrigi. *Liuius, Decad.* 3. *libr.* 10.

PRAVORVM *conſortium vitandum.*

Scripſit Charondas legiſlator Thurius legem de conſuetudine ciuium prauorum, & confabulatione, profectò elegantem, à cæteris ſcilicet legumlatoribus prætermiſſam. Nam conſiderata humanæ mentis inconſtantia, & leuitate animorum, nonnunquam compertum eſt, viros quantumuis bonos & modeſto ingenio natos, boniſq. educatos artibus, flagitioſorum cõſuetudine & amicitia paulatim ab honeſtatis procul via auerſos, in vitia & improbitatem corruiſſe: tum ipſam flagitij labem veluti peſtilẽtiam quandam contagio ſenſim irrepere in cœtus hominum, ex paruo primùm initio, poſt viribus ſumptis latius manando: iam populum vniuerſum (quod ſæpe conſpectum eſt) in vitium trahere, vitámque humanam deformare, atq; ita veluti tetro morbo infectis Optimatum mentibus, virtutem honeſtatémque demoliri. Obuia nanque patet ac lubrica ad libidinem, faciléque delabitur per voluptatẽ in flagitium prona mortalitas. Vnde pleroſque conſtat continentiæ principio ſpectatæ, & probis moribus viros, quibuſdam poſt clandeſtinis voluptatis libidiniſque illecebris ſenſim delapſos à probitate, demúmque expugnata ingenij virtutúmque integritate, pellectos in teterrima fœdiſſimáque flagitia, vitam præcipitaſſe. Huic occurſum eſſe peſti ac labi cupiens legiſlator, vel eius originem procul auertere à Republica: vel exortam in ipſis primordiis extinguere & eradicare, ciues ſuos à familiaritate & conſuetudine perditorum, lege prohibuit, actionémque prauæ conſuetudinis conſtituit, grauíque eius delicti reis impoſita mulcta, licentiam coercuit, reliquos à delinquendo ratus deterritum iri metu pœnæ. *Diodor. Sicul. Antiq. l.* 12.

PRAVORVM *mos.*

Probi nihil vnquam iniuſtè aut iniquè.

iniquè perpetrant: praui verò ſi quid agere mali nituntur, id vt clã culum fiat conantur. *Xen.de rebus Græc.l.7.*

PRECES.

Facilè alliciunt animos ad miſericordiam ſupplicis preces. *B. Facius, hiſt.l.1.*

PRINCEPS.

Princeps ſe mortalem eſſe ſciat, & hominum officia fungi, ſatíſque habere, ſi locum principem impleat. Maioribus ſuis dignus, rerum quæ ad ſubditos pertinent prouidus, conſtans in periculis, offenſionum pro vtilitate publica non pauidus eſto. Hæc ſint in ſubditorum animis, principi templa erecta, hæ pulcherrimæ effigies & manſuræ. Nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulcris ſpernuntur. *Tacit. Ann.l.4.*

Principi rerum iudicium cœlitus datum, ſubditis obſequij gloria relicta eſt. *l.6.*

Nullis diſcordiis imbutus pari in omnes ſtudio agere debet. *libro vndecimo.*

Princeps vnus eſt, ciuium & Senatus conſenſui impar. *l.12.*

Minore diſcrimine ſumitur princeps quàm quæritur. *Tacit. hiſtor. libr.1.*

Non ſolùm non poteſt princeps omnibus placere, ſed etiam quantumuis rectè imperet, ei multos iraſci neceſſe eſt. Neque enim tam multi homines iuſti ſunt, quàm ij qui volunt iniuriam facere, quorũ cupiditates expleri non poſſunt. Boni autem viri & virtute præditi, partim multa & ea quidem magna expetunt quæ non poſſunt aſſequi: partim quum habeantur aliis inferiores, moleſtè ferunt: eámque ob rem vtrique culpam in principem coniiciunt. *Xiphilin. Ceſ. Aug.*

Nerua vſque adeò bonus princeps fuit vt aliquando dicere auſus ſit, ſe nihil feciſſe, quominus poſſet depoſito imperio priuatus tutò viuere. *Dion in Nerua.*

Princeps ſanus viuere debet, nõ debilis. *Spartian.in Æl.Vero.*

Prouincialibus grauis eſt comitatus principis etiam nimis parci. *Iul.Capitol.in Ant.Pio.*

Principis ſolus Deus iudex eſſe poteſt. *Dion in M. Anton.Philoſopho.*

Neque pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut ſtipendia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi quos regas, animum imperanti beneuolentiam accommodent. Quippe ij demum diu tutóque imperant, qui nõ metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate ciuium ſuorum animis inſtillant. *Herodian. in Commodo.*

Princeps qui autor malorum eſt, iniuſtus videtur: qui autem non vlciſcitur acceptas iniurias ignauus. *Herodian.in Seuero.*

Generis initia clara poſteris, relinquere ipſum præſtat, quàm accepta a maioribus contaminare. *Herodian.in Macrino.*

Miſer eſt Imperator (i. *princeps*) apud quem vera reticentur: qui quum ipſe publicè ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat, & vel audita vel à plurimis roborata cõfirmet. *Iul.Capitol. in Gordiano.*

Nuſquam gentium reperietur, qui poſſit penitus approbari. *Treb. Pollio in Poſthum.2.*

Ingens eſt gloria principis morientis Rempublic. magis amaſſe quàm filios. *El. V opiſc. in Tacito.*

Plus timetur de incertis moribus principis, maximè in Republ. recentibus confoſſa vulneribus. *Idem in Cato.*

Potiſſima dos in Principe liberalitas & clementia. *Pomp. Let. in Diocletiano.*

Hoc boni principis menti, hoc ſucceſſibus congruit proſperis, vt integra omnium patrimonia, labore & fortitudine ſua ſeruet. *Am. Marcell. l.* 17.

Salus legitimi principis, propugnatoris bonorum & defenſoris, vnde ſalus quæritur aliis, conſocia to ſtudio muniri debet cunctorũ: cuius redimendæ cauſa validius, vbi maieſtas pulſata defenditur, à quæſtionibus vel cruentis, nullam Corneliæ leges exemere fortunã. Sed exſultare mœſtis caſibus effrenatè non decet, ne videantur licentia regi ſubiecti, non poteſtate. Imitandus ſit Tullius, quum parcere vel lædere potuiſſet (vt ipſe adfirmat) ignoſcendi quærens cauſas, non puniendi occaſiones: quod iudicis lenti & conſiderati eſt proprium. *l.* 19.

Prudens princeps definiuit inimicorum minuere numerum, augeréque amicorum ſponte ſua cõtendit ac libens. *l.* 22.

Pietatis eius ſummum primúmque munus eſt, Rempub. vt domũ paternam diligere. *l.* 27.

Boni eſt moderatoris, reſtringere poteſtatem, reſiſtere cupiditati omnium rerum, & implacabilibus iracundiis: noſſéque (vt Cæſar dictator aiebat) miſerum eſſe inſtrumentum ſenectuti recordationem crudelitatis: ideóque de vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt: & animantium numerum complet, laturum ſententiam diu multúmque cunctari oportere, nec præcipiti ſtudio, vbi irreuocabile factum eſt, agitari. *libro vigeſimonono.*

Regenti imperium omnia nimia, velut prærupti ſcopuli, ſunt deuitanda. *l.* 30.

Vt principis mores ſunt, ita res ferè adminiſtrãtur, vtpote à quo pendeant: qui ſi ignauus ſit, ruunt in deterius: ſin bonus eſt, & ſtrenuus, eriguntur & florent. *Nicet. in Ioan. Comn.*

Animi candori quàm enſiferæ manui, & ingenio in ſubtiliter exquirendis ſubditorum delictis intento parere malumus homines. *Idem, ibid.*

Eum qui latè dominari velit, oportet excellenti quodam & ſingulari præditum eſſe ingenio: idque totum pendet à beneficio Dei. *Ph. Comin. l.* 4.

PRINCEPS *beneficus.*

Ne Sol quidem deſideratur, niſi radios ſuos & terræ & hominibus, & omnibus animantibus impertiat: neque princeps vere imperabit, niſi ſubditis ſuis benefecerit. Qui verò rex tenax eſt, & ſtrictus ad largiendum: ſimulachrum regni, non regnum tractat. *G. Pachymer. hiſt. l.* 3.

Beneficentia cum imperio natura eſt coniuncta. *Idem, eodem libro.*

Qui cum magna ſpe ad magnũ principem proficiſcitur, non par eſt, vt expectatione minora conſequatur.

quatur. *G. Pachymer. hiſtor. libro duodecimo.*

Principibus aliquando dolet, contuliſſe beneficium in aliquem, ſéque deinceps non tam faciles futuros eſſe dicunt, cùm tamen proprium ſit ipſorum munus, de quâ plurimis bene mereri. Malum igitur iudicium faciunt, qui ita ſentiunt. Nam eum, qui nunquam circumuentus eſt, truncum eſſe dixeris, aut ſtipitem potius, quàm hominem, propterea quòd inter prauum & vitioſum quid interſit, diiudicare non poteſt. Deinde non omnes ſunt eodem ingenio, neque propter vnius aut alterius improbitatem intermittendæ ſunt bene de quamplurimis merendi occaſiones. Hoc tamen ſuaſerim, explorandum eſſe, cuiuſmodi ſint, qui beneficium petunt: nec enim omnes digni ſunt qui accipiant, & mihi abſurdum quiddam eſſe videtur, hominem prudentem poſſe ingratum eſſe. Quamobrem optimum eſt, vt Principes adhibeãt ſibi viros magna virtute præditos. Sic enim exiſtimabunt omnes, quandoquidem ciuſmodi virorum conſuetudine delectantur, ipſos quoque eiſdem virtutibus eſſe ornatos: &, vt paucis abſoluam, ſemper benefaciendum eſt aliis. Fieri enim poteſt, vt vnus aliquis, licet tenui ſit beneficio affectus, inſignem aliquam operam prẹſtet, & reliquorum ingratitudinem cumulatè reſarciat, & compenſet. *P. Comin. l. 2.*

PRINCEPS *benignus.*

Solet dexteritas & benignitas morum, in altiore dignitatis gradu facilè omnium animos ſibi reddere obnoxios: quemadmodum verno tempore ſplendidi flores prætereuntium oculos in ſe conuertunt. Hoc illud eſt Indorum ſapientum præceptum, Principem quo natura ſublimior eſt, eò humaniorem ſe inferioribus ſi præbuerit, chariſſimum populo futurum. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libro 6.*

Volebat Heraclius poteſtarem nõ tantum timore quantum amore poſſidere. *P. Diacon. in Heracl.*

PRINCEPS *bonus.*

Sæpenumero animaduerti, *inquit Chryſantas*, principem bonum à patre bono nihil differre. Nam & patres liberis proſpiciunt, vt ne vnquam eos bona deficiant: & Cyrus (*boni principis imago*) mihi videtur eà conſulere, de quibus perpetuam felicitatem maximè conſequuturi ſumus. *Xenophon de inſtitut. Cyri, lib. octauo.*

Quum is qui ſummæ rerũ præeſt, vir bonus eſt, etiam ſincerius inſtitutis maiorum ſtatur: quum malus eſt, minus. *Idem, eod. l. 8.*

Cyrus arbitrabatur ſibi virtutẽ colendam eſſe. Nec enim fieri poſſe putabat, vt ſi quis ipſe talis nõn ſit, qualem oporteat, alios ad præclàras & laudabiles actiones exciteet. *Eod. l.*

Arbitrabatur Cyrus nemini cõuenire imperium, qui non ſubditis eſſet melior. *Eod. l.*

Subditos ſe maximè putabat ad præclaras & laudabiles actiones excitaturum, ſi ipſe cui eſſet in eos imperium, oſtendere ſe niteretur ſupra omnes virtute ornatiſſimum. Videbatur enim animaduertere, meliores homines effici

etiam legibus ſcriptis. At bonum magiſtratum arbitrabatur hominibus eſſe legem videntem: quippe qui ad ordinem reuocare queat. & ordinis negligentem cernere ac punire. *Idem, ibid.*

Dei ſimulachrum, bonus & ſanctus princeps. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 12.*

PRINCEPS *clemens.*

Fabius Maximus iniquè comparatum iudicabat, ſi, cùm equites & venatores cura, exercitatione, alimentiſque potius quàm flagris & nonnullis contumaciam & ferociam animalibus adimerent: hominibus aliquis imperans non maximam caſtigandi partem in gratia & clementia poneret, aſperiúſve ſuos tractandos putaret, quàm ruſtici caprificum, pirum ſilueſtrem aut oleaſtrum: quas illi arbores cultu miteſcere, & in ficum, pirũ, oleam cicures tranſire docent. *Plutar. in Fab. Max.*

Quemadmodum Sol quibus affulſerit, iis calorem ſuum imperiri ſolet: ita etiam à principe clementia eis quos adſpexerit, tribuenda eſt. *Zonar. in Leone magno.*

10 Decet regem hominem, omnium, maximè humilibus, nequaquam inſultare, nullo modo inuadere ac violare eum volentibus. *Procop. de bel. Perſ. l. 2.*

Ciuitatis aut prouinciæ totius, cùm mos geri poteſt, preces non ſunt negligendæ. *G. Pachymer. hiſt. libr. 17.*

Cogitauit regulorum animos nulla re magis quàm humanitate & facilitate ſibi conciliari poſſe. *B. Facius, hiſt. l. 4.*

Alphonſus rex quum Caietam graui obſidione premeret, & oppidani cum fame duriſſima luctarentur, præfectus omnem inutilẽ bello turbam, quod in extremis rebus fieri conſueuit, ex vrbe eiiciendam curauit. Miſerabilis horum facies erat, macie ſimul ac pallore confecti, manus ad cœlum ſuppliciter tendentes, cum flebili voce humi procubuere. Quos vbi Alphonſus conſpicatus eſt, quanuis penè omnes conſiliarij in vrbẽ reiiciendos cenſerent, nec eſſet neſcius ſe facere contra militarem diſciplinam, quòd protraheretur obſeſſis in aliquod tempus fames: magis tamen naturæ & conſuetudinis ſuæ, quàm qui hoſtes de ſe meriti eſſent, rationem habere voluit: veniáque iis data caſtra adeundi, & cibo ac potu refectis, abeundi quò vellent fecit poteſtatem. Ea verò regis humanitas audita, incredibile eſt, quàm multos tum populos, tum principes adhuc incertos quid agerent, vtramne partem ſibi ſequerẽtur, ſibi conciliauerit. Neque enim propè vlla res eſt, quæ magis mortalium animos capiat, quàm eorum qui calamitate aliqua premuntur, malis commoueri. *Idem, eod. l.*

Præſtantis regis eſt victis ignoſcere, & ſapientis, integræ quàm euerſæ ciuitati dominari malle. *Idem, l. 7.*

Magni principis magis eſt ignoſcere & beneficiis afficere, quàm imperij fines proferre. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 16.*

Alexandri Magni & Iulij Cæſaris nomen clarius fecit animi illa magnitudo, qua hoſtibus veniam dederunt, victis regna reſtituerunt, quàm tot victoriæ, tótque trophæa, quorum exemplum multò

tò magis ſequi debet is, qui quum non ſibi vnicum finem ſtatuat gloriam (& ſi ea maximum præmium ſit) proprio & vero Chriſtiani principis munere præcipuè fungi cupit. *Ibid.*

PRINCEPS *electus.*

Paucis exceptis, & fruſtra ob aliorum multitudinem & potentiam aduerſantibus, cæteri omnes vno conſenſu Michaelem Palæologum Imperatorem exoptabant. Dicebant enim Optimum eſſe regnum non hereditariæ ſucceſſionis, non ſortis temeritate, ſæpe etiam indignis obiici ſolitum, ac peſſimis hominibus quos bonus princeps vel ſeruorum habere loco dedignetur. Eum verò principatum rectiſſime commendari, ad quem ſpectata & probata virtute eueharis: quod is demum populo proſit, qui id exequendum ſibi putet, cuius gratia ſit conſtitutus. Medicum accerſi non fortuitò, nō propter cognationem, cùm valetudo agitur. Quod ſi gubernator naui propter neceſſitudinem præponatur, non eum gubernatorem nauis, ſed euerſorem fore. Hinc fieri poſſe, vt quē rectiſſime inſtitutum eſſe oportebat, is omnium ſit depravatiſſimus: quippe qui ſimul ac in lucem editus ſuſceptúſque fuerit, regio luxu ac deliciis corrumpatur, adulatione perpetuò vrgente, veritate verò fugiente: cùm turpiſſima quæque pulcherrimis nominibus ornentur. Adeo vt vetere prouerbio etiā certus tuſſiendi modus adulatorum materia fuerit apud eos principes, qui ſimul & imperant & ſeruiunt. Vbi qui minimùm monuerit, vt maleuolus & ſceleratus exagitetur ab iis qui admonitionem edictum cenſent: præterea eos etiam quos ille rerum ſtatus non delectet, nihilominus & ipſos principe ſupra modum efferendo aſſentari, ac faſtum eius augere. Alios quaſi in ſcena varias perſonas inducere, genus ad bene imperandum ſatis eſſe putare: quaſi in primo ſemine regiæ quædam vires ad optimè gubernandum ineſſent. *G. Pachym. hiſtor. l. 2.*

PRINCEPS *eruditus.*

Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium ſtudia mandare literis, atque in libros redacta offerre principibus. Quia neque rectè aliquid inchoatur, niſi poſt Deum fauerit Imperator: neque quenquam magis decet, vel meliora ſcire, vel plura, quàm principē, cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis. Quod Octauianum Auguſtum, ac bonos dehinc principes libenter habuiſſe, frequentibus declaratur exemplis. Sic regnantium teſtimoniis creuit eloquentia, dum non culpatur audacia. *Veg. t. prol. libr. 1.*

PRINCEPS *exactor.*

Ipſis tantùm gentium fortunis imperare, animis omnium ſemel acerbitate tributorum alienatis, non optimi, ſed impotentis ac temporarij principis eſſe videtur. *P. Iouius, hiſtor. libr. 18.*

PRINCEPS. *externus.*

Etiamſi Princeps externus bene

rem gerat,& commodè gubernet, tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum re præſentare poteſt beneuolentiam, ac ſi eſſet indigena, faciles oriũtur occaſionum diſſenſiones. Itaque fit, vt ille, quò principatũ ad ſe delatum, ſuáſque fortunas tueatur, aliunde militem & copias adducat, eorúmque ſe præſidio muniat, qui beneficiis deinde ſingulariter ab eo, & honoribus aucti, magnam multitudinis inuidiam & odium in ſe concitant. Quocirca, qui externæ alicuius gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia ſit præditus dexteritate: multis hauddubiè & longè grauiſſimis implicabitur difficultatibus. *Ph.Comm.l.8.*

PRINCEPS *facilis.*

Hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipſa principis facilitas intendit: cum apud infirmum & credulum minore metu & maiore præmio peccatur. *Tacit.hiſtor.l.1.*

PRINCEPS *felix.*

Nulla maior felicitas principi cuipiam poteſt contingere, quàm ſi conſilia, è quibus propria gloria & magnitudo proficiſcitur, illa comitentur & conſequantur, ex quibus eluceat ea non minus ad communem omnium vtilitatem & ſalutem, verum multò etiam magis ad Reipublic. Chriſtianæ dignitatem eſſe ſuſcepta. *Fr.Guicciardin.hiſtor.libr.1.*

PRINCEPS *ignauus.*

Vicario ad bellum impulſo curis luxum obtendit, non parat arma, non alloquio exercitióque militem format, non in ore vulgi agit: ſed vmbraculis hortorum (*inter ſcorta*) abditus, vt ignaua animalia, quibus ſi cibum ſuggeras iacent torpéntque, præterita, inſtantia, futura, pari obliuione dimittit. *Tacit. lib.3. hiſt.*

PRINCEPS *inops.*

Quanto longior vita ſit inopi Principi, tanto plùs eſt ſupplicij. *Tacit.Ann.l.12.*

PRINCEPS *inuiſus.*

Inuiſum ſemel principem, ſeu bene ſeu malè facta premunt. *Tacit.hiſt.l.1.*

PRINCEPS *iuſtus.*

Qui iuſtus eſt, non alienam regionem affectat, ſed ſua eſt contẽtus, nec homines à quibus nihil laceſſitus eſt in ſeruitutem redigit. *Herodot.l.3.*

Bonum principem ratus eſt videntem legem eſſe hominibus, quoniam componere & ordinare, & eum qui incompoſitè ac inordinatè ſe gerat, videre, atque adeo punire poteſt. *Xenophon de pæd. Cyri, libr.8.*

Oportet principem non ſolùm nihil facere per iniuriam, ſed nec omnino facere videri. Nam priuatis quidem hominibus ſatis eſt, nihil delinquere: principem verò decet ne ſuſpectum quidem eſſe delicti. *Xiph.Cæſ.Auguſt.*

Inferioris ſortis hominibus iniuriam paſſis omni opera ſuccurrere, ita tamen vt eorum querelas haud temerè accipias, ſed rem ipſam per ſe inrueraris, neque potentiores omnino ſuſpectos, neque infirmioribus in omnire fidem habens. Operantes artibúſque vtilibus

bus deditos honoribus afficito: otioſos aut negotiis prauis intentos odio habeto: vt illa vtilitatis gratia amplectentes, hæc propter damna omittentes & priuatæ & publicæ rei magis conducant. *Dion, libr.* 52.

Etſi ſatis eſt priuatis hominibus nullam iniuriam facere, tamen principem prouidere etiam oportet ne cæteri faciant: propterea, quod nihil intereſt eorum qui iniuriam patiuntur, à quo eam acceperint. *Xiphil. Galba.*

PRINCEPS *magnanimus.*

Summas in Republica res aggreſſo, non tam fugienda eſt inuidia, quàm quærendus ſplendor & potentia, quæ inuidiæ luminibus ſua mole officiat. *Plutar. in com par. Craſſi cum Nicia.*

PRINCEPS *malus.*

Humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidat, rebus proſperis incertus, & inter aduerſa melior. *Tacit. hiſt. l.* 2.

PRINCEPS *munificus.*

Pulchrius eſt Principi exercitũ quàm ſeipſum locupletare, & ab hoſtibus ſpolia potius quàm dona capere eniti. *Xenoph. Orat. de laudib. Ageſilai.*

PRINCEPS *optimus.*

Facere rectè ciues ſuos princeps optimus faciendo docet. Qúumque ſit imperio maximus, exemplo maior eſt. *Velleius Patercul. libro ſecundo.*

PRINCEPS *prudens.*

Imperium viro prudenti multarum atque præclararum actionũ locum dat, in quo & magnificè Deum venerari licet, & homines ad religionem facillimè principis ductu poſſunt emolliri atque traduci. *Plutar. in Numa.*

Familiarium optimum quenque in honore habere oportet, quia id & decus tibi magnum & ſecuritatem afferet: nulli tamen nimia eſt indulgenda potentia, ſed ita moderandum omnibus, vt ne in quam te reprehenſionem coniiciant. Nam quæcunque vel rectè vel ſecus egerint, omnia tibi imputabuntur: talémque te omnes iudicabunt qualia eos facta exercere permiſeris. Ergo potẽtibus omnibus iniuria alios afficiendi, calumniandique facultatem adimes, vt ſi nihil etiam delinquant, tamen ne poſſe quidem id culpari queãt. *Dion, l.* 52.

Huic ſalus propria, cùm ſemper ad ſecuritatem omnium, tum in bello maximè ſeruanda eſt. *P. Diacon. hiſt. l.* 11. *in Iuliano.*

Potentiſſimi regis ac longè prudentiſſimi eſt, ex bello magis pacem, quam ex rebus quietis tumultum nihil ſibi ac proximis profuturum excitare. *Procop. de bell. Perſ. libr.* 1.

PRINCEPS *ſapiens.*

Expedit priuatorum ciuium cõtrouerſias quam fieri poteſt maximè dirimere, ac quàm celerrimè componere: id verò magis adhuc præſtat, populorum ſtudia inhibere: ac quum vota facientes pro imperio, ſalute, & fortuna, cogere aliquos volunt vt aliquid vltra facultates ſuas agant impendántve, id non concedere: præterea inimicitias eorum contentionéſque penitus præcidere: neque concedere vt inania cognomenta, aut alia vnde diſcordiæ incidere poſſint, ſibi ſumant. In quibus, inque aliis omnibus, facilius tibi omnes & priua-

tim & publicè parebunt,ſi nihil horum vlli præter alios permiſeris. Nam inæqualitas etiam ea quæ bene in vnum cohibuerunt, diſſipat. Itaque omnino pati non debes vt quis horum quicquam à te petat, quod ei daturus non ſis: ſed hoc ſummopere conari debes, vt ne quid vetitorum poſcat quiſquam. *Dion,l.52.*

Æquitate quàm ſanguine,cauſa quàm armis retinere parta maioribus princeps ſapiens mauult. *Tacit.Annl.15.*

Sapientis eſt principis,in difficilibus moleſtiiſque conſiliis, eam partem pro facili atque optabili ducere, quæ aut neceſſaria ſit, aut quæ difficultatis minus ac periculi habere videatur. *Fr. Guicciardin. hiſt.l.2.*

PRINCEPS *ſtultus.*

Nihil arduum videtur in animo principis,cui non iudicium,non odium eſt,niſi indita & iuſſa. *Tacit. Ann.l.12.*

Fractis rebus,nuncios cladis occultans,ſtulta diſſimulatione remedia potius malorum quàm mala differt. Quippe confitenti conſul tantique ſuperſunt ſpes vireſque: è contrario læta omnia fingens,falſis ingraueſcit. *Tacitus hiſtor. libro tertio.*

Ignarus militiæ,turbidus conſilij,quis ordo agminis,quę cura explorandi,quantus vrgendo trahendóve bello modus, alios rogitans: ad omnes nuncios, vultu quoque & inceſſu trepidus,recentiſſimum quoque vulnus pauens,ſummi diſcriminis incurioſus: ita formatis auribus, vt aſpera quæ vtilia, nec quicquam niſi iucundum & læſurum accipit: æger animi, ſtudiis militum & clamoribus populi arma poſcentis refouetur: voce,vultu, lachrymis miſericordiam elicit,largus promiſſis, & (quæ natura trepidantium, immodicus, &c. *Tacitus*, de Vitellio verba faciens, *hiſt.libr.3.*

PRINCEPS *tutus.*

Nulla alia melior vel tutior principi poteſt eſſe cuſtodia,quàm vera & conſtans ſubditorum beneuolentia. cùm enim adſueuerint plerique & potentes non principē, ſed principi ſuo metuere, multis ille oculis videt.multis auribus audit,præſentítque ea quæ aguntur. *Plutar.in Arato.*

Princeps fidelitate ſuorum & fauore fortius tutiúſve habet nihil. *Idem,ibid.*

PRINCEPS *vigilans.*

Homini priuato quoduis tempus ad cibum capiendum idoneū eſt, id præſertim cum aſſueuerit. Principi verò tot curis diſtracto ſi nomini ſuo reſpondere velit, ſatis eſt ſi veſperi curare corpus liceat. *Nicet.Iſaac.Angel.l.2.*

PRINCIPATVS.

Principatus propter ſalutē ſubditorum conſtituuntur, vt ij nullum damnum capiant, non modò ab alienis,ſed neque à ſuæ gentis hominibus: non autem vt à ſuis principibus vexentur & affligātur. *Xiphil.Caſ.Aug.*

Principatus ſcelere quæſitus nō poteſt ſubita modeſtia & priſca grauitate retineri. *Tacitus hiſtor. libro 1.*

Non vnius tantùm hominis peculiaris poſſeſſio principatus eſt: ſed communis totius populi: principibus viris autem huius diſpenſatio atque adminiſtratio demandata

data eſt. *Herodian.in Maxim.& Balbino.*

Fateor naturam natu maioribus principatum deferre ſolere: Deum verò in deſignandis regibus aliam rationem plerunque ſequi animaduerto. Cogitare Dauidem & ſtatura & ætate minimum fuiſſe inter fratres, &c. *Nicetas, in Ioanne Comneno.*

Multorum principatuum, omnis imperij & diſciplinæ contemptus ſequitur. *Idem, in Alexio Manuelis filio.*

Princeps locus haud facilè aliter quàm aut ſumma vi, aut ſumma cum virtute atque modeſtia in libera ciuitate retinetur. *P. Iouius, hiſtor. lib. 1.*

PRINCIPATVS *egregius.*

Veſpaſianus acer militiæ anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diúque conſilio, ac (ſi res poſceret) manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte, habitúque vix à gregario milite diſcrepans, prorſus ſi auaritia abſuiſſet, antiquis ducibus par. Mucianum e cõtrario magnificentia & opes, cuncta priuatum modum ſupergreſſa extollebant: aptior ſermone, diſpoſitu prouiſúque ciuilium rerum peritus. egregium principatus temperamentum, ſi demptis vtriuſque vitiis, ſolæ virtutes miſcerentur. *Tacit. hiſt. l. 2.*

PRINCIPATVS *immenſus coercendus.*

Nunquam permittendum eſt cuiuſquam principatum in tantum creſcere, vt de manifeſta iuſtitia apud eum dubitare non liceat. *Polyb. li. 1.*

PRINCIPATVS *nerui.*

Aurelianus principatu Romanorum potitus, magnates rogauit, quo pacto imperãdum eſſet? Quorum vnus ei reſpondit, Si Rempublicam ritè adminiſtrare volueris, auro & ferro te munitum eſſe oportebit: ac ferro quidem contra hoſtes vti, tui verò obſeruantes auro remunerare. *Zonar. Annal. tom. 2. in Aureliano.*

PRINCIPATVS *retinendi ſtudium.*

Imperium retinere cogunt Metus, honor & vtilitas. *Thucydid. libro 1.*

PRINCIPATVS *tutela & conſeruatio.*

Rerum omnium nihil commodius eſt quicquam ad principatum tuendum ac conſeruandum, quàm ab his quibus imperamus amari potius quam metui. Rectè enim à prudentiſſimis hominibus dictũ, Malum eſſe cuſtodem diuturnitatis metum: contráque beneuolentiam fidelem eſſe vel ad perpetuitatem. Erga potentiores autem vehementer amorem populi commoueri opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, omniúmque earũ virtutum, quæ ad morum manſuetudinem pertinent. Habere fidem tum principi plebem, cùm eum exiſtimat adeptum cum iuſtitia prudentiam, admiraríque quem videt excellentibus quibuſdam & ſingularibus virtutibus exultum: quem abſtinentem, non immerſum voluptatibus, pecuniæ in loco contemptorem, æquitatis & iuſtitiæ defenſorem, intrepidum ad pericula, vbi res exigit, ſubeunda agnoſcit: qui probè calleat, malè impetu & familiaria & publica negotia ad-

miniſtrari: cuíque vetus illud Tiberianum, tametſi vetuſtate iam protritum, aſſiduè tamen moderatoribus rerum publicarum inculcandum, placeat: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere: cuius animus non perpetuo agitetur errore, nec habeat ipſe quid ab aliis pendens ſequatur: qui regnum plebis potius commodo, quàm familiariũ adminiſtret arbitrio: neque talis ſit, qualem aulicorum rapinis expediat eſſe, quique iuſtitiæ ſeruandæ cauſa à Deo Optim. Maxim. ſe regno præpoſitum ſibi perſuadeat, vt & prohibeat iniuria tenuiores, & æquitate conſtituta ſummos cum infimis pari iure retineat. Olim ita erant morati, qui Cæſaribus adſidebant, vt vererentur ipſi Cæſares à tali grauitate & probitate præditis hominibus petere, quod minus pertineret ad decus & plebis vtilitatem: plurimum apud eos talium virorum bene ſuadentium valebat authoritas, eáque ab iis adhibebatur ad monendum & apertè & prudenter, ſi res poſtulabat. Non illis aut animus abiectior erat, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. Multum poſſe ad ſalutem miſerorum & afflictorum: decori magnis imperatoribus, parum potuiſſe ad perniciem: probro nemini vnquam fuiſſe: ſæpe hæc iiſque ſimilia auribus eorum inculcabant. Humanam conditionem ſic ferre, vt cùm faſtigium ſuum longè ſupergreſſa videatur, continuò concidat. *Arn. Ferron. l. 3.*

PRINCIPATVS *vincula firmiſſima.*

Dionyſium iuniorem, Siciliæ tyrannum, deperditum inſcitia, moribúſque profligatiſſimis Deo videns, hortatus eſt, vt ſe ad diſciplinam conferret, ſummiſque à Platone philoſophorum principe precibus contenderet, vt is veniret in Siciliam, eíque ſe formandum & virtute exornandum traderet. Ita fore, vt pulcherrimo exemplari & diuino eius cui gubernanti vniuerſum hoc obtemperās pro confuſione ordinem conſtantiámque tuetur, conformatus plurimam & ſibi felicitatem & ciuibus pareret, quibus ſe pro tyranno regem præberet: vt quæ ij tunc metu tyrannidis mœſti inuitíque facerent, eadem porro, modeſtiam iuſtitiámque ipſius venerantes, itidem vt patri præſtarent. Non enim (vt pater ei dixiſſet) metum ac vim, non cateruam iuuenum ſtipantium, non immenſum barbarorum ſatellitium, adamantina iſta eſſe vincula: ſed beneuolentiam, ſtudium, gratificandíque voluntatem virtutis reuerentia ciuibus ingeneratam. quæ vt rigidis iſtis & duris vinculis molliora eſſe videantur, ſunt tamen ad perpetuitatē regni firmiora. Porro autem principem neque magno in honore, neque vlla in admiratione eſſe, qui magno veſtium ac victus luxu ſe oſtentans, in congreſſu & colloquio nihil quemuis vulgarem hominem præſtaret, neque animi partem regiam principi conuenienter excultam habere laboraret. *Plutarch. in Dione.*

PRINCIPATVVM *conſeruatio.*

Quidam putant alia ratione acquirendos eſſe principatus, & alia rurſus ſeruandos. At ignorant eos demum

demum optimè principatus ſeruare, qui eandem voluntatem & mentem qua primùm principatus ſunt adepti firmiter retinent. Atqui palam eſt, & iam in multis obſeruatum, ſic comparatos eſſe homines, vt ſicubi proſperitas quædam occurrit, beneficentiam erga proximos exerceant, & ſpem multam polliceantur: vbi verò quod appetebant conſequuti ſunt, tum demum inſolenter ſe gerant, & ſubditis dominorum more imperent. *Polyb.hiſt.l.9.*

PRINCIPIS *aures & oculi.*

Multi regis ſeu principis oculi, multęq; aures exiſtimantur Quòd ſi quis arbitratur vnum eſſe debere regi oculum eximium, is rem non rectè exiſtimat. Nam vnus & viderit & audierit pauca: & cæteris quædam quaſi negligentia eſſet indicta, ſi vni res mandata foret. Prȩterea quocunque regis oculum eſſe animaduerterent, eum cauendum ſcirent. Verùm ita ſe res non habet, ſed audit rex quemlibet, qui ſe vel inaudiſſe, vel vidiſſe quid operæpretium refert. Sic multæ regis aures, multi eſſe oculi exiſtimantur, & vbique dicere metuunt ea, quæ regi non expediant, quaſi ſi ipſus audiret, & metuunt facere non conducentia regi, quaſi ipſus adeſſet. *Xenophon de inſtitut.Cyri, libro 8.*

PRINCIPIS *maieſtas.*

Imperatori, cùm Auguſti nomē accepit, tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Deo enim vel priuatus, vel militans ſeruit, cùm fideliter eum diligit qui Deo regnat autore. *Veget.l.2.c.5.*

PRINCIPI *non maledicendum.*

Principem mendacij arguere, & inſidioſæ ac ſycophanticæ adminiſtrationis rerum accuſare, vtique non licet. *G. Pachymer. hiſtor.libro decimo.*

PRINCIPIS *mores.*

Mores principis vnuſquiſque ſibi regulam vitæ ſuæ proponens, ipſe etiam ea tantum exercet, vnde ſine periculo priuatum locū ſperet: quo fit vt plerique proprio tantùm commodo intenti, omnes alios oderint, eorúmque felicitatem ſuum damnum, infortunia ſuum emolumentum putent. *Dion. lib.52.*

PRINCIPIS *munus.*

Quanta peruicacia in hoſtem, tanta beneficentia aduerſus ſupplices vtendum. nam triumphi de populis regníſque integris adquiruntur. *Tacit.Ann.l.12.*

PRINCIPIS *officium.*

Ego arbitror decere principem ſubditis anteire non vita deſide & laborum experte, ſed eo quòd rebus prouideat laboréſque lubenter ſubeat. *Xenoph. de pædia Cyri, lib.1.*

Decet principem non ſe bonum præſtare duntaxat, verum etiā pro ſubditis, vigilare, vt quam optimi euadant. *Idem, l.2.*

Principis partes ſunt, vt præſertim ipſam Reipubl. formā conſeruet: quod non minus in eo poſitū eſt, vt ea ab omnibus ei non conuenientibus rebus abſtineatur, quàm vt omnia ad eam ſpectantia ei affatim adſint. Sed princeps, qui vel remittit, vel intēdit ſuā poteſtatē, nō iam regis aut principis dignitatem tuetur: ſed vel populo ſeruit,

vel Dominus ſit, eóque aut contemptum ſui, aut odium in ſubditis creat: quorum tamen peccatorum alterum ab æquitatis ſtudio humanitatéque, alterum à ſui amore faſtúque profectum iudicatur. *Plutarch. in comparat. Theſ. & Romuli.*

Cur princeps hoc nomine gaudet, ſi his quorum curam gerere debet non conſulit ac proſpicit? *G. Pachymer. hiſt. lib.* 4.

PRINCIPIS *præſtantia.*

Decet principem non mollitie, ſed tolerantia priuatis hominibus præſtare. *Xenoph. en. orat. de laudib. Ageſilai.* Vide REX.

PRINCIPES.

Hic eſt mos principum, vt nolint quenquam habere ſe potiorē. Nam ea quæ facilē & exploratam victoriam videtur eſſe habitura, ipſi gerere ſtatuunt: peſſima vero quæque & difficillima, aliis committere. Quod ſi eueniat, vt opportuna negotia aliis mandare cogantur, grauiter & acerbè ferunt laudem & gloriam eorum qui ea geſſerint: neque enim vinci eos volunt, aut parum eſſe fortunatos: at verò rerum præclarè geſtarum gloriam apud alios eſſe, non facilè patiuntur. *Xiphilin. Cæſar, Aug.*

Boni imperatores voto expetēdi, qualeſcunque tolerandi. *Tacitus, hiſt. lib.* 4.

Duo ſunt quæ ab egregiis principibus expectantur, ſanctitas domi, in armis fortitudo: vtrobique prudentia. *Sex. Aurel. Vict. Traian.*

Qui modeſtiæ experimento ad imperium aſciſcuntur, quaſi partum labore tuentur ſemper, verétúrque & colūt quos conſueuerant. *Herod. in Macrino.*

Dij auertant principes pueros, & patres patriæ dici impuberes, quibus ad ſubſcribendum magiſtri literarij manus teneant, quos ad conſultatus dandos dulcia & circuli & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malum, ratio eſt, habere imperatorem qui famam curare non nouerit, qui quid ſit reſpub. neſciat, nutritionem timeat, reſpiciat ad nutricem, manuum magiſtraliū ictibus terroríq. ſubiaceat: faciat eos conſules, duces, iudices, quorū vitas, merita, ętates, familias geſta non norit? *Fl. Vopiſc. in Tacito.*

Principum iras celſæ poteſtates aliquando molliuerunt. *Amm. Marcell. lib.* 14.

Principum diffuſa poteſtas localibus ſubinde medetur ærumnis. *Eod. lib.*

Celſiores fortunas idem loqui decet atque ſentire. *lib.* 17.

Stultum eſt, quum ante caueri poſſit ne fiat, ad latus principis adſciſci, quorum mores ignorantur & voluntates. *lib.* 20.

Curarum aceruos & mutationes varias accidentium principes ipſi quoque, vt homines, formidare debent. *lib.* 26.

Dignitatum apices maximi, licere ſibi cuncta exiſtimant, & ad ſugillandum contrarios exturbandóſque meliores pronius inclinati ſunt. *Idem, lib* 30.

Habebat Ludouicus XI. ſuas virtutes, habebat quoque vitia, ſicut omnes alij principes, quos ego quidem nouerim. ſunt enim homines, ac in ſolum Deum cadit omnis perfectio. Verumtamen, quando quod prauum eſt atque vitioſum fugiūt,

&

& virtuti ſeſe tradunt, magnam ſanè merētur laudem, eò quòd indulgētius & mollius educantur, & natura ferè propendent ad vehementiores affectus, quos nemo coercet: & poſtquam excreuerint, illorum & auribus & ingenio moribúſque plerique ſeruiunt. *Ph. Comineus, præfat.*

PRINCIPES *ambitioſi.*

Sic ſunt Principes, vt paulatim creſcat in ipſis ambitio & cupiditas: & quò maioribus nituntur præſidiis, eò facilius captant ſimultatum & diſſentionum occaſiones cum vicinis. *Ph. Comineus, lib.4.*

PRINCIPES *aſtuti.*

Principes, illi præſertim qui non ſunt inepti, ſuis negotiis aliquam ſemper honeſti ſpeciē prætexunt. *Ph. Comin. lib.4.*

PRINCIPES *benigni.*

Tantùm manſuetudo atque benignitas principum poteſt, vt non ſolùm cùm ſunt præſentes, verum etiam maximo interuallo diſiūcti, quoſdā quaſi fomites amoris & beneuolētiæ erga ſe in pectoribus hominum relinquant. *Polyb. lib.4.*

PRINCIPES *boni.*

Bonis principibus ſalus ciuium ac longa ſui memoria cariora ſunt: quæ non gloriæ modo, verūetiam ratione quadam poſterorum felicitati proficiunt. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

Vita bonorum principum Reipublicæ quies regitur. *Idem, ibid.*

PRINCIPES *clementes.*

Eos qui cæteris præeſſe, veréque principes haberi contendunt, in primis oportet non tam armis corpora ſibi circum vndique munita protegere, quàm bonis artibus & clemētia ad rerum faſtigia ſubniti. Nam qui pauore coacti, & vi impulſi, imperata faciunt, cuncta ad id obſeruantes momenta, cùm primùm per occaſionem licet, repētè inuiſi imperij iugum ceruicibus excutere properant. Si quos verò manſuetis moribus, & ingenio miti principes nacti fuerint (ea eſt omnium animantium natura, manſuetudine magis quàm vi gubernari) firmo in eos amore conciliati, non imperium modò quod geſſerint illis contingere ac confirmare, verùm lōgè in dies amplius reddere nituntur: perinde ac clemētia & virtute imperantium parēdi voluntatem & ſtudia mortalibus exprimere. Quid enim aliud magis Medorum deleuit Imperiū, quàm crudelitas & ſuperbia principum, patiētiam ſubditorum tandem demolita? Nam deficiētibus primùm Perſarum populis, maxima reliquarum gentium multitudo deſciuit. Quo namque modo Cyrus priuato quodam loco ortus, priuatus & ipſe initio, poſt ad regium euectus culmen vniuerſis Aſiæ populis imperauit? eò ſanè dignitatis ſola eum benignitas & clemēs adminiſtratio rerum prouexit. Gelon priuata familia progenitus, totius Sicilæ princeps creatus eſt, cūctis circum vndique populis ac vrbibus in ditione ſua ſponte concedētibus. Inuitabat enim atque alliciebat cunctos homines eius viri comitas & clemētia, quam in calamitatibus & miſeriis oppreſſorum maximè oſtendebat. *Diodor. Sicul. hiſt. lib.13.*

Stimulo quidem rex apum prædictus eſt, verùm ad vindictam eo non vtitur. Sunt hæ leges quædam non ſcriptæ, ſed ab ipſa profectæ natura: vt qui maximis imperiis potiuntur, ad puniendum tardi ſint. *Mich. Glyca, Annal. par. 1.*

In principibus nihil glorioſius, nihil gratius, nihil denique admirabilius miſericordia eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 7.*

PRINCIPES *crudeles.*

Principes à crudelitate oportet eſſe alienos, & praua conſilia vitare. Nec enim rarò fit, vt ipſorum familiares ad huiuſmodi res eos impellant, partim adulatione, partim metu ne offendant: ſed huiuſmodi conſiliariis nullum eſt genus hominum pernicioſius. *Ph. Comin. lib. 7.*

PRINCIPES *ignaui & ineruditi.*

Temperare mihi non poſſum quin grauius aliquid dicam in Principes imperitos & ignauos. Habẽt ſibi plerique familiares aliquot iuriſperitos, & quoſdam, qui longiori veſte diſcernuntur ab aliis: & rectè quidem, quum ſint viri boni, ſed periculoſè admodum, & magno cum detrimẽto, quando ſunt vitioſi. Cuiuſcunque rei ſermo inciderit, illicò legem aliquam, aut hiſtoriam adferunt, plerumque & ſæpenumero præter rem, ſdum ad ſuum ſenſum & affectum omnia detorquẽt, idque eò crebrius & audacius faciunt, quum Princeps ipſe nullam habet rerum cognitionem, qui ſi vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæſitam haberet aliquam prudẽtiam, non temerè circumueniri poſſet, nec ſic ludificationibus aliorum eſſet expoſitus.

Hoc enim certò ſtatuẽdum eſt, Deum non condidiſſe regna, vt gubernarentur ab hominibus ineptis & ſtolidis, qui friuola quadam & miſera iactatione ſolent dicere, ſe, quòd vſum literarum non habeant, ſuis familiaribus & neceſſariis omnem actionem committere, ac deinde, nulla probabili adducta ratione, cur ita loquantur, totos ſeſe dedũt voluptatibus. Quod ſi bene fuiſſẽt à teneris annis educati longè aliam viam ingrederentur, & hoc darẽt operam, vt homines bene & præclarè de ipſis ſentirent. Neque tamẽ hoc eò dico quaſi omnes Principes ſuis negotiis praua ingenia præficiant. Nec enim deſunt, qui verum iudicium faciunt, & prudẽter ſibi deligunt optimum quenque cuius vtantur opera. *Ph. Comin. lib. 3.*

Nulla maiori clade populum Deus affligere poſſit, quàm ſi Principem ei præficiat ſtolidũ & imperitum: neque enim dici poteſt, quàm multa hinc oriantur incommoda. Nam quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neque per ſe quicquam ipſe gerit, naſcuntur factiones, diuiditur populus, diuiditur Senatus & regni proceres: inde bellum naſcitur, atque ex bello rerum pẽnuria, quam excipiunt deinde morbi, & varij generis ærumnæ. Iuſtam ergo & doloris & querimoniæ cauſam habet populus, cùm ſui Principis liberos videt malè inſtitui, & ab hominibus vitioſis educari. *Idem, ibid.*

In ſuos familiares omnia reiiciunt, ipſi planè deſides, & ad imperium inutiles. Et vix eſt, vt amicos in neceſſitate ſubleuent. *Idem lib. 9.*

Si in

Si in ſolio ſegnities & inertia ſe deat, vt dici veriſſimè ſolet, etiam leones rege Ceruo vincuntur. *P. Æmyl. lib. 2.*

PRINCIPES *illaudati.*

Sunt omnino duo genera principũ. Alij tam ſunt acuti & ſuſpicioſi, vt ægrè ſuſtineri poſſint: ferè enim eſt, vt ſe circumueniri putent ac ludificari. Alij, ſuſpicionibus quidem non indulgẽt, verùm ingenio ſunt ita ſtupido & ignauo, vt quid vtile ſit, quid minus, non intelligant: atque in his parum eſt conſtantis animi: facilè enim & ab amicitia diſcedunt, & ab odio tranſeunt ad amicitiam. Et quanquam illaudatũ eſt vtrúmque genus, vt in quo nõpoſſis acquieſcere, cum priori illo tamen malim mihi rem eſſe, quia multæ ſunt rationes tuendi ſe apud illos: cum altero nihil rectè perfeceris, eò quòd ipſi rerum omnium ſecuri in ſuos familiares omnia reiiciunt. *Ph. Comineus, lib. 2.*

PRINCIPES *imprudentes.*

Ferè fit, vt principes, niſi neceſſitate coacti, non agnoſcant aliquid aliis præſtent magna enim ex parte, præſertim iuuenilibus annis, complectuntur eos, qui ſunt ipſorum affectibus magis accommodati, & cupiditatũ miniſtri. Verùm qui ſapiunt, etiam ſi iudicio lapſi aliquando fuerint, ſanare tamẽ ſtudent errorem, & ex virtute ſuos æſtimant. *Ph. Comin. l. 2.*

Sanè minus prudenter faciunt Principes, quum alterius poteſtati ſe permittunt, præſertim intercedente bello. Maximum itaque momentum adfert hiſtoriarum cognitio iuuenilibus annis percepta. Nam extant in iis pulcherrimę picturæ quæ clarè demõſtrant, quàm multa perfidè ſæpe & inſidioſè fiant in principum collocutionibus, & in quantas acerbitates aliquando cõiecti ſint multi, eò quòd ſuis aduerſariis nimiam habuiſſet fidem. Verùm quidem eſt, omnes non perfidioſè agere: ſed vnius calamitate complures fieri poſſunt cautiores. Quantum enim longo rerum vſu potui cognoſcere, qui iam per annos duodeuigenti verſatus in maximis Regum negotiis, equidem ſic arbitror, quemadmodum & vitæ diuturnitate, & robore corporis multò ſumus inferiores priſcis illis hominibus: ita quoque ab ipſorum fide & integritate permultum nos degeneraſſe. Vix enim eſt, vt prouidere ſibi aliquis diligenter ſatis poſſit, quominus fallatur: & quò ſunt potentiores principes, eò maior eſt inſidiis & improbitati locus. Nam & ſua quadam ſponte, illi eò propendunt, vt quod libet licere ſibi putent: & qui ſunt circum ipſos, quoniam aucupandæ modò gratiæ ſunt intenti, planè ſeruiunt illorum cupiditatibus: & ſi quis eos ad meliorem frugem aliquando hortetur, magnas tempeſtates excitat. *Idem, libr. 3.*

Certò conſtat, nullum eſſe principem tam prudentem, qui non erret & labatur aliquando: imò ſępenumero, ſi longior ei vita contingat, vt ex illorum actionibus ac conſiliis, ſi verè perſcriberentur omnia facilè iudicari poſſet. Omnes profectò omnium temporum ſenatores ac viri præſtantes, qui vel fuerunt aliquando, vel hodie ſunt, errarunt, & ſæpe errare poſſunt atque labi. Teſtatur hoc experien-

tia quotidiana. *Idem, lib.*8.

Inſcienter faciunt Principes ac inconſultè, quando ſuam priuatam ſententiam multorum iudiciis anteferunt. Dici enim non poteſt, quantum ſæpe malorum ex eo proueniat. *Idem, lib.*9.

Venetiis Cameriacum progreſſus, vbi amanter exceptus ſum à Sabaudiæ Duce, poſt Lugdunum perueni menſe Decembri, cùm Rex ante bimeſtre eò perueniſſet. Qui moleſtè ferebant pacem nuper factam, ij cùm verba nobis eſſe data viderent, magna fuerunt affecti lætitia, & ſibilis atque geſticulationibus me deridebant, vt in eiuſmodi rebus fieri conſueuit. Quid egiſſem ordine Regi commemorabam, & quas Veneti propoſuerant pacis conditiones, eas exhibui deſcriptas, verùm ipſe & Cardinalis pro nihilo ducebant. Interiectis autem aliquot diebus, denuo interpellabam. Vtilius enim mihi videbatur, illa quæ deferebantur accipere, quàm totum amittere. Nam quibus Rex omnem adminiſtrationem permittebat, ij non ſolùm non erant tantis rebus gerẽdis idonei, verùm etiam homines peritiores ad ſua conſilia vix vnquam admittebant: quod tametſi Rex non probaret, tamen eo fuit ingenio, vt quibus fidem atque authoritatem tribueret, eos non auderet offendere. Huc igitur tanquam in Speculum reſpiciant Principes, & aſſueſcant ſua ipſi tractare negotia, & aliorum quoque ſententias audiant: ſuóſque familiares quorum vtuntur conſiliis, in pari propemodum habeant honore. Nam ſi vnus aut alter tantam fidem apud Principem habeat, vt reliqui eum metuere & obſeruare cogantur, is reuera dominatur & regnum obtinet, ſuiſque rebus tantùm ac facultatibus conſulit, ac publicas commoditates negligit, quod Regi ſcimus eueniſſe. *Idem, lib.*5. *de bell. Neapol.*

A principibus illi facilè ſapiẽtes habentur, qui ad eorum ſenſum & voluntatem magis accedunt & loquuntur. *Fr. Guicci. rdm. hiſt. lib.*2.

Galeatius à Ludouico Sforcia Alexandriæ cuſtodiendæ præfectus, quum Gallorum exercitum ad vrbem expugnandam accedere audiſſet, noctu clam aufugit, magnóque ſuo dedecore, nec minore Ludouici prudẽtiæ infamia, quantum generoſum equum tractare, aut in ludicris equitum certaminibus publiciſque ſpectaculis longas haſtas vibrare (quibus in rebus cunctos Italos fugax ille ſuperabat) & exercitui præeſſe inter ſe differant, & quãto cum proprio detrimẽto principes, qui in iis quibus res grauiſſimæ committuntur eligẽdis, magis gratiam quam virtutẽ in uentur & ſpectant, decipiantur, documento fuit. *Idem, lib.*4.

PRINCIPES *iuſti.*

Laudatorum principum vſus ex æquo, quamuis procul agentibus: ſæui proximis ingruunt. *Tacit. Juſt. lib.*4.

PRINCIPES *iuuenes.*

Ioannes Ducas Græcorum imperator, quandiu vixit, Theodorum Laſcarim filium, Imperatoris nomine appellari noluit, etiam ſi benigniſſimus eſſet in eum, nemíníque alteri imperium deſtinaſſet. Sed obſcuris adhuc ſubditorum voluntatibus, an iis volentibus ac probantibus futurum eſſet, viuens

cum

cum deſignare nullo modo volue-rat: quod diceret, Tempus multa nouare ſolere, niſi qui que ita res adminiſtraſſet, quemadmodum oporteret. Nam adoleſcētiam ſuapte natura mobilem & contumacem ad omnia quæ concupiſſet temerè ferri. Quòd ſi ſpes ac nomen Imperij acceſſiſſet, ob quas res delicatorum adoleſcētum comitatus accederet, ac omnium acclamationibus aures complerentur: idem ac cidere quod homini ebrio, cuius neque pes neque mens ſuum ſatis officium facit, ſi ad magnæ nauis gubernacula adhiberetur: cùm nec ij à quibus eligeretur, rectè iudicarent: nec is qui electus eſſet, quo ferretur, quidve agendum eſſet, intelligeret. *Nicephor. Gregoras, hiſt. lib.* 3.

Qui per ætatem temerè multa ſæpe faciunt, & rerum exitus non præuident, in eo ſanè ſunt multum vituperandi, quòd illos quorum cōſilia ſequi debent, aſpernantur. *Ph. Comin. lib.* 7.

PRINCIPES *liberales.*

Debent principes qui milites bello paceque perpetua liberalitate proſequuntur, ab his aliquando pro diſciplina animi continētiam requirere: ne dum priuatim quæſtui omnes ſtuduerint, publicè poſt modum ad ſuſtinendos maiores ſumptus, quum neceſſariò bella ex bellis ducantur, opes deſint. *P. Iouius, hiſt. lib.* 18.

PRINCIPES *mali.*

Quæritur quidem, quæ res malos principes faciat. Iam primum nimia licētia, deinde rerum copia: amici præterea improbi, ſatellites deteſtandi, eunuchi auariſſimi, aulici vel ſtulti vel deteſtabiles, & (quod negari non poteſt) Rerumpublicarum ignorantia. Sed ego à patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum dixiſſe, *Nihil eſt difficilius quàm bene imperare.* Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque vnum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum ſit. Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non nouit: cogitur hoc tantum ſcire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debebat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipſe dicebat, Bonus, cautus, Optimus vēditur Imperator. *Fl. Vopiſc. in Aureliano.*

Qui ſunt malè inſtituti Principes, quantum ſit munus quod acceperunt à Deo non intelligunt: & ipſorum familiares ne malam gratiam concilient ſibi, diſſimulant. Et vt ex omnibus fortaſſe ſit vnus, qui fideliter admoneat, is tamen ſuæ ſententiæ nullos habet approbatores, ac ferè fit vt ridiculus habeatur. Eſt ſanè quædam nobis innata prauitas, adeo magna quidē, vt nulla planè ratio nos ab iniuriis & violentia coerceat. Potentiores, vbi caſtellum aut oppidum eripuerunt alicui, quacunque de cauſa, nolunt à poſſeſſione deinde diſcedere: & vbi ſemel aliquem obduxerunt colorē, cur ita fecerint, accedit, poſtea propinquorum & adulatorum aſſenſus, qui hæc omnia collaudant. Magna certè eſt malorum Principum iniquitas, qui pecuniam pro ſua libidine ſuis imperant, & amplum alunt ſatellitium, vt miſeram multitudinem in metu contineant: eámque pecu-

niam deinde temerè & voluptariè profundunt, nullo cum Reipublicæ bono, & de quotidianis ſumptibus nihil remittunt, ſuos exhauriunt, & aſſentatorum ſtipati ſunt turba. Sed eſt Deus, qui flagitium nullum ſinit impunitum, & crudelitatem in primis deteſtatur, qui tametſi non loquitur hominibus hodierno die, ſicut priſcis illis temporibus, tamen quæ ſit ſua perpetua ſententia, & quid à nobis fieri velit, clarè perſcriptum reliquit: ita quidem vt nemo planè, qui modò ſit ſanæ mentis, & qui ad iuſtam aliquam peruenerit ætatē, excuſandi ſit habiturus locum.

Illi igitur qui vi & armis imperia ſua continent, & quoties aliquid mandant, capitis conſtituunt pœnam, ad ſupremum illud tribunal Dei quomodo conſiſtent? Multa ſæpe crudeliter & iniquè & inſidioſè faciunt, dum aliquam prætendunt iuſtitiæ ſpeciem. Nam habent eos, qui ius dicunt, ſuarum cupiditatum plerunque miniſtros, & quantumuis leue delictum exaggerant. Si capitale nihil deprehendunt, rationes excogitant, vt eum, cui malè volunt, immenſis variiſque ſumptibus fatigent, dum & accuſatorem non ſiſtunt, & teſtimonia non cognoſcunt, & auidè expectant, num criminationem aliquis in eum, qui captiuus detinetur, inſtituat. Quòd ſi parum tuta videtur hæc via, neque ſatis ad ipſorum volūtatem accommodata, nouis vtuntur perfugiis: & præ ſe ferunt, exempli ſtatuendi causâ tali fuiſſe opus animaduerſione.

Si quis autem eſt ipſorum cliens & beneficiarius, in eum multò ſunt aſperiores: ac contra officium & fidem, qua ſit obſtrictus, eum aliquid egiſſe confirmant, & eò totis viribus incumbunt, vt aut facultatibus omnibus eum exuant, aut alioqui variis modis affligant. Et vicinis qui ſunt potentiores ac minimè ſtolidi, eos ſinunt vti pace. verùm ſi quis eſt infirmior, eum ſic perturbant & exagitant, vt quò ſe tandem recipiat, vix habeat. Cauſam facilè inueniunt: ſubminiſtrauerit ipſorum aduerſariis auxilia, vel tale aliquid. Quamobrē aut in ipſius ditionem, coactam aliquam militum manum adducent, vt ibi ſumptu miſerorum alantur, aut alienam aliquam litē aduerſus eum ſuam facient: aut eius inimicos ope ſubleuabunt, aut quamcunque aliam nocendi rationem inueniēt. Si quis ipſorum parentibus bonam & fidelem operam præſtitit, eum loco ſubmouent, & nouos ſibi parant beneficiarios.

Eccleſiaſtici ordinis hominibus moleſtiam de ſacerdotiis creant, vt ſaltem aliquid extorqueant, quo deinde locupletent & augeant eos, qui plerunque nullum ipſis honeſtum exhibuerunt officium. Nobilitatem multis variiſque laboribus & impenſis exhauriūt, quando bella pro ſuo arbitratu & libidine ſuſcipiunt, inconſultis iis, quorum abſque voluntate & conſenſu nihil tale mouere debebant. Cùm enim equeſtris ordinis homines ac viri nobiles, non modò facultates omnes, verumetiam vitam & ſanguinem in bella profundant: æquiſſimum eſt profectò, vt prius quàm ſuſcipiatur bellum, eius rei conſilia cum ipſis communicentur.

Quantum ad promiſcuam & miſeram

ſeram multitudinem attinet, nihil planè reliquum eis faciunt: & quũ tributum ab eis præter omnem modũ & æquitatem exigant, quominus ab equeſtribus etiam cohortibus, quas alunt, diuexentur, non cauent: quæ quidem cohortes obequitant huc illuc perpetuò, & non modò viuunt ſumptu miſerorum, ſed etiam proteruè & inſolenter in eos multa faciunt. Nec enim contenti ſunt iis, quæ paſſim in agris reperiunt, verùm etiam miſeris hominibus vim adferunt, eóſque cogunt longius abire, & aliunde afferre cibaria delicatiora: mitto quòd vxorum quoque & filiarum pudicitiam tentant. Huic autem incommodo facilè poſſet occurri, ſi bimeſtri quouis depéderetur eis ſtipendia, quibus aluntur alioquin ex publico: ſic enim nullam eſſent habituri cauſam, qua ſe purgarent de iniuriis illis quas inferunt, neceſſitate quadam, vt aiũt, eò quod ipſis ſtipendium non perſoluitur. Atque iſtud de Gallia propriè dico, quæ præter omnem aliarum gentium morem, miſerabiliter his direptionibus vexatur. Aliæ prouinciæ ſua etiam habent incõmoda. *Ph. Comin. lib.* 10.

PRINCIPES *miſeri.*

Iuxta temporum caſus, Princeps eo adigitur, vt multa præter animi ſui ſententiam exequatur. *Polyb. hiſt. lib.* 17.

Cùm in curiam à Senatu Nerua gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus Arrius Antoninus vir acer, eique amiciſſimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari ſe ait Senatui, populo, prouinciiſque, ipſi autem nequaquam: cui ſatius fuerat malos ſemper principes eludere, quàm tanti oneris vim ſuſtinentem, non modò moleſtiis periculiſque ſubiici, ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cùm ſe mereri omnia præſumant, ſi quicquam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus. *P. Diacon. in Nerua hiſt. lib.* 10.

Multa magni momenti ſæpius eueniunt ex opinione aliqua leuiter ſuſcepta, maximè verò inter Principes, qui propter delatorum multitudinem, ſuſpicionibus ferè indulgent. *Ph. Comin. lib.* 1.

Miſeri ſunt omnes principes qui metui volunt: Et hac in re quanta ſit ſeruitus, quum ad ſenectutem peruenerunt, tunc demum apertè ſentiunt, quia coguntur inuicem plurimos formidare. *Id. l.* 10.

Quod ſupra non ſemel diximus, certè nemini omnium licet abſque populi conſenſu vllam pecuniam imperare. Sed in vtramque partem ferè peccatur. Nam & Principes immoderatè multa ſæpe faciunt, & populus nonnunquam grauiter illos offendit, quando nec morem gerunt, & in neceſſitate deſerunt, & rebellionem faciunt planè contra fidem & iuſiurandum. In Principibus autem conſpicitur magis & eſt illuſtrior Dei potentia, quàm in hominibus priuatis atque plebeis. Nam hi multis expoſiti ſunt iniuriis, & nonnũquam præter ius & æquum mulctãtur vel prædæ conſequendę cauſa, vel culpa iudicis & errore. Aliquando etiã iure plectuntur, in eóque nihil eſt reprehendendum.

Quando verò Principes eorúmque familiares aut ciuitates ali-

quid delinquunt, quis ea de re quæſtionē habebit? & habita quæſtione quis ad iudicē deferet? quis iudicis perſonam ſibi ſumet? quis pœnam conſtituet? Quænam eſt autem huius licentiæ & prauitatis cauſa? Vel cur in deteriorem partem ſic propendemus omnes? Incredulitas nimirum hoc efficit. Nam ſi certò ſtatuerimus eſſe Deum qui ſcelus nullum ſinit impunitum, eſſe perpetuas & ſempiternas pœnas quibus affliguntur impij: credibile eſt neminē fore, qui violēter, aut auarè, vel crudeliter aliquid ageret.

Princeps captiuus quiduis facit vt in libertatem reſtituatur: at verò nulli ferè ſunt aut pauci admodum principes, qui poſteaquam ſemel aliquid occuparunt quocunque modo, illud reſtituere velint. Nam neque ratio, neque iuriſiurandi religio, neque metus diuini Numinis, nec æquitas vlla, nec inferni cruciatus perpetui, mouere illos poſſunt, vt quod alienum eſt, quod à ſe mala fide ſciunt poſſideri, reſtituant.

Interrogaui paulò ante, quis habiturus ſit quæſtionē de potentibus, quis illos accuſabit, quis litem definiet, quis pœnam irrogabit? Certè querimoniæ & lachrymæ miſerorum hominum, quos crudeliter vexarunt, item viduarum & pupillorū, quos maritis atque parētibus inhumanis ſpoliarunt gemitus atque ſuſpiria, breuiter eorū quos afflixerūt & fortunis omnibus denudarūt lamētationes atque plangor, erunt accuſationis loco, quam illi coram ſupremo Dei tribunali ſiſtent. Is magnitudine ſcelerum, non ſemper concedit diuturniorem impunitatem, ſed illos aliquando verberat præſentibus pœnis, ita quidem euidenter & clarè, vt dubitari non poſſit ipſum eſſe iuſtiſſimum impietatis noſtræ vltorem. Plerique verò Principes, imperiti quidem illi & inconſulti, quandiu proſpera vtuntur fortuna, nihil tale metuunt: ſed cùm maximè ſecuri ſunt omnium rerum, tunc ecce Deus repente illis aduerſarium aliquem excitat, de quo minimè ſuſpicati fuerant. *Idem, eod. lib.*

Quum Rex Carolus 8. Lugduni eſſet, nunciatum eſt ei de infirma valetudine ſui filij quē habebat vnicum, ac triduo poſt allatū fuit de eius morte. Deplorauit quidem illę caſum, ſed leuiter. Erat puer ille annorum trium admodū formoſus, & in loquendo audax; neque timebat ea, quæ reliqui pueri ſolent. Rex igitur qui corpore erat exiguo, & ingenio parū exercitato, ſed alioqui placidiſſimis moribus, eo leuius mortem eius ferebat, quòd metueret ne grandior ille factus, gratiam & authoritatem ſibi inter ſuos minueret. Hic autem mihi videtur eſſe magnorū Regū atque Principum miſeriam, qui à ſuis ipſi liberis ſibi metuunt.

Ludouicus vndecimus, cùm eſſet annorum tredecim, facta coniuratione nobilitatis, arma ſūpſit aduerſus Patrem ſuum Carolum ſeptimum: & cùm exreuiſſet adeo vehementer cœpit ab eo diffidere, vt relicto Delphinatu, prouincia ſua, reciperet ſe ad Philippum Burgundiæ Ducem. Et cùm deinde graui valetudine affligeretur: ne filio quidem ſuo, qui tunc erat annorum circiter quatuordecim, fidebat.

Ita videlicet comparatum eſt in rebus humanis,vt omnes pariter aliquo afficiantur dolore. A conditio enim mundo rerum omnium fabricator Deus hoc ita conſtituit: neque licet cuiquam illius euitare decretum, ſed differunt inter ſe cruciatus. Nam qui ſunt animi, grauius vrgent quàm corporis: & quibus obnoxij ſunt prudentes, ij multò ſunt tolerabiliores quàm inſipientum,etſi diuerſum nonnulli ſentiant. Hi enim quo ſe conſolentur atque ſuſtentent nihil habent.

Quod ſi Principes atque potentiores, qui in maxima rerum omnium copia vitam agunt,nullas acerbitates experirentur,eſſet profectò deſperatiſſima miſerorum hominũ conditio,qui labore quotidiano maximiſquè vigiliis & ærumnis,vxorem, liberos atque familiam alunt, & magiſtratui tributum pendunt. Sed longè ſecus quàm vulgò putatur res habet. Nã ſi recenſere velim, quàm multos nouerim principes viros atque fœminas,annis ab hinc triginta,qui in ſummis angoribus atque triſtitia vixerũt,non mediocrem ſim conſcripturus librum. Atque hi tamen, qui rebus omnibus affluerent, iis qui non nouerant familiarius, videbantur eſſe omnium hominum beatiſſimi. Neque dici poteſt,quàm tenues ac infirmas plerunque ſui mœroris cauſas haberent: magna enim ex parte nitebantur ſuſpicionibus & calumniis. *Idem, lib.5.de bello Neapol.*

Lautrechius exercitus Gallici in Inſubria Dux,cùm ei pecunia ex Galliis non mitteretur ab Heluetiis auxiliariis deſertus adeò importunè,vt paulò poſt victoria quã perauerat ſpoliatus,&à Cæſarianis fuſus fugatus eſt. Qua in re operæpretium eſt attẽdere quantum malignitas & imprudentia apud principes poſſit,qui vel negligẽtia correpti negotiorum curam deponũt, vel imprudentia in præceps pulſi bona cõſilia à malis perſe non dignoſcũnt:nam cùm trecenta coronatorum millia, quæ Lautrechio, (quemadmodũ ei promiſſum fuerat) parata eſſent, regis mater non tam potentiæ eius augendæ cupida,quàm vt proprij filij commodũ obliuioni traderet, eam pecuniam rege inſcio per quæſtores in alios vſus conuerti curauit. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.14.*

Carolum octauum filij pueruli mortem non ægrè tuliſſe quidam exiſtimant. Ex quo omnibus ſortẽ magnatũ intuẽtibus,videri neceſſe eſt miſerrimam:ſic diſtrahuntur in contrarias volũtates eorum cupiditates à liberis,vt,eiſque infantibus, ſibi metuant. *Arn. Ferron. lib.2.*

PRINCIPES *profuſi.*

Maxima ſibi & prouincialibus damna intulerunt principes, qui profuſè temereque donando per otia pacis vanis ſumptibus paratos ad bellicas neceſſitates theſauros exhauſerunt. *P.Iouius,hiſt.lib.14.*

Ob deprauatum hominum iudicium plerunque accidit,vt in regibus magis profuſio, quanuis ei rapacitas ſit annexa, quam parſimonia cum alieni abſtinentia coniuncta,laudetur. *Fr.Guicciardin.hiſt.lib.12.*

PRINCIPES *prudentes.*

Nihil prope quo ſummis ango-

ribus afferri mortales ſolent, dici ſeu cogitari poteſt, quod non M. Antonino Vero Imperante ſæuierit. Credo diuinitus attributum, vt dũ mundi lex, ſeu natura aliquid hominibus incognitum gignit, rectorum conſiliis, tanquam medicinæ remediis leniatur. *P. Diacon. in M. Anton. hiſt. lib.* 10.

PRINCIPES *Rerumpub. hoſtes.*

Reſpublicas odio principes ſemper proſequuntur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 4.

PRINCIPES *ſapientes.*

Qui ita ſe comparant, vt maximam temporis partem ſeriis occupationibus, reliquum autem liberalibus & honeſtis oblectationibus impendant, magnam illi ſanè laudem merentur: & , ô felicem populum, cui talem contingit habere Principem! *Ph. Commaeus, libro* 9.

PRINCIPES *ſtolidi.*

Dum oblectantur otio, ſimúlque diuitiis parent, quarum vſum affluentiámque æternitate maius putant, muniuere militibus ac pæne barbaris viam in ſe ac poſteros dominandi. *Aurel. Vict. libr. de Cæſarib.*

Stolidorum ingenia proinde agunt, vti monitores ſunt. *Idem, ibid.*

PRINCIPES *ſuperbi.*

Potentiores, ad iniuriam propenſi, populo ſuperbè inſultant. *G. Pachymer. hiſt. lib.* 11.

Carolus Burgundus re infeliciter aduerſus Heluetios geſta, contriſtatus in ægritudinem incidit, & per eum morbum deceſſit ei mentis plurimum & ingenij. Atque ad hũc modum vexantur omnes, qui morbis nullũ inuenire poſſunt ingeniũ: in primis autem Principes faſtuoſi & ſublimes. Verùm in eo rerũ ſtatu, primum eſt, vt ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precamur. Alterum eſt, vt ex amicis, cui plurimũ tribuimus nos patefaciamus toros, & animi vulnus quo affligimur denudemus. Nam ad reficiendum animi vires nihil eſt efficacius. Huc etiam ſi labores & corporis exercitia, & honeſtæ accedãt occupationes, magnum ea res momentũ adfert. Vt enim aliquo modo affectus illi conſumantur, oportet. *Ph. Comin. lib.* 7.

PRINCIPES *ſuſpicaces.*

Ad ſuſpiciones quantum pertinet, obnoxij ſunt ei morbo pleriq; omnes reges, maximè verò prudẽtiores, & illi qui multos habent aduerſarios, & qui complures offenderunt. *Ph. Cominaeus, lib.* 9.

PRINCIPES *voluptuoſi.*

Nihil gerunt opportunè & ex virtute, qui voluptatibus & ocio dediti ſunt. Ii cũ authoritatẽ ſummam, beneficio Dei teneant, maximè ſanè ſunt vituperandi, quòd officio ſuo deſint. Qui furore & amẽtia quadam vexãtur, iis exprobrari nihil poteſt: qui autem ingenio nõ ſunt deſtituti, & commoda vtũtur valetudine, ij minimè deplorari debẽt, quando per ignauiam & ocium in calamitatem aliquam incidunt. *Ph. Comin. lib.* 9.

PRINCIPVM *aula.*

Malè in aulis principum cõſilia etiam de maximis rebus occultãtur. *P. Iouius, hiſt. lib.* 14.

PRINCIPVM *autoritas certis limitibus & iure populi coercita.*

Nemo eſt omnium Principũ, qui ius

ius habeat vel teruncium vnum exigēdi à ſuis, præter conſtitutum annuum eēſum:niſi populus aſſenciatur. Dicat aliquis fortaſſe nonnunquam incidere tempus aliquod, vt non ſit integrum agere conuentus,aut conſcribere, populum,eò quòd eiuſmodi mora& cōiuncta ſit cum periculo,& belli rationes impediat.

Nihil hoc certè ad rem facit. Nam vt bellum ſuſcipiatur, graui quadam & matura opus eſt deliberatione, neque ſubitò vel præcipitanter aliquid in eo fieri debet,deinde quando reges de communi conſenſu populi rem gerūt,& ſunt potentiores,& ab hoſte magis metuuntur. Nullum enim tam ſubitum oriri poteſt aut moueri bellū, ex longinquo præſertim,quin multò ante ſentiatur: & quoties tale aliquid incidit, populus ſua libenter conferre debet, ac modis omnibus auxiliari. Sed ipſorum Principum eſt etiam prouidere omni ratione, ne leue aliquod bellum pro ſua libidine & temere ſuſcipiant, vt per hanc occaſionē à ſuis extorqueant pecuniam. Ad finium tuitionem opus eſt haud dubiè ſūptus facere, etiam pacis tempore, ne inopinantes opprimamur: ſed moderatè omnia fieri debent, atque totum hoc poſitum eſt in Principis prudentia.

Sunt Principes quibus hoc frequens eſt in ſermone,vt dicant,habere ſe priuilegia, vt quantum velint exigant à populo. Certè Galliarum Rex omnium minimè cauſam habet,vt iſtud de ſe iactet.Nec enim vel ipſi vel cuiuis alij licet. Qui verò comparandæ gratiæ cauſa, poteſtatem hanc illi tribuunt, ij certè parum liberaliter & prouide agunt. Quid enim finitimorum voluntates alienare magis poſſit, quàm eiuſmodi voce atque licentia? Verùm ſi Rex diceret, habere ſe populum fideliſſimum, qui libenter imperata faciat,qui nullum onus recuſet, qui patientiſſimè quiduis toleret,qui damnum acceptum moderatiſſimè ferat, maiorem ſanè laudem ex eo ſit habiturus,quàm ſi prius illud dicat,ſuúmque priuilegium ſibi diligēter ſeruandum eſſe comendat.

Nō ſic loquebatur Carolus Quintus,Galliarum Rex,neque verò aut Ludouicum XI.aut eius filium,ſed ipſorum familiares audiui non ſemel in eam loquentes ſententiam: & prudenter quidem ipſorum iudicio. Sed re vera faciebant hoc partim adulatione,partim inſcientia rerum.

A morte Ludouici regis conuenerunt omnes Galliæ ordines, vt de ſumma imperij ſtatuerent.Non deerant id temporis imperiti quidam,& tenuis conditionis, ac nullius vſus homines qui dicebant eiuſmodi conuentus ad crimen leſæ maieſtatis pertinere,quod eo ipſo Regum poteſtas imminuatur. Verùm qui ſic loquuntur, ſcelere ſe polluunt, grauiſſiméque dubio procul & Deum & Rempublicam offendunt. Nam eiuſmodi voces ſolùm ſpectant ad priuatam vtilitatem eorum, qui nullo ſuo merito vel virtute authoritatem obtinent, qui ad nullam rem honeſtam idonei, clandeſtinis ſuſurrationibus Principū aures demulcēt, & gratiā eblandiuntur,qui conuētus idcirco metuunt, ne ipſorū detegatur improbitas. *Ph.Comin.li.10.*

PRINCIPVM *coniugia.*

Grauiſſimi labores quis princeps orbem terræ capeſſit, egent admi niculis, vt domeſtica cura vacuus in commune conſulat. Nullum porro honeſtius cenſoriæ mentis leuamen, quàm aſſumere coniugem proſperis dubiiſque ſociam, cui cogitationes intimas, cui paruos liberos tradat. *Tacitus, Annal. lib.12.*

PRINCIPVM *conſilia.*

Cæteris mortalibus in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum ſors diuerſa eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. *Tacitus, Annal. lib.4.*

PRINCIPVM *contemptus.*

Nihil quidquam eſt ad audaciam malis, ad ſpem bonorum bonis promptius, quàm quum vel malus timetur, vel diſſolutus contemnitur Imperator. *Trebell. Pollio in Gal lienus.*

PRINCIPVM *incuria.*

Principes omnia facilius quàm ſua cognoſcunt, ac neque clã ſuos quicquam agunt, neque eorum res curioſè ſcrutantur. *Dion, libro 55.*

PRINCIPVM *mores.*

Virtutibus Principum res facilè attolluntur, vel afflictæ, eæque firmiores præceps vitiis dantur. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

Magnorum principum mores popularibus minimè ſimiles ſunt, nec tam facilè cupiditatibus ſuis, ac homines priuati imperant: quoniam in ſuis regnis coli, & ad nutum intelligi atque obediri aſſueti, non modò tumidi & inſolentes ſunt, ſed vt ea quæ ipſis iuſta videtur non obtineant ferre non poſſunt: iuſta autem illis videntur quæcunque expetunt, ſe vno verbo omnia impedimenta tollere, & rerum naturam ſuperare poſſe exiſtimantes, imò ab ſuis cupiditatibus difficultate remoueri ſibi dedecori ducunt, & plerunque res maiores eodem pede quo in minoribus vti conſueuerunt metiuntur, non ex prudentia & ratione, ſed ex libidine atque arrogantia conſilium capientes; quibus vitiis, omnibus qui aliis imperant communibus, nemo Gallos affirmarit eſſe immunes. *F. Guicciardin. hiſt. l.b.7.*

Eſt hoc in noſtræ ætatis principum more poſitum, vt alter alterũ vana ſpe & fictis conſiliis foueat; quæ cùm tot annis exitum nõ habuerint, fatendum eſt, aut ea vel ficta fuiſſe, vel aliquam difficultatẽ (quæ explicari non poſſit) habere: nam vt hæc inter ipſos ſuſpicio diffidentiáque tollatur, repugnat ipſa natura: ſine quo fundamento ſocietas inter ipſos coire non poteſt. *Id. eod. lib.*

PRINCIPVM *ornamentum.*

Duo ſunt quæ ab egregiis principibus exſpectãtur, ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia. *Aurel. Vict. hiſt. Auguſt.*

Compertum eſt eruditionem, elegantiam, comitatem præſertim, Principibus neceſſarias eſſe: cùm ſine his naturæ bona, quaſi incõta, aut etiam horrida, deſpectui ſint, contráque ea Perſarum regi Cyro æternam gloriam parauerint. *Idem lib. de Cæſarib.*

PRINCIPVM *regula.*

Si ea quæ alio imperante tibi fieri

fieri velles ipſe vltro feceris aliis, neque peccabis quicquam, & omnia feliciter adminiſtrabis, & ſuauiſſimè nullóque cum periculo ætatem deges. *Zonar. Annal. tom. 2. in Auguſto.*

PRINCIPVM *ſerui.*

Eorum mos eſt, qui obſequiis & certis bello & pace facinoribus editis principum gratiam quærunt, vt eos & iuſtos & temperantes eſſe nolint: propenſum verò erga nominis ſui ſtudioſos, & veterum factionum memorem citóque exorabilem, parati ad omne vitæ diſcrimen, ſingulari beneuolentia proſequantur. *P. Iouius, hiſt. lib. 4.*

PRINCIPIA *rerum ad finem deducenda ſunt.*

Veteres quando principium totius eſſe dimidium dicunt, in ſingulis rebus curandum eſſe monent, vt rectè ordiamur. Quanuis autem per exceſſum id dicere videntur, mihi tamen minus ab illis quã ipſa veritas expoſcat dici apparet. Poterit enim quis confidẽter dicere, nõ eſſe principium totius dimidium, ſed & inſuper requiri, vt vbi inchoaueris, ad finẽ quoque animo contendas. Etenim quomodo fieri poterit, vt recta quis ordiatur, niſi ſimul & conſummationẽ propoſiti mente concipiat, ſciátque quorſum, & ad quid, & qua ratione quod conatur efficere velit? Rurſus quomodo res competẽter conſummari poterunt, niſi primùm rectè expendas, vnde, aut quomodo, vel propter quid rem aliquam aggrediare? Quocirca non eſt putandum, ad dimidium duntaxat extendenda eſſe principia, ſed ad finem vſque: eáque de re ſummum habendum ſtudium tam dicentibus quàm audientibus. *Polyb. libro 5.*

In omnibus publicis rebus principia diligenter conſideranda ſunt: propterea quod poſtea ſine ſũmo probro & periculo ab iam conſtitutis, diúque retentis, diſcedere in hominum poteſtate eſt. *F. Gui. l. 8.*

PRIVATI *publica imitantur.*

Multò citius priuati ſuos mores & conatus ſecundum publica ſtudia componunt atque accommodant, quàm vt ſingulorum lapſus & affectus vrbem malis rebus impleant. Conſentaneum enim eſt cũ toto in peius vergente, vnà etiam partes abripi: cum quòd ab vna particula aduerſus totius naturã peccatur, corrigi facilè à ſanis mẽbris queat. *Plutarch. in Lyſandro.*

PROBRA.

Spreta exſoleſcunt: ſi iraſcare, adgnita videntur. *Tacitus, Annal. lib. 4.*

PROCRASTINATIO.

In ſummis rerum difficultatibus procraſtinatio, vniúſque vel alterius diei dilatio, non paucas ſalutis rationes exhibet, viáſque aperit ſapientia hominum antea ignotas. *Heliodor. lib. 1.*

PRODIGIA.

Prodigium eſt diuinæ iræ ſignum: quo verò pertineat, ad eáne quæ præterierint, an verò ad ea quæ inſtent, vtique ignoratur. *G. Pachymer. hiſt. lib. 6.*

Solemus quidem terrorés prodigiorum ſpe & mora nobis ipſi blandientes, ad alios transferre,

Verùm apud quos malorum ſignū apparuerit, apud eos etiam euentum ratum fore conſtat. *Idem, eodem libr.*

Per prodigia diuinitus profecta, non præſentia modò, ſed etiam futura declarantur atque prædicuntur. *Mich. Glyca, Ann. pag. 4.*

Prodigia ſanas etiam mentes perturbare conſueuerunt. *P. Iouius, hiſt. l. 15.*

PRODITIO.

Homines ob cętera quidem delicta admiſſa ſolent iraſci: ſed quãdo eſt aliqua proditionis ſuſpicio, exiſtimant magnæ eſſe prudentię, ſi vel vano metu territi potius ſibi ab ea caueant quàm ob eius contemptionem ſe funditus euerti patiantur. *Dionyſ. Hal. l. 5.*

PRODITOR.

Tantò proditor occultus & clãdeſtinus hoſte aperto pernicioſior eſt, quanto difficilius eſt à re latente quàm manifeſta ſibi cauere. tantò etiam abominabilior, quòd hoſtes aliquando rurſus reconciliantur, amicique redduntur: at qui ſemel in proditione deprehẽſus eſt, cum illo nemo vnquam in gratiam redit, aut illi deinde confidit. *Xenophon libro ſecundo de rebus geſt. Græc.*

Caput proditoris opportunum eſt prodito ſolatium. *Curtius libro tertio.*

Fidẽ nemini ſeruare poteſt, qui patriæ non pepercerit. *Fl. Vopiſc. in Aureliano.*

Qui proditoris vſus beneficio eſt, accepta quidem ex gratia, repentina quadam, vt victor, afficitur voluptate: ſuſpicione tamen in poſterum ductus veretur ſimul & odit ob eius facinora beneficũ proditorem, vt qui in ſeipſo expertus aſſeruet & caueat proditionis indicia. *Procop. de bell. Goth. libr. primo.*

PRODITORES.

Nullæ leges proditoribus, ſeu profugis ſecuritatem præſtant. *Xenophon de rebus geſt. Græc. libro ſeptimo.*

Non illi qui impedimento ſunt ne hoſtium numerus augeatur, vel qui docent quo pacto creſcat ſociorum numerus, hi hoſtes reddunt potentiores: ſed multò magis qui per vim ac iniuſtè pecunias auferunt, innocentéſque interficiunt, ij ſunt qui aduerſariorum augent numerum, quíque non ſolùm amicos, ſed ſemetipſos ob turpem quæſtum produnt. *Idem eodem libro ſecundo de rebus geſt. Græc.*

Nihil proditoribus aut iis qui res nouas moliuntur tutum eſt. *Polyb. l. 2.*

Proditores, etiam iis quos anteponunt, inuiſi ſunt. *Tacit. Annal. libro 1.*

Proditores iure non ſolùm ſunt nuncupandi, qui portas hoſtibus patefecerint: ſed longè magis qui obſeſſis & amicitia coniunctiſſimis ferre dum auxilium queunt, id tamen vel periculum veriti, vel quia ocium potius quàm negotiũ malint, quum negligunt, in hoſtium ditionem hos tradant. *Procop. de bel. Goth. l. 2.*

Proditoribus degeneres ſunt animi, præſertim cùm in ipſa perfidia deprehenduntur. *P. Iouius, hiſtor. libr. 2.*

PROGRESSVS *in bello periculoſi, quales.*

In hoſtili ſolo progredi velle loco munito poſt terga relicto, periculo-

riculoſum eſſe aſſeuerabat Beliſarius, quandoquidem nihil in proximo ſit, quo ſe tueri exercitus vel recipere queat. *Procop. de bell. Goth. libr.2.*

PROMISSA.

Fit vt ſæpenumero promptiores in promittẽdo ac minando homines ſint, quàm in perficiendo. *Dion, l.38.*

PRONVNTIATIO.

Exercitatio in arte oratoria res eſt nullius momenti, vbi pronunciationis negligitur ratio. *Plutar. in Demoſt.*

PROSPERITAS.

Plerunque quæ ſecundum rationem hominibus proſpera eueniunt, ſtabiliora ſunt quàm quæ præter opinionem faciliúſq; propè dixerim eſſe propulſare aduerſa quàm tutari ſecunda. *Thucydid. libr.2.*

Omnis proſperitas maximè inuidioſa eſt, præſertim ea in qua eſt contumelia & aſperitas in homines afflictos ac miſeros, ac in noſtram poteſtatem redactos. *Dionyſ. Hal. l.6.*

Res ſecundæ ingenio modico & ſubmiſſo præditos attollunt, vt magni ſibi videantur, criſtáſque erigant, cum excelſo loco ſe conſtitutos cernunt. *Plutarchus in Eumene.*

Maximæ cuique fortunæ minimè credendum eſt. *Liuius, Decad.3. libr.10.*

Si in ſecundis rebus bonam quoque mentem darent Dij, non ea ſolùm quæ eueniſſent, ſed etiam ea quæ euenire poſſent, reputaremus. *Idem, eod. l.*

In ſecundis rebus nihil in quenquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, cùm quid veſper ferat incertum ſit. *Idem. 5. l.5.*

Ea quæ bona quibuſdam eſſe videntur, qua plurimos commouẽt ad iniuriam faciendam. Nam nobilitas generis, copia diuitiarum, amplitudo dignitatum, fortitudo animi, & magnitudo potentiæ, in errorem homines inducunt. *Xiphil. in Cæſare Aug.*

Princeps ingens gloria, eo eſt ferocior & ſubiectis intolerabilior. *Tacit. Ann. l.11.*

Plerique omnes fortuna aſpirante felicem rerum ſuarum exitũ nacti, inflantur, inſoleſcunt, ac per ſuperbiam humanos & communes caſus parum conſiderant. Indéque non pauci conſpiciuntur, ſecundam fortunam non ſecus ac grauiſſimum onus, minus commodè ſuſtinere. *Diodor. Sicul. hiſtor. libr.16.*

Secundâ fortunâ ad ſuperbiam prolabimur. *Tacitus Annal. libro vndecimo.*

Rebus ſecundis etiam egregij duces inſoleſcunt. *Idem, hiſtor. libro ſecundo.*

Quanquã optatiſſimum eſt perpetuò fortunam quam florentiſſimam permanere: illa tamen qualitas vitę non tantum habet ſenſum, quantum quum ex ſæuis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna reuocatur. *Ammon. Marcell. libr.15.*

Decere ſapientes nihil ambige (*Narſetis dictum*) ne cum fortuna ſimul ſecundis in rebus ſe efferãt: ſed quemadmodum facilè præſentia hæc immutantur, ita & animũ ad varios velim hi præparent caſus. Nam his quidem qui hoc pa-

cto ſe habent, ſuauiſſima apparebit felicitas, nec erit moleſtum ſi qua in re præter eorum ſententiã vtcunque fallantur. *Agath. hiſtor. libro* 1.

Qui ex ſeruitute inſuetam libertatem propitia fortuna conſecuti ſunt, maxima perpetuò adfectantes, neque ſe in poſterum calamitati vlli fore obnoxios opinãtes, ſucceſſibus & victoriis effuſè indulgent, priſtini ſtatus obliti, præſenti verò læti & inſolentes. *Nicet. in Balduino Flandro.*

Proſperi ſucceſſus humana ingenia cùm primis explorant, & væcordes homines tam inſolentes reddunt, quàm cordatos conſtantiæ, moderationis & grauitatis laudibus cumulant. *Nicephor. Gregoras, hiſt. l.* 9.

Proſperitas eſt (vt aiunt) conſimile quiddam graui plumbo: ſi hominem robuſtum non nãciſcatur, qui oneri ferendo par ſit, pronum in terram præcipitat & proterit. *Conſtant. Man. ſſ. Annal. pag.* 160.

Animus mortalium inexplebilis eſt præſentis fortunæ muneribus, ſempérque ad vlteriora contendit. *P. Æmyl. l.* 1.

Quod vulgo dici ſolet, nimia proſperitate homines maiorem hoſtem non habere, veriſſimũ eſt, ea enim illos effrenatos ſuíque prę fidentes, ad malum audaces, & proprij cõmodi nouis rebus turbandi cupidos facit. *Fr. Guicciardin. hiſt. libro* 13.

PROSPERITAS *res periculi plena.*

Splent vrbes fieri inſolentiores, cùm exiguo labore inſperata felicitas contigit: ſed ſtabilior eſt fortuna, quæ ratione paratur, quàm quæ caſu offertur: ac facilius eſt aduerſa propulſare, quàm retinere res ſecundas. *Thucyd. l.* 3.

Neque cuiuſuis eſt corporis multum merum citra ebrietatem ferre, neque temere inuenias, qui non in tanto rerum ſecundarum affluxu de poteſtate rationis exeat. *Plutar. in Lucull.*

Secundæ res ſapientium animos fatigant. *Salluſt. de coniur. Catil.*

Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant: quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrũpimur. *Tacit. hiſt. l.* 1.

PROSPERITAS *ſtultorum animos corrumpit.*

Humani animi rerum ſucceſſibus certiſſimè explorantur, quibus amentes tantum inſoleſcunt, quãta prudentes laude moderationis cumulant. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr.* 6.

PROSPERITATIS *rectus vſus.*

Memini ex te olim audiſſe, itidem à diis illum magis exorare quod velit, quemadmodum etiam ab hominibus, qui non quum anguſtiis vrgetur, tum aſſentetur, ſed quum rebus ſecundis vtitur, tum reminiſcatur deorum. *Xen. de ped. Cyri, l.* 1.

Res ſecundæ, vbi animus continens iis moderatur, perdurant: potentiáque mediocriter vſurpata, omnia bona conſeruat, ac (quod potiſſimum eſt, miniméque iis obtingit qui ſine virtute viuunt) & viuentes ſincero amore diligi, & defunctos veris laudibus ornari facit. *Dion, l.* 43.

PROSPERITATIS *humanæ vanitas.*

Quàm vanum, quámque ridiculum

lum ſit, ob res ſecundàs, atque ex animi ſententia egregiè geſtas aliquam in fortuna ſpem ſitam habere, vniuerſis ſingulare exemplum præbuit M. Attilius, qui cùm nulla in Carthaginenſes ad extremum redactos miſericordia moueretur, pacémque ſuppliciter orantibus negaret, mox ipſe eò redactus eſt, vt eãdem conditionem ſuppliciter à Carthaginenſibus petere cogeretur. *Polyb.l.1.*

Vt hominum quis leuioribus multò, quam alius quiſquam qui iiſdem vixerit temporibus, incommodis affectus, non difficillimè fortaſſe reperiatur, vti nauis aduerſis tempeſtatibus minus agitata: ſic propemodum neminem vnquã crediderim perpetuò moleſtiarũ & calamitatum immunem fuiſſe: quando neque vlla nauis memorari poſſit, quę ſemper ſecundiſſimis vſa fuerit tempeſtatibus. *Pauſan. libr.8.*

Periculoſum eſt vnius homini fortunæ res maximas continuò credere: difficulter enim fieri poteſt, vt idem ſemper proſpera vtatur fortuna. *Plutar. in Fab. Max.*

PROTECTIO *diuina.*

Hominem, quem robuſtæ Dei manus cuſtodiunt, quis mortalium poſſit ante diem è medio tollere? Si fortiſſima Dei manus te protegat, ferrum non metues, gladium non formidabis, non ignem, non barbaros & ſanguinarios animos. *Conſtant. Manaſs. Ann. p.76.*

PROVIDENTIA *Dei.*

Homerus in arduis inuſitatiſq; rebus, & ad quas impetu quodam animi, ac furore quaſi diuino opus eſt, Deum proponit non qui conſilium noſtrum tollat, ſed moueat, neque impetus animo indat, ſed viſa & imaginationes obiiciat, quę impetuũ duces ſunt: atque ita ſanè non inuoluntariam efficit actionem, ſed voluntati initium præbet, eámque ſpe & confidentia confirmat. Aut enim omnino excludendus eſt ab omni principio cauſáque actionum noſtrarum Deus: aut quiſnam alius tandem ſit modus quo hominum ille actiones adiuuet? non enim corpora noſtra effingit, manúſve, ad id quod facto opus eſt, aut pedes applicat: ſed eam animi partem, quæ ad agendum eſt deligendúmque nata, principiis quibuſdam & viſis, cogitationibuſque obiectis excitat, aut cõtra auertit & inhibet. *Plutar. in Coriolano.*

Ferunt Alexandrum in Ægypto Pſammonem philoſophum audiuiſſe, ídque eius dictum maximè probaſſe, quo affirmabat omnes homines à Deo regi: diuinum enim eſſe id, quod in vno quolibet præſit atque imperet. Ipſumque magis philoſophicè eadem de re ſenſiſſe cùm quidem Deum omnibus hominibus communem eſſe patrem, ſed proprios ſibi filios eos adſciſcere, qui hominum eſſent præſtantiſſimi diceret. *Idem, in Alexandro.*

Vſque adeo Natura non ſolùm corpora hominum, verum etiam animos ſui diſſimiles finxit, vt ſæpenumero vnus idémque homo non modò in rebus diuerſis, hîc quidem fortiter, illic ſegniter ſe gerit, ſed in ſimilimis quoque rebus modò inauditam celeritatem, aliâs incredibilem ignauiam oſtendat: & aliquando quidem fortiſſimus, nonnunquam verò timidiſſi-

mus videatur. Non ſunt autem iſta paradoxa, ſed conſueta & nota illis qui animaduertere volũt. Quippe multos in venationibus cernimus aduerſus ſæuiſſimas feras audaciſſimos eſſe: quos ſi ad arma hoſtéſque tranſtuleris, ignaui ſocordéſque apparebunt. In rebus verò bellicis plerique ſingulari certamine ſunt acerrimi, qui nullius pretij in acie. Theſſalicos equites, conſerto prælio, inſuperabiles eſſe conſtat. Eoſdem ſi per partes attentaueris, lacerare & capere facilimum erit. De Ætolis contrarium accidit. At Cretenſes terreſtribus ac naualibus præliis ad inſidias, furta, rapinas, nocturnos inſultus, & omnia doli genera promptiſſimi apparent. In prælio verò diſpoſitis cohortibus ſegnes, timidi ac inutiles prorſus. His planè contrarij ſunt Achæi atque Macedones. *Polyb.l.4.*

Deorum beneuolentia præſente omnes res hominum in melius cedunt. *Dionyſ. Hal.l.2.*

Deorum indignatio omnibus ſuperbis imminet. *Idem, l.eod.*

Deorum beneficio omnes res præclarè & bene geſtæ acceptæ ferendæ ſunt. *Idem, l.3.*

Diis & geniis curæ ſunt res mortalium. *l.4.*

Diis curæ ſunt res mortalium. *Idem, eod.l.*

Diuina prouidentia ſemper & aliàs vrbem Romam ex periculis eripuit, & ad mea vſque tempora incolumem etiam tuetur. *l.5.*

Intereſſe rebus humanis cæleſte Numen videtur. *Liuius, Decad.1. libr.1.*

Pro ſe quiſque Deum tandem eſſe, & non negligere humana fremunt: & ſuperbiæ crudelitatíque & ſi ſeras, non leues tamen venire pœnas. *Idem, l.3.*

Diuina prouidentia non inulta ea eſſe patitur, quæ præter ius & æquum fiunt. *Zonar. Annal. tom. primo.*

Etiam ſi prouidentia tardius inuadat iniurios, conceſſo pœnitentiæ ſpatio: tamen niſi à malitia diſceſſerint, lento gradu eos aſſequitur, & pœnas exigit. *Idem, in Rom. Lacapeno. tom.3.*

Prouidentiæ diuinę nutu res noſtræ gubernantur. *Idem, in Conſt. Monom. tom.3.*

Cupiens in futurum euehere aliquem, nullo reſiſtere valente id peragit, neque viri dignitatem cõſiderans, neque aliquid eorum quę euentura ſperamus exequens, neque hominum querelas & accuſationes curans: ſed quod ſemel conſtituit, id exequitur. *Procop. de bell. Perſ. l.2.*

Deus procul futura reſpiciens præſcribit vbi aliquãdo res caſura ſit: at homines à ſpe ſępe decepti, ignorant ſe cecidiſſe, etiam ſi compotes ſint aut recta cucurrerunt fortunæ via ferẽtis ad ea bona quę viſa ſunt prius. *Idẽ, de b.l. Vandil.l.1.*

Humana omnia procedunt, ita vt Deo placitum eſt. *Idem, de bell. Goth.l.1.*

Laqueos & retia diuinæ prouidentiæ nemo euadere poteſt. *Nice. in Alex. Comn. Manuelis F.*

Non ſolet Deus eadem ſubinde ratione res humanas gubernare, ſed ad varietatem adminiſtrationis vniuerſi declarandam regna & principatus aliter atque aliter trãſferre, ne minutiſſimis quidem rebus à ſua cura excluſis. *Idem, Iſaac. Angel.*

Angel. libro tertio.

Deus monſtrat ſe eſſe horarum & temporum dominum, & à ſe iti nera hominum vel proſperari, vel impediri. *Idem, Alex. Angel. l. 3.*

Cuncta gubernans prouidentia ſæpius multitudini equorum & exercituum non ſubſeruit: exiguis verò copiis & parũ locuplete ſpe fretis magis adeſt, maximáſque largitur victorias. Nam illorum ſpem arma ſæpe & reliqui appara tus abundãtia velut adulterat, nec ſurſum ferri ad vitæ necíſque dominum ſinit, ſed graui quodam pondere deorſum premit, humíque verſari cogit: horum contrà fiduciam penuria expeditiorem facit, ac propemodum ad percurrendum cœlum impellit, & votis ardentioribus ſupernam dexteram euocat. Hinc eſt quòd multi magna ſpe deiecti, contrarium expe riuntur: alij verò ex inopia & ſui deſperatione maximos triumphos adepti ſunt. *Nicephor. Gregoras, hiſt. libr. 4.*

Prouidentia Numinis etiam arida refloreſcunt, & pauperes ditantur, & imbecilles confirmantur, & parui amplificantur: contráque fit, cùm diues ſuis opibus glorietur, & potens ſuis viribus intumeſcat. *Idem, eod. l.*

Ea quæ geruntur curæ ſunt diuinæ prouidentiæ, & cuiuſque rei exitus ab antegreſſis pendet cauſis: quas nos quidem moleſtiæ vitandæ cauſa quæ inde exiſtit libẽter obliuiſcimur, vindicta verò ſuis pugillaribus inſcriptas cuſtodit: vt quemadmodum quiſque ſementem fecerit, ita & ſuo tempore metat. Nam ipſo euentu homo doceri queat, iis quæ diuinitus non proſperentur, & terram, & mare, & aërem aduerſari, tanquam fugitiuum Dei & iuſtitiæ violatorem fortiter vlciſcentia. Qui vbi ſeſe cognórit, ipſe ſibi præcipere queat: non refragandum eſſe latæ diuinitus ſententiæ, qualis ea cunque fuerit: neque violenter quicquam agendum, ſed ſuæ ſorti acquieſcendo fallendum tempus, ac fatum adiuuandum potius quàm impediendum, licet aliter agat nos quàm vellemus. Longè ſanè præſtat quietum obſequi fato, quã illi fruſtra nitendo veluti materiã præbere. Quod perinde fuerit, ac ſi quis flammæ impetum reformidans, cedes vndique circundantis, non omni ſtudio ne longius euagetur obſtet aut prorſus eam reſtinguere conetur: ſed ſarmentorũ faſciculos congerat, & multum olei affundat. aut ſi quis vehementi ſpirante Borea, & crebros fluctus excitante, nauicula exigua æſtuanti pelago ſe committat vltro. ea enim ſunt eiuſmodi, vt aſpectum minimè iucundum præbeant: ſed vnum ex infeſtis iſtis rebus, ſi acceſſeris, interitum adferunt. *Idem, libr. 7.*

Cùm diuina Prouidentia conſiliis & actionibus humanis non ſuf fragatur, malo & infelici exitu exterminantur. nam & prudentes cõſilium, & fortes virtus deſtituit, atque in contrarium conuertitur. *Eodem, l. 7.*

Illud eſt animaduerſione dignũ, quod nihil humanarum rerum ſine Prouidentia adminiſtratur, ſed omnia aguntur arcana quadam ra tione: licet nos ignari ſedeamus, verba & Prouidentia & veritate indigna faciẽtes. Cùm enim Deus

aliquos ob vetera & recentia delicta mulctare vult, periti medici more incurabilibus morbis vſtiones & ſectiones adhibet. Mox terram fortunatam aër grauis infeſtat aqua maris illi ſuccenſet, importuni venti eam exagitant, peſtilentia graſſatur: affliguntur viri boni & eruditi, qui mores ſuos ad Doriam (vt ita dicam) harmoniam compoſuerunt: quicquid inſtituunt labaſcit, conſiliis minimè reſpondet euentus, Deo ſic euentum moderante. contra calamitoſi, obſcuri, væcordes, & furiarum alumni, proſperam fortunam experiuntur: ſtulti potenter vincunt ſapientes: ſanniones & mancipia modeſtos & honeſtos ſuperant. Tum & vrbiũ magiſtratus, & patres familias, & tribunos plebis, & ædiles, & prætores, & monachorum rectores omnes videas impudentiæ & petulantiæ ſeruire: nec ex officio quicquam facere aut poſſe, aut velle. *Idem l.8.*

Quid opus eſt ſacras Prouidentiæ rationes recenſere, quæ res noſtras gubernans, eo fine concludere ſolet, quem ignoramus? nunc ſperato, nunc inſperato: & nunc cum appendice, nunc ſine adiectione: non ſecus ac ſi quis Piræeo egreſſus Ægeum mare traiicere inſtituat, Septentrionum verò vi in Cretam & Sardiniam præter expectationem deferatur. Nam tali inconſtantia & terræ & maria perpetuò concutiuntur. Quamobrem fortaſſe etiam deteriora metuenti, meliora contingent: & triſtitiæ ſemẽ vberem lætitiæ meſſem producet. *Idem, eod. l.8.*

Prouidentiæ vis eſt ineuitabilis. *Item*, Quod fieri oportet, Sapientiam omnem humanã oppugnat. *G.Pachym.hiſt.l.2.*

Inexpugnabilem diuinæ prouidentiæ vim nemo mortalium vnquam coarguere ceu vanam & inefficacem poterit. *Conſtant. Manaſſ. Ann.pag.80.*

Non ſinit Deus rem ſuæ potentiæ infidelium virtutem videri. *Paul. Diacon. in Ariad. & Honor.*

Quia multo interiectu ſeculorũ Perſarum & aliorum geſta exoleuerunt, facta ſunt nobis exercitia ingeniorum, & oblectamenta fabularum. quanquam ſi quis intentius animum adhibeat, ſeſéque ipſo mentis affectu ipſis pene cauſis belliſque permiſceat, ac rurſus velut in arce ſpectaculi conſtitutus, vtrunque in ſuis qualitatibus tempus permetiatur, facilè dixerim, eum iudicaturum, neque illa niſi irato atque auerſato Deo poſſe tã infeliciter perturbari ac permiſceri, neque iſta ſic, niſi propitio & miſerante, componi. *P. Oroſ. hiſt.l.2.c.18.*

Qualiacunque tandem ſint hominum conſilia, Deus pro ſuo arbitratu ſolus omnia moderatur. *Ph.Comin.l.4.*

A Deo ſalus regnorum omniũ, & incrementum, & occaſus, & initia dependent. *Ph.Comin.l.7.*

Deus principum & Regum voluntates gubernat, ita vt conſilia ſequantur accommodata iis, quas cogitant deinde perficere, actionibus. *Idem, l.8.*

Quamcunque partem Deus vult amplificari & florere, fit vt ibi quoque prudentes homines ac induſtrios excitet. *Idem, l.9.*

Deus Optimus Maximus ſui omnino iuris arbitriíque, vt omnia,

ita & fortunam belli eſſe ſtatuit. *P.Æmyl.l.9.*

Omnia quæcunque in hoc noſtro inferiori mundo geruntur, ex Dei Optim. Maxim. prouidentia manant,& ab eadem ſemper gubernantur. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr.16.*

Deus immortalis, vt præditos inſigni virtute homines diutius ſeruet, plerunque imminentis fortunæ impetum benignitate præuertit. *P.Iouius,hiſt.l.36.*

PROVIDENTIA *humana.*

Humani ingenij natura comparatum eſt vt ſubmittenti ſe præſit, caueat ab inuadente. Quæ quiſquis,noſtrum cognoſcit niſi probè proſpiciat, atque hoc antiquiſſimum iudicet,communem metum eſſe communem omnium ſalutẽ, fallitur.*Thucyd.l.4.*

Credibile eſt vnumquẽque quæ ſibi periculoſa ſunt, ea & ſcire præcipuè & timere.*Idem,l.6.*

Prouidentia præſtantior eſt quã pœnitentia, & improbis fidem nõ adhibere eſt maioris prudentiæ, quàm fide illis antè habita,eos poſtea accuſare.*Dionyſ.Halicarn.libro 11.*

PROVOCATIO *ad bellum.*

Is prouocare aut irritare nõ eſt dicendus, qui hoſti impetenti iugulum vel pectus nudatum non porrigit: nec illum prouocat aut laceſſit,qui ſe ad defendendũ comparat,qui ſe vt illius iniuſtam vim poſſit repellere componit. Sed niſi ſe compararet,tunc hoſtem prouocaret atque irritaret: quoniam rei facilè gerendæ ſpe libertatis funditus euertendæ impetus & ardor augeretur. *Fr.Guicciardin.hiſtor.libr. decimo.*

PRVDENS.

Non eſt credibile virum prudẽtem reſpuere beneuolentiam exploratam, ſed maximè obſeruare. *Herodot.l.7.*

Vir ita demum fuerit optimus, ſi in deliberando quidem, omnem rem,quamcunque pati poſſit,reputans extimeſcat,in re autem agenda ſit audax.*Idem,eod.l.*

Non temere incerta caſuum reputat,quem fortuna nunquam decepit.*Liu.Decad.3.l.10.*

Qui de malis minimum eligit, is prudens habetur,quíque non ita ſpe deiicitur,vt vnico decreto ſuas ſpes omnes deſerat.*Fr.Guicciardin. hiſt.l.15.*

PRVDENTES.

Hominum eſt prudentia præditorum amicis inimicitias condonare:contrà,ſtultorum & barbarorum eſt, amicos cum inimicis tollere.*Dionyſ.Hal.l.5.*

Homines, qui alios antècellunt prudentia,quàm longa ætas & longa adfert experientia, antequam rem aggrediantur euentum eius ſpectandum putant, non alterum tantùm quem ſibi aptant, ſed eum etiam qui præter omnem expectationem accidere poteſt.*l.8.*

Prudentes, & Reipubl. adminiſtrandæ periti, publica commoda priuatis ſimultatibus potiora ducunt.*l.11.*

Prudentium eſt hominum, & eorum qui religionem ac Deum ritè colunt, pullulantis belli cauſas, præſertim cum amiciſſimis, protinus incidere.Contra verò imprudentium ac Deum ſibi maximè iratum maximè quærentium, tumultus occaſionem excitare. Pacem enim ſoluentibus arma ſume-

re nulla eſt mora, quando ſtudia peruerſiſſima vel infimo hominũ generi facilia factu rerum natura vult: bellum verò ſemel ingreſſo ad pacem rurſus inclinare homini nequaquam facilè exiſtimo. *Procop. de bell. Perſ. l. 2.*

Solent qui difficultates & infortunia quandoque euaſerint, prudẽtia hos longè ſuperare qui nõdum fuerunt infelices. *Idem, de bel. Goth. libr. 2.*

Hominum eſt verè prudentium, non modò fines ipſos, ſed etiam principia rerum expendere, temerariáque reiicere conſilia. *Fr. Guicciardin. hiſt. l. 3.*

Prudentes viros decet ex occaſionibus fructũ decerpere. *Idem, l. 4.*

PRVDENTIA.

Non eſt compendioſior via, quã earum rerum quarum videri vis prudens, habere prudẽtiam. Quòd ſi de is ſingillatim conſideres, facilè cognoſcas dici abs me vera nam ſi videri velis bonus agricola, qui non ſis bonus: aut eques, aut medicus, aut tibicen, aut aliud quippiam: cogita quot ſint machinanda tibi quò videaris talis. Quòd ſi tuo perſuaſu & te multi laudent, quò authoritatem adipiſcaris, & in eorum ſingulis bona ieceris fundamenta, tum in præſentia decepe ris, tũ paulò poſt vbi de te factũ fuerit periculũ, qualis ſis arguaris, tũ oſtẽtator præterea appareas. *Xen. de pædia Cyri, l. 1.*

Videntur mihi erratis homines interdum prudentiores euadere, præſertim ſi peccatis erudiantur. *Idem, de reb. geſt. Græc. l. 6.*

Nequaquam iniuſtum eſt, eum, qui in periculo magno verſatur, ſeſe munire, & ſuæ vtilitati conſulere. *Thucydid. libr. 1.*

Vt quiſque aliqua in re minimè peccat, ita maxima ex ea vtilitas ſequitur. *Idem, eod. l.*

Oportet quæ diuinitus, neceſſariò: quæ ab hoſtibus profiſciſcuntur, fortiter ferre. *Idem, l. 2.*

Plerunque felix eſt prudentia. *Idem, l. 6.*

Nemo temere cuilibet fidem habere debet: nec propter rerum ſucceſſum inſoleſcere, ſed cuncta expectare quæ hominibus accidere poſſunt. *Polyb. hiſt. l. 8.*

Nemo bonus vir imperij cupiditate tenetur, ſibíve grauium negotiorum curam exoptat: & in huiuſmodi re expedit munus impoſitum conſideratè ſubire, vt tutò idipſum liceat exequi. Multoties etenim temeritas in ſe aliquid recipientis præpropera in rebus agẽdis damnum affert: contrà accurata conſideratio ab initio adhibita, in actionibus perdurat, omnibúſque emolumento cedit. *Dion, libro 36.*

Non facta modò eorum qui iniuriam nobis inferre conantur, ſed conſilia quoque nobis defendenda, & præuenienda ſunt, antequam cum noſtro damno creſcant: neque acceptum demum maleficium vlciſcendum eſt. *Idem, libro trigeſimo octauo.*

Duo hæc, eum qui ſuæ ipſius incolumitatis curam geret, obſeruare cõuenit: vnum, vt negotio præfectus, difficultatem eius à ſeſe remoueat: alterum, vt rei bene geſtæ nomen reſeruet. *Idem, libro quadrageſimonono.*

Prius, quàm incipias, conſulto, & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt. *Salluſt. de coniur. Catil.*

Ne-

Negotiis difficillimis ſæpe diſpoſitio tempeſtiua proſpexit, & ſtatum mutantium rerum recto conſilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt. *Ammon. Marcell. libro decimoſexto.*

Præſentibus vti bonis præſtat, quàm fugientia quærere. *Procop. de bel. Perſ. l. 1.*

Securum antequam pericula veniant cogitare quid agendum, denique magnopere profecerit in rebus obeundis temporis vti opportunitate. *Idem, de bello Vandalic. libro primo.*

Qui periculum ſibi aliunde præmeditatum prænouerit; quum protinus queat inſidias declinare, & præſens vtcunque propulſare diſcrimen, vt in poſterum occurſarit conſideratius queat ſe coaptare: profectò maiori ſæuitiæ adſcribetur, ſi tum primùm tormenta ingeſſerit, & non potius ſua ſit poteſtate contentus, qua contra poſſit, quum velit, malum inferre. At vbi conſilia ſunt ad rem ipſam deducta, & ad opem ferendam nihil ſit temporis reliquum, ſed è veſtigio ſint omnia peritura, & cùm omnium communi ſalute dematur etiam huius ſpes omnis recuperandæ, hîc nimirum ſapientibus celeritas eſt præeligenda, ac ne quid indecentius patiantur, mox procurandum. *Agath. hiſtor. libro quarto.*

Minus proſperos rerum euentus, qui vel fortuna fiunt, vel manuum debilitate atque ignauia, tutior fortè & prudens aliqua cogitatio, & quæ coaptare caſibus ſe nouerit, in ea transferre, quæ expediant, poterit; & ſi quid peccatum eſt confeſtim ſarcire. Verùm vbi mens labat & facilè fallitur, ne ea quæ in rem ſint internoſcat, ſi eorum quæ incõſultius fiunt aliquid acciderit, vnde nam tibi deſumpſeris quod ſit ſaluti futurum, & præſens reuocare periculum queat, ſi fortè præcipuum illud, quod hæc omnia pariat, auertatur? *Idem, libro quinto.*

Eſt prudentię, impendentes pręcauere calamitates: & ſi quid nõuandum eſt ad grauiora mala auertenda, non cunctari. *Niceph. Greg. hiſt. l. 5.*

Oportet eos qui citra periculũ velint viuere, occurrere malis impendentibus: & ſi in præſentia creſcentis plantæ radicem facilè præcidere poſſis, non eſt cunctandum, neque expectandum vt acceptam iniuriam vlciſcaris, cùm aduerſarij malè cogitantis conatus opprimere liceat. *Idem, eod. l.*

Irritæ ſunt vires omnes ſine prudentia. *G. Pachymer. hiſtor. libro nono.*

Inſignis eſt prudentia, quòd non facere non poſſis, id facere vt libenter feciſſe videaris. *Idem, eodem libro.*

Super arduis rebus diu, multùmque & grauiter eſt deliberandum, vt quod honeſtiſſimum eſt & æquiſſimum amplectamur. Sed inprimis interpellandus eſt Deus atque rogandus, vt quod optimum eſt nobis ſuggerat. *Ph. Cominæus, libro 8.*

Tueri tua prius eſt atque præſtantius, quàm aliena cum periculo appetere. *P. Iouius, hiſtor. libro 14.*

PRVDENTIA *bellica.*

Alios iuſtum duco idem facere

(dicebat Hermocrates) quòd ego facio: videlicet vt quantum cedere æquum eſt, id ſponte potius faciāt, quàm deinde hoſtium armis coacti. *Thucyd.l.4.*

Si quis errores hoſtium diligenter obſeruat, & occaſione captata ſuis copiis rectè hoſtem adoritur, neque vires ſuas temere oſtentat, aut apertè hoſtibus opponit, ſed his pro præſentis temporis opportunitate vtitur: his plærunque rem præclariſſimè gerit, & huiuſmodi in bello doli ſummam gloriam cōſequuntur, quibus & hoſtes maximè decipiuntur, & ſocij atque amici præcipuè iuuantur. *Idem, libro quinto.*

Rumoribus ſtant hominum ſententiæ, & magis terrorem incutit, vt inuadere volenti prior occurras, quàm vt te repugnaturum ſignifices, quum ſe ille pari in diſcrimine ſic fore exiſtimet. *Idem, libro ſexto.*

In bellicis difficultatibus, quanta diligentia fieri poteſt prouidendum, vt potius in nocendo aliquid omittatur, quam cum aliquo detrimento militum noceatur. *Cæſar, l.6. de bel. Gal.*

Neque prudentes ſuſpicari oportet ſibi parum credi, neque Improbos ſcire ſe timeri: quod illis licentiam timor augeat, aliis ſtudia deminuat. *Idem, libro ſecundo de bel. ciuili.*

Loco ſapientiæ eſt alienam ſtultitiam operiri, & quiete intueri hoſtem imprudentia ruentem. *Tacit. hiſt. l.2.*

Timorem diſſimulare & profiteri, ſi modò ſuo id tempore fiat, quàm multos erexit, & ad meliorē traduxit fortunam. Strenuè verò factorum celebritas his quidem qui importunè hæc geſſerint, ad ſeruitutem procuIdubio eſt & ignominiam conceſſura. *Procop. de bell. Goth. l.1.*

Fugere hoſtem qui damna ſit ingeſturus, nullum profectò in dedecus cedit: qui verò ſeſe in prōptiſſimam calamitatem ingeſſerit, vel ſi incolumis fiat, dummodo res ita eueniat, temeritatis eſt proculdubiò & dementiæ incuſandus. Strenuus verò & generoſus habebitur, ſi, eùm neceſſitas cogit, virilem ſe præbeat. *Idem, de bell. Goth. libr. 2.*

Tyrones legendi ſunt de temperatioribus plagis, quibus & copia ſanguinis ſuppetat ad vulnerum mortiſque contemptum, & non poſſit deeſſe prudentia, quæ & modeſtiam ſeruat in caſtris, & non parum prodeſt in dimicatione & in conſiliis. *Veget. l.1. c.2.*

PRVDENTIA *principis.*

Ferre multorum hominum delicta, magnæ prudentiæ eſt atque potentiæ. Quòd ſi quis omnibus ſceleribus iuſtas & debitas pœnas conſtituat, is certè magnam partē hominum breui temporis ſpatio videbitur perdidiſſe. *Xiphilin. Cæſ. Aug.*

Cōtemne partem exiguam ſemper luctificam & cruentam, vt cæteraregas ſecurus: ac prudenter reputa, medelarum quoque artifices vrere nonnunquam & ſerare, & partes corporum amputare, vt reliquis liceat vti integris, hócque beſtias factitare, quæ quum aduertant cur maximopere capiantur, illud propria ſponte admittunt, vt viuere

viuere poſſint impauidæ. *Amm. Marcel.l.17.*

PRVDENTIÆ *humanæ imbecillitas.*

Optimum eſt,vt Principes multorum audiant ſententias. Sæpe enim accidit, vt prudentes etiam viri labantur, & errent in dicendis ſententiis, quando vel gratia, vel odio,vel æmulatione quadam impulſi, diuerſum ab aliis dicunt. Deinde non ſemper ſumus eodem animi vigore.nam quæ fiunt à prandio conſultationes, inter decreta referri non debent. Quòd ſi quis putet,eos qui ſic aberrant & labūtur, non eſſe Principum adhibendos conſiliis,ille meminerit, nemi nem eſſe omnium hominum, qui non fallatur aliquando,atque ex affectibus aliquid agat. ideóque in magno deliberantium numero hoc boni eſt, quód aliqui ſemper exiſtunt, qui quod ab aliis peccatum eſt,emendant atque ſanant. *P. Comin.l.2.*

PSEVDOHISTORICI.

Qui de rebus obſcuris,aut prauis,aut nullius momenti hiſtorias conſcribendas ſuſcipiunt, ſiue quód cupiant innoteſcere & qualecunque nomen adipiſci, ſiue quód copiam & vim in dicendo oſtentare velint, eos ob hanc cognitionem poſteri neque æmulantur, neque ob eloquentiam laudant,quia in animis eorum,qui hiſtorias ipſorū legendas ſuſcipiunt, opinionem relinquunt ſe tale vitæ genus ſequutos,qualia ſunt ſcripta quæ in lucem ediderunt. fermè enim omnes orationem animi vniuſcuiuſque imaginem eſſe exiſtimant. At illi qui præſtantiſſima argumenta eligunt, ſed temerè ac negligenter ea ex quibuſlibet rumoribus componunt ex tali propoſito nullam laudem referunt. Indignum enim cenſemus, ſi qui de claris ciuitatibus & viris ampla potentia præditis hiſtorias conſcribunt, ſint inconſiderati aut ſocordes. *Dionyſ.Hal.l.1.*

Omnia dici, fierive putantur in gratiam principum ,aut eorum hominum qui plurimum poſſunt apud Principes. Itaque multa quæ nunquam acciderunt multorum ſermone celebrantur, multa quoque ſilentio prætereuntur,quæ acciderunt: cætera ferè narrantur aliter quàm facta ſunt. *Xiphil.Caſ. Auguſt.*

PVDICITIA.

Pythagoras conſecutus erat diſputationum aſſiduitate,vt matronæ auratas veſtes,cęteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eáque omnia delata in Iunonis ædem ipſi deæ conſecrarent,præ ſe ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam,non veſtes eſſe. *Iuſtin. hiſt.l.20.*

Nil ſalui eſt mulieri, amiſſa pudicitia *Liu.Decad.1.l.1.*

Pudicæ eſt,non modò vt ne quid peccet, ſed ne ſuſpicionem quidē vllam turpem de ſe præbeat. *Dion, lib.37.*

PVDOR.

Pudore, modeſtia ac iuſtitia omnis ciuilis ſocietas conſeruatur.

Dionyſ. Halicarn. lib. 6.

Næ, ſimul pudere quod non oportet cœperit, quod oportet non pudebit. *Liu. Decad. 4. l. 4.*

Euulgatus pudor non ſatietatem libidinis, ſed incitamentum adfert. *Tacitus, Annal. libro decimoquarto.*

Quamuis rerum omnium proſpero ſucceſſu, pudore amiſſo tamen fortunatus quis eſſe poteſt? cùm, eodem retento, cetera tolerabilia ſint. *Aurel. Vict. libro de Cæſarib.*

Pudor ſæpe adumbratam bonorum opinióne cogitationem in cõtrariam ſententiam deducit. *Proco. de bell. Perſ. l. 2.*

Pudor ante omnia ob oculos militum in acie ſtantium verſari debet: hæc vna res enim omnium fortiſſimos reddit. *Idem, de bel. Vandilic. l. 2.*

PVGNA.

Manus inter nocturnos tumultus moderatu difficilis eſt. *Liu. Decad. 1. l. 4.*

Maior ſpes maiórque animus eſt inferentis vim, quàm arcentis. *Idem, Decad. 3. l. 1.*

Id plerunque in ſpe victoriæ accidere conſueuit, vt redintegratis viribus milites acrius impugnare incipiant. *Cæſar libro tertio de bell. Gall.*

Præſtat per virtutem in pugna belli fortunam experiri, quàm deſertos & circumuentos à ſuis, grauiſſimum ſupplicium pati. *Idem, l. 2. de bel. ciuil.*

Ad pugnam ineundam multum adiuuat ducis adoleſcentia, magnitudo animi, ſuperioris temporis prouentus, fiducia rei bene gerendæ. *Idem, eod. l.*

Nihil magis prodeſſe conſtat in pugna, quam vt aſſiduo exercitio milites in acie diſpoſitos ordines ſeruent, nec vltra quàm expedit aut conglobent agmen, aut laxent. Nam vt conſtipati perdunt ſpacia pugnandi, & ſibi inuicem impedimento ſunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hoſtibus præſtant. Neceſſe eſt autem ſtatim metu vniuerſa confundi, ſi interciſa acie ad dimicantium terga hoſtis acceſſerit. *Veget. libr. 1. cap. 26.*

Sciendum eſt, in pugna vſum amplius prodeſſe quàm vires. Nam ſi doctrina ceſſet armorum, nihil paganus diſtat à milite. *Idem, libr. 2. cap. 23.*

Rei bellicæ ars ipſa depoſcit, vt qui militum numero præſtat, ex aperto & interdiu gerat bellum. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

Facilè adſumit pugnandi neceſſitatem, cui fugiẽdi imponitur difficultas. *Iornand. lib. de reb. Getic.*

Nihil ſtultius aut leuius eſt, quã authore hoſte manus conferere & ad eius arbitrium atque libidinem ſummæ rei fortunam periclitari. *P. Iouius, hiſt. l. 11.*

PVGNÆ *nauales.*

Quamuis in maritimis diſcriminibus haud parum conferat naualis pugnæ vſus, claſſiariorum tamen magnanimitas maximum ad victoriam adfert momentum. *Polyb. hiſt. l. 6.*

Nihil temere nauibus committendum eſt aduerſus eos hoſtes qui in re maritima virtute atque peritia longè alias gentes præcedunt. *P. Iouius, hiſt. l. 12.*

PVGNACES.

Homo naturâ maximè pugnax, vti plerunque accidit, apertus eſt & incautus. *P. Iou. hiſt. l. 3.*

PVLCHRITVDO.

Nobilitatis & pulchritudinis ſpecies atque cõſideratio ea vi pollet, vt prædonum ipſorum corda emolliat, moreſque efferos ducat in obſequium. *Heliodor. l. 1.*

Forma corporis, oris dignitas, frontis grauitas, vultus maieſtas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum, ſpectantes mouet tenétque, ac admonet quænam ſpecies primi à ſummo artifice initio rerum creati hominis fuerit, qualéſque, qui cunque iuſtè vixerint, futuri ſint in illa felici immortalitate. Quòd ſi corporis pulchritudo tanti eſt, vt quodam ſui miraculo reliquos afficiat: quid ſentiendum eſt de illa pulchritudine, nempe Iuſtitia, quæ eſt animi verè Regij, quæ ſimillimum ſuperis facit? *P. Æmyl. libr. 8.*

PVNITIO *iuſta.*

Communis omnium lex affirmat iuſtè puniri hoſtem qui te prior inuaſit. *Thucyd. l. 3.*

Multum ad coercendam audaciam valet propoſitum punitionis exemplum, cùm ipſa miſeri præſens forma viuentis, & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſciſcitationem cogit ignaros. *P. Oroſ. hiſtor. lib. 6. c. 11.*

PVNITIONES *publicæ.*

Deditione capto Lugduno Cæſar omnibus qui arma tulerant, manus ſuſtulit, & vitam reliquit, quo teſtatior eſſet etiam poſteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propoſitum punitionis exemplum, quum ipſa miſeri præſens forma viuentis, & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſciſcitationem cogit ignaros. *P. Diacon. hiſtor. libr. 6.*

PVSILLANIMES.

Qui bellum inferunt iis quibus præeſſe ſe dignos putant, ſi ſpe decepti, & ſua quam præſumpſerant opinione infirmiores ſuccumbũt, horum mox animus, ſicut antea ſupra vires, ita poſtmodum infra vires eſt. *Thucyd. l. 7.*

PVSILLANIMITAS.

Talibus acceptis reſponſis Romani non abiecerunt animos, id quod ſolet accidere iis qui magnũ aliquod bellum ſuſcipiunt, & qui nullam auxiliorum ſpem habent. *Dionyſ. Hal. l. 5.*

Qui nimia dominandi libidine plura quàm retinere poſſit amplectitur, minimè laudandus eſt: verùm haud minus is eſt vituperandus, qui nimia ſuſpicione & metu, ſeipſe magnis occaſionibus multis periculis ac magno labore partis diſpoliat. Imò quanuis vterque error ſit grauiſſimus, magis vituperandum in magno principe eſt illud conſilium, quod ex timore & animi infirmitate, quàm quod ex generoſitate magnitudinéque animi proficiſcitur: & laudabilius eſt cum periculo immodica parare conari, quàm periculi fuga rariſſimas occaſiones corrumpere. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libro 16.*

Q.

Qvæstiones *curioſæ*.

PRudētiæ eſt, ruſticos nō curioſis intricare quæſtionibus, ſed ſinere vt ſimpliciter beati fiant. Nam quantæ væcordiæ eſt, eos cōmouere, & excitare, vt de controuerſiis articulis circa religionem & fidem cenſuram ferre velint? Quid autem edicis, vt ille his in rebus moderationem conſeruet, qui præter ligonem, ſtiuam, & iner temvitam nihil nouit? *G. Pachymer. hiſt. libr.* 5.

Qvæstvs *maximus*.

Maximum quæſtum Pomponius Atticus exiſtimabat, memorem gratúmque cognoſci. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

Qvæstvs *priuatus*.

Seruantur hoſtes, non delentur, bella non conficiuntur, ſed fouentur, dum priuatis quæſtibus duces ſtudent, & ſanguine militum abutuntur. *P. Iou. hiſt. l.* 12.

Qvæstvs *ſordidus*.

Veteres oratores famam in poſteros, præmia eloquentiæ cogitauerūt pulcherrima: alioquin & bonarum artium principem ſordidis miniſteriis fœdari, nec fidem integram manere, vbi magnitudo quęſtuum ſpectetur. quòd ſi nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accuſationes, odia & iniurias foueri, vt quomodo vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatus ferat. *Tacit. Ann. libr.* 11.

Qverela.

Ne tum quidem gratę ſunt querelæ, cùm forſitan neceſſariæ ſunt. *Liu. Decad.* 1. *l.* 1.

Incuſare Deum vel homines, eius eſt qui viuere velit. *Tacit. hiſtor. libr.* 2.

Qvies *grata*.

Nemo adeo in arma promptus eſt, vt non idem pretium quietis quàm periculi malit. *Tacit. hiſtor, libr.* 4.

R.

Rabvlæ *forenſes*.

VEteres oratores famam in poſteros pręmia eloquētię cogitauerūt pulcherrima: alioquin bonarum artium princeps ſordidis miniſteriis fœdatur, nec fides integra manat, vbi ſpectatur magnitudo quæſtuum. quod ſi in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora erunt. nunc inimicitiæ, accuſationes, odia & iniuriæ fouentur, vt quomodo vis morborum pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. *Tacit. Annal. l.* 11.

Rabvlæ *forenſes depicti ad viuum*.

Poſt veteres oratores Græcos & Romanos, excellentiſſimus omniū Cicero, orationis imperioſæ fulminibus ſæpe depreſſos aliquos iudiciorum eripiens flammis, non defendi homines ſine vituperatione fortaſſe poſſe, negligenter defendi ſine ſcelere non poſſe, firmabat. At nunc videre eſt per omnes tractus violenta & rapaciſſima genera hominum, per fora omnia volitantium, & ſubſidentium diuites

uitês domos, vt Spartanos canes aut Cretas, veſtigia ſagacius colligendo, ad ipſa cubilia peruenire cauſſarum.

In his primus eſt cœtus eorum qui ſeminando diuerſa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum poſtes & orborum limina deterêtes, & auidi inter diſcordantes amicos aut propinquos, vel adfines, ſimultatum ob grauia ſcrinij receptacula odia ſtruentes infeſta: in quibus ætatis progreſſu, non vt aliorum vitia intepeſcunt, ſed magis magíſque roborantur. inter rapinas inſatiabiles inopes, ad capiendam verſutis orationibus iudicum fidem, quorum nomen ex iuſtitia natum eſt, ſicam ingenij diſtringentes. Horum obſtinatione libertatem temeritas, conſtantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluẽtia loquendi, quarum artium ſæuitate, vt Tullius adſeuerat, nefas eſt religionem decipi iudicantis. Ait enim, Quum nihil tam incorruptum eſſe debeat in Republica, quàm ſuffragium, quàm ſententia, non intelligo cur qui pecunia corruperit, pœna dignus ſit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus ea mali facere videtur qui oratione quàm qui precio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.

Secundum genus eſt eorum qui iuris profeſſi ſcientiam, quam repugnantium ſibi legum abolcuere diſſidia, velut vinculis ori impoſitis reticente iugi ſilentio, vmbrarum ſunt ſimiles propriarum. Hi velut fata natalitia præmonſtrantes, aut Sibyllæ oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum compoſita triſtiorem, ipſum quoque venditant quod oſcitantur. Hi, vt altius videantur iura calleſre, Trebatium loquuntur, & Caſellium, & Alfenum: & Auruncorum Sicanorúmque iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre ab hinc ſeculis obrutas multis. & ſi voluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutionem lectiones reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.

Tertius eorum eſt ordo, qui vt in profeſſione turbulenta clareſcant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procedentes, per proſtitutas frontes viléſque latratus, quo velint, aditus ſibi patefaciunt crebros: qui inter ſollicitudines iudicum per multa diſtentas, inſolubili nexu vincientes negotia, laborant vt omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus de induſtria iudicia circumſcribunt: quæ, quum rectè procedunt, delubra ſunt æquitatis: quum deprauantur foueæ fallaces & cæcæ: in quas ſi captus ceciderit quiſquam, non niſi per multa exiliet luſtra, ad vſque ipſas medullas exuctus.

Quartum atque poſtremum eſt genus, impudens, peruicax & indoctum, eorum qui quum immaturè à literariis eruperint ludis, per angulos ciuitatum diſcurrunt, mimi ambos, non cauſarum remediis congrua, commentantes, fores diuitum deterendo, cœnarum ciborúmque aucupantes delicias exquiſitas: qui quum ſemel vmbraticis lucris & inhiandæ vndique pecuniæ ſeſe dediderint, litigare

fruſtra quoſlibet innocentes hortantur, & ad defendendam cauſam admiſſi (quod rarò contingit) ſuſcepti nomen & vim negotij ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictuum articulos inſtruuntur, circumlocutionibus indigeſtis ita ſcatentes, vt conluuionis teterrimæ audire exiſtimes vlulabili clamore Therſiten. Quum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conuitiandi licentiam: quo nomine ob adſidua in perſonas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties ſunt damnati. E quibus ita ſunt rudes nonnulli, vt nunquam ſe codices habuiſſe meminerint. Et ſi in circulo doctorum veteris auctoris inciderit nomen, piſcis aut edulij peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur: ſi verò aduena quiſquam inuſitatum ſibi antea Marcianum verbo tenus quæſierit oratorem, omnes confeſtim Marcianos appellari ſe fingent.

Nec fas iam vllum præ oculis habent: ſed tanquam auaritiæ venundati & vſucapti, nihil præter inſeminatam petendi licentiam norunt. Et ſi quem ſemel intra retia cœperint, caſſibus mille impedicant, per morborum ſimulationem viciſſim conſultò ceſſantes: vtq; per vulgati iuris proferatur lectio vna, ſeptem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longiſſima contexentes. Et quũ nudatis litigatoribus dies ceſſerint & menſes, & anni, tandem, obtrita vetuſtate controuerſia, intromiſſa ipſa capita ſplendoris ingreſſa alia ſecum aduocatorum ſimulacra inducunt. Quúmque intra cancellorum venerint ſepta, & agi cœperint alicuius fortunæ vel ſalus, atque laborari debeat vt ab inſonte gladius, vel calamitoſo detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus, brachiiſque hiſtrionico geſtu formatis, vt cōcionaria Gracchi fiſtula poſt occipitium deſit, conſiſtitur altrinſecus diu. Tandémque ex præmeditato conludio, per eum qui eſt in verba fidētior, ſuaue quoddam principiũ dicendi exſeritur, pro Cluentio, vel pro Cteſiphonte orationum æmula ornamenta promittens: & in eã concluſionem cunctis finem cupientibus deſinit, vt nondum ſe patroni poſt ſpeciem litis triennium editã cauſſentur inſtructos: ſpatióque prorogati temporis impetrato, quaſi cum Antæo vetere colluctati, perſeueranter flagitant pulueris periculoſi mercedes.

Veruntamen hęc quum ita ſint, non deſunt aduocatis incommoda plurima, parum ſuſtinenda rectè victuro. Námque ſellulariis quæſtibus ineſcati, inter ſe hoſtiliter diſſident, & rupta maledicendi ferocia (vt dictum eſt) multos offendunt: quam tunc effutiunt, quum commiſſarum ſibi cauſſarum infirmitatem orationibus validis conuelare non poſſunt. & iudices patiuntur interdum doctos ex Philiſtionis aut Æſopi cauillationibus, quàm ex Ariſtidis illius iuſti vel Catonis diſciplina productos, qui ære graui mercati publicas poteſtates, vt creditores moleſti, opes cuiuſque modi fortunæ rimantes, alienis gremiis excutiunt prædas.

Ad vltimum id habet cauſſidicina cum cæteris metuendum & graue, quòd hoc ingenitum eſt pene litigantibus cunctis, vt quum iurgia

iurgia mille caſibus cadant,accidētia ſecus in poteſtate eſſe exiſtiment patronorum,& omnem certaminum exitum ſoleant iiſdem adſignare, & non vitiis rerum aut iniquitati aliquotiens diſceptantium,ſed ſolis defenſantibus iraſcantur. *Am.Marcel.hiſt.l.30.*

RAPTVS.

Iniuriorum virorum factum eſt,rapere fœminas:amentium vero raptis vlciſcendis operam dare: prudentium autem raptus nihil curare, quippe quæ niſi voluiſſent, haud dubiè raptæ non fuiſſent. *Herodot.l.1.*

RATIO.

Nil poteſt eſſe diuturnum cui non ſubeſt ratio. *Curt.l.4.*

Rationi potius quàm,iracundię parendum.. *G.Pachymer.hiſtor.libro nono.*

Magni eſt negotij(*Beſſarionis dictum*) ad rationem veram peruenire.Quo enim maior ingenij vis hominibus acutiſſimis adeſt, eo maiorem humanis animis conſulendi parit anguſtiam. *Arn. Ferron. libr.3.*

REBELLIO.

Contumelia & metus grauiorū populos ad arma compellunt,præſertim feroces & qui nondum ſeruitio aſſuefacti reſumere libertatem occultis coniurationibus pepigerunt,acerrimo in milites aduerſarios odio. *Tacit.Annal.14.*

RECORDATIO.

Rerum glorioſè geſtarum recordatio omni iucunditate viris fortibus gratior eſt. *Am.Marcel.hiſt.l.17.*

RECORDATIO *malorum.*

Ad id ſolum recordatio acceptorum malorum cōducit, vt nos ad cauenda ſimilia incommoda adhortetur. *Dion,l 44.*

REFVTATIO *omnibus erroribus non applicanda.*

Quæ verba mentem ducem ſequuntur,eique ius ſuū relinquunt: eadem etiam mens inſpectrix comitatur, & lingua iuſtè pronuncians expectat. Quæ verò omnis concentus leges recuſant, & omnes ſcientiæ limites temere tranſiliunt: ea nec mentis conſideratione digna ſunt, nec linguæ explicatione: cum non ſint aliud niſi quidam naturæ morbi, & veluti ruptæ lyræ abſoni ſtrepitus. *Niceph. Greg hiſt l.9.*

REGES.

Reges olim & quotquot à patre traditum regnum accepiſſent, & quos ipſa plebs ſibi principes conſtituiſſet, conſilium habebant quod ex optimatibus conſtabat: vt Homerus & antiquiſſimi poetæ teſtantur. Neque(vt noſtro ſeculo) regnum priſcorum dominatus erat nimium ſui iuris, neque ab varius ſententia pēdebat. *Dionyſ.Halic.l.2.*

Reges non liberi ſolùm impedimentis omnibus; ſed domini rerū temporúmque, trahunt conſiliis cuncta,non ſequuntur. *Liu.Decad. 1.l.9.*

Regum maieſtas difficilius ab ſummo faſtigio ad medium detrahitur,quàm à mediis ad ima præcipitatur. *Idem,4.l.7.*

Reges ſerua omnia & ſubiecta imperio ſuo eſſe volunt. *Idem,eod. libr.*

Plerunque regiæ voluntates, vt vehementes,ſic mobiles,ſæpe ipſæ ſibi aduerſæ. *Salluſtius de bell. Iugurth.*

Reges, præter cætera hanc diffi-cultatem habent, quòd non ſolùm hoſtes(vt cæteri faciunt)ſed etiam amicos & neceſſarios timēt, à qui bus inſidiæ multò pluribus factæ ſunt(quippe qui nudi & dormientes cum illis dies noctéſque verſētur,ab iiſque cibum paratum & potionem capiant)quàm ab alienis & externis hominibus. Poſſunt enim amicos & familiares ſuos hoſtibus opponere, amicis autem poſſunt neminem. Itaque ſolitudo eis pariter atque multitudo grauiſſima eſt: metuendúmque eſt, eſſe ſine cuſtodia: ſed multò etiam magis cuſtodes metuendi ſunt. Inimici quidem certè moleſti ſunt, ſed amici multo magis,quòd eos oporteat, quanuis non ſint, amicos appellare. Quòd ſi quis fortè ſit fidos amicos nactus, tamen eis tantam fidem non habet, vt eum iis poſſit ſincerè abſque vlla ſuſpicione verſari. *Xiphilin. Cæſ. Auguſt.*

Regibus æqua, nedum infima, inſolita ſunt. *Tacitus, Annal. libro 2.*

Regibus bella gerentibus conuenire exiſtimatur rerum tractatio. Nam dicēdi ſtudium ac facultas iis qui in ocio vitam degunt, plurimum vtilitatis adfert. Rerum verò ſcientia his qui armis præſunt optima magiſtra eſt, quæ facienda ſint ad imitationem eorum, qui priſcis temporibus vicerunt. *Polyænus, Strateg lib. 5.*

In regnandi primordiis poſitum eſt rerum diſcrimen: ac vt initio animi popularium afficiuntur, ita ferè deinceps reges vel contēnuntur, vel metuuntur. *P. Æmylius, libro 2.*

Veros reges non ſolium, non ſatellites, non exercitus faciunt: perdunt interdum euertúntque. *Id. lib. 2.*

Nomē regium, non in terris natum excogitatúmve, ſed è cœlo demiſſum mihi videri ſolet. Parens enim rerum Deus, cùm genus humanum condidiſſet, ſummum quidem in illud imperium iúſque penes ſe retinuit: ſed vt mēte in eum ſublimes ferremur, vt illum cupidius quæreremus, vt ſpe, vt votis incēderemur, idcirco in terris ipſe palam degere, oculíſque interea noſtris obſeruari noluit: Reges inſtituit, qui eius vice muneréque fungerentur, quorum vt quiſque probitate quàm proximè ad Deum Opt. Max accederet, ita veriſſimè Rex vocitaretur. Ita omnes eodem conſilio dati, alia tamen alij via ad laudem contenderunt. Permulti ſingulis ſinguli virtutibus inclarue re. Audeo prædicare nullum dum omnibus anteiuiſſe. Non pauci certè compluribus præſtitere. Magnus enim campus regibus patet ad gloriam: & ad eam cuncti mortales, ſed maximè omnium Reges ſtudio incitati feruntur. Digniſſimum enim diademate cenſuerim, qui quicquid in cæteris pulchri paſſim aut legerit, aut audierit, id omne ſibi vniuerſúmq; expetat, & quod deſiderarit in aliis, id præterea ipſe præſtet. *Idem, lib. 8.*

Regum oculis in omni fortuna quædam ſupra humanam vis ineſt. *P. Iouius, hiſt. lib. 2.*

Reges, egregiè diſſimulando, vt priora puniant, compreſſa in præſens iracundia, alicuius noui criminis occaſionem expectare conſueuerunt. *Idem, lib. 18.*

Ea demum eſt regum omnium fi-

fides, vt pro libidine ſanctiſſimas fœderum leges attrectare violaréque non dubitēt: quum ſemel præſenti tantùm commodo atque ipſis temporibus ſeruiendum eſſe cenſuerint. *Idem, eod. lib.*

REGES *ambitioſi.*

Regnandi cauſa regnum ferè omnium mos eſt, vt neque pietate neque verecundia permoueantur. *Idem, lib. 3.*

Ex longè maximorum noſtræ tempeſtatis regum ingeniis, & tum liquidò, & multùm antea præclarè compertum eſt, nihil omnino ſanctum & inuiolabile, vel in ritè conceptis ſancitíſque fœderibus reperiri, quod in proferendis imperiis augendiſque opibus, apud eos nihil ad illuſtris famæ decus intereſſet, dolóne & nuſquam ſine fallaciis, an fide integra veráque niterētur. *Idem hiſt. lib. 11.*

REGES *quomodo conueniendi.*

Cùm Regibus principibúſque aut omnino non loquendum, aut quæ ſunt optima loqui oportet. *Arn. Ferron. lib. 4.*

REGES *cur creati.*

Cauſa creandorum regum nulla fuit, niſi vt ſocietas humana vnius alicuius capitis ſapientia fidéque coniuncta conſpiránſque teneretur. Si leges per ſe audaciam coercere poſſent, illis ſemel inciſis propoſitiſque ſatis cautum proſpectúmque generi humano videri potuiſſet. Cùm verò nullus interdum iuris pudor, nulla ſæpe legum reuerentia mortalibus eſſet, ſummi viri Reges inſtituti ſunt, qui pro illarum imperio regiminéque arma ferrent. Datum ſolium, datum ſceptrum, vtraque ſacra vtique res, vt cognoſcerent, vt ſtatuerent, vt iura redderent, vt iudicia exercerēt, vt Numinis munere ea in re ipſi fungerentur. Vbi parum maieſtate, parum imperio hæ valerēt, data ſunt illis ſigna, dati exercitus. Inter bonos ſanctiſſimum pignus vinculumque eſt fœdus proborum morum inſtitutorúmque. Scelerati terrore malóque frenantur, aut tolluntur prorſus, ſi fortè ſanari, ſi cohiberi tandem non queant. Nec regna vlla ſunt diuturna, niſi præſidio legum firmata. *P. Æmylius, lib. 8.*

REGVM *& principum incommoda, pericula, & variæ moleſtiæ.*

Simonides poeta, teſte Xenophonte, cùm ad Hieronem qui ex priuato rex factus fuerat aliquoties acceſſiſſet, colloquium cum eodem inſtituit de regum ſeu dominantium in populos commodis & incommodis, quæ quum ſapientiſſimus ſcriptor ſub Hieronis perſona ad viuum repræſentet, ea deſcribere placuit. Itaque ſic Hiero, Simonidi reſpondens. H. Reges multo minus delectationis capiūt, quàm priuati homines, qui quidem vitam mediocrem agunt, ac multo plures maioréſque moleſtias ſentiunt. Quòd autem multos, & quidem qui rerum periti maximè videntur, regnandi cupido inceſſit, inde fit quod vtramque vitam non experti, de regia conſiderationem inſtituunt.

VOLVPTAS *oculorum.*

Primùm autem, quum mecum

ipſe ratiocinando verſor in iis quæ oculis cernuntur, deteriorem eſſe regum conditionem reperio. Sunt aliis atque aliis in regionibus alia ſpectatu digna, ad quæ ſingula priuati homines accedunt, tam in vrbes quas volunt, ſpectaculorũ cauſa, quam in comitia publica, in quibus res eſſe ſpectatu dignæ putantur. Reges verò ſpectaculis non admodum occupantur. Nam neque tutum eſt ipſis eo pergere, vbi non ſuperiores illis futuri ſunt, qui illic adſunt: neque res ipſorum domi tam tuto ſunt loco, vt iis aliorum fidei creditis peregrè proficiſci poſſint. Nam metuendum eſt, ne ſimul & imperio ſpolientur, & vlciſcendi eos, à quibus ſunt læſi facultatẽ amittant.

S. At enim ſpectacula nihilominus eis veniunt, etiam ſi domi maneant.

H. Sanè quàm pauca de multis: atque etiam quum huiuſmodi ſint, tanti venduntur regibus, vt qui aliquid exhibent, quidquid tandem id fuerit, multò maioribus præmiis acceptis à rege diſcedere volunt, quàm per omnem vitam à cæteris hominibus vniuerſis compararint.

AVRIVM *voluptas.*

S. Spectacula quod attinet, ſi deterior eſt regum conditio, ſaltem plus voluptatis auribus percipiunt. Nam quod vnum eſt iucundiſſimum acroama, nunquam laudes eis deſunt. Omnes enim eorum familiares omnia quæcunque vel dicunt vel faciunt, prædicare ſolent. Quod verò longè moleſtiſſimum auditu quiddam eſt, conuicia nunquam audiunt. Nemo enim regem in os accuſare vult.

H. At quid putas, voluptatis illos adferre qui non maledicunt, quum notũ alicui eſt omnino, hos omnes qui tacent malè de principe cogitare? Vel quid adferre putas illos laudatores, quum ſuſpecti ſunt, ne fortè laudationes illas adſentandi cauſa inſtituant?

VOLVPTAS *guſtus.*

S. Nunquam perſuadebis vllis hominum non [illegible]to magis reges ex iis delectationis capere, per quę homines alimur.

H. Noui equidem de hoc ſtatuere maximam hominum partẽ, ſuauius reges bibere & veſci, quàm priuatos: quòd & ipſis videatur eſſe iucundius eam cœnam ſumere quæ regibus apponitur, quàm quæ ipſis. Etenim quod vſitata excedit, id voluptates ſuppeditat. Quæ quidem eſt cauſa quamobrem vniuerſi homines magna cum voluptate feſtos dies opperiantur, extra ſolos reges. Nam illorum menſæ ſemper inſtructæ magna rerum copia, incrementum feſtis diebus nullum habent. Quo fit, vt primùm ſpei voluptate à priuatis hominibus ſuperentur. Deinde ſcio te quoquè expertum eſſe fieri vt quanto quis plura apponſuerit, quæ excedant ea quæ ſatis fuiſſent, tanto citius ſatietas cibi nos captat. Itaque ipſo etiam tempore minus voluptatis percipit is, qui apponit multa, quàm quiſquam eorum qui modicè victitant.

S. Profectò, quandiu admittit cibum animus, tandiu maiorem voluptatẽ capiunt, qui ſumptuoſo apparatu nutriuntur, quàm qui viliora quædam apponunt.

H. An-

H. Annon putas eum qui re aliqua delectatur vehementiſſimè ac maximo eius amore teneri?

S. Omnino.

H. An ergo vides maiori cum voluptate reges ad cibum ipſis paratum accedere, quàm priuatos homines ad ſuum?

S. Nequaquam: imò etiam iniucundius, vt pleriſque videri poſſit.

H. Quid?num multa illa magnáque arte elaborata conſideraſti, quæ regibus apponuntur, acria, mordacia, acerba, & quæ his germana ſunt?

S. Maximè, & quidem mihi videntur eſſe præter hominum naturam.

H. Ergóne putas hæc edulia eſſe quiddã aliud, quàm mollis & languẽtis præ deliciis animi voluptates? Nã certò ſcio, neq; tu fortaſſis ignoras, eos qui iucundè veſcantur iſtis artificioſis inuentis non indigere.

S. At verò, etiam ſumptuoſis illis odoribus, quibus vngimini, magis arbitror familiares veſtros frui, quàm vos ipſos. Quemadmodum ructus ingratos & putidos nõ tam ſentit is qui ederit, quàm illi qui cum eo verſantur.

H. Sic igitur qui varios cibos ſemper habet, nullos cum appetitione ſumit: at cui rarò quid obuenit, is verò is eſt, qui cum lætitia ſatiatur, quum quid ei obiicitur.

VENEREÆ *voluptates.*

S. Videntur tandem rei venereæ fruitiones in vobis regnandi cupiditates excitare. Nam hac in parte licet vobis, vt quodcunque pulcherrimum videritis, cum eo conſuecatis.

H. Dixiſti tu modò quiddam, in quo ſcire debes nos à priuatis hominibus ſuperari.

Primùm enim coniugium, quod cum maioribus contrahitur, nimirum & propter opes & potentiam longè pulcherrimum eſſe videtur, & ei qui ducit vxorem cum voluptate quandam dignitatem ſuppeditare.

Altero loco eſt id, quod inter æquales contrahitur. Quod autem ex vilioribus conſtat, planè ignominioſum & inutile putatur. Rex ergo ſi exteram non duxerit, ex inferioribus vxorem ducat neceſſe eſt. Quo fit vt non admodum id conſequatur quo contentus ſit.

At verò à magnificentiſſimè de ſe ſentientibus fœminis coli, maximè voluptati eſt: ab iis autem, quæ ſeruæ noſtræ ſunt, ſi colamur, non admodum ſatisfit animo: ſin autẽ, graues ea res iras ac moleſtias in nobis excitat.

Scimus omnes congreſſus venereos cum amore coniunctos eximiam voluptatem adferre. Verùm amor in nullorum animis minus excitatur, quàm regis. Non enim amori iucundum eſt illa expetere quæ in promptu ſunt, ſed quæ ſperantur. Itaque perinde atque is qui ſitim expertus non eſt, potu fruitur: ſic etiam is qui amorẽ non eſt expertus, longè ſuauiſſimæ veneris eſt expers.

POTESTAS *regum.*

S. In illis multum inter priuatos homines ac vos intereſt, quòd

& magnas res excogitatis & celeriter conficitis. Habetis & abundantem rerum copiam, equos inſigni virtute, arma pulchritudine eximia, mundum pro vxoribus egregium, ædes magnificentiſſimas eaſque maximi pretij rebus inſtructas. Sunt item vobis famuli & numero & artium cognitione præſtantiſſimi. Poteſtas vobis eſt maxima, tùm lędēdi hoſtes, tum commodandi amicis.

H. Enimuero hominum vulgo à regno perſtringi oculos equidem non miror. Nam vulgus hominum valde mihi opinionibus duci videtur, quum & beatos quoſdam & ærumnoſos eſſe videt. At regnum eas res quæ maximi pretij eſſe videntur, explicatas palam, ſpectandas omnibus exhibet. Quæ verò moleſta ſunt, ea regum in animis occultata tenet, in quib⁹ & felicitas & infelicitas hominū ſita eſt. Quā obrē hęc multitudinē latere nō mi ror, vt dixi. ſed vobis quoque ignota eſſe, qui animi iudicio maxima ex parte res pulchrius contemplari videmini, quàm oculis: mihi quidem mirum eſt. Ego verò experiūdo planè cognoui, ac tibi dico, reges maximorum bonorum minimè participes fieri, & grauiſſimorum malorum inſignem habere copiam.

BELLVM.

Non longè abierimus. Si pax magnum hominibus bonum eſſe videtur, quamminimum eius participes ſunt reges. Si bellum ingens eſt malum, maxima eius pars ad reges pertinet.

Primùm hominibus priuatis, ſi nō ipſorū ciuitas bellū publicū ſuſcipiat, quocunque lubet abire licet, nihil metuentibus ne quis eis vitam adimat. Reges verò vbique tanquam per hoſtium fines proficiſcuntur. Itaque & ipſi neceſſarium putant vt armati ſint, & armatos ſemper ſecum circunducant.

Deinde priuati homines etiam ſi in agrum hoſtilem militatum abeant, nihilominus vbi domum redierunt, eſſe tutos ſeſe arbitrantur. At reges poſteaquam ad ciuitatem ſuam peruenerint, inter hoſtes plurimos ſe eſſe ſciunt. Quòd ſi qui potentiores aduerſus vrbem aliquam expeditionem ſuſcipiant, ac minus potētes fortè extra mœnia fuerint: eſſe quidem illi videntur in periculo, verùm poſteaquam intra munitionem ſeſe receperint, omnes in tuto ſe eſſe credunt. Princeps autem ne tum quidem, quum aulam ingreſſus fuerit, expers eſt periculi, omninóque iſtic maximè ſibi cauendum arbitratur.

Præterea priuati homines per fœdera & pacem belli moleſtia liberantur: principibus verò, neque pax ab iis, qui premuntur ipſorum imperio conceditur: neque quiſquam ipſorum confidenter fœderibus habere fidem auſit.

Sunt item bella quæ à ciuitatibus, & alia quæ à principibus aduerſus illos, quos vi oppreſſerunt, geruntur. At ex his bellis quæcunque grauia moleſtáque redeunt ad eum, qui ciuitatum partes ſequitur, ea cadunt in principem. Nam vtroſque etiam neceſſe eſt in armis eſſe, cauere ſibi, adire pericula, etſi quid calamitatis victis accidat, vtrique dolent. Atque hactenus paria ſunt vtriſque bella.

Quæ

Quæ verò illis iucunda accidunt, qui ciuitatum ſtant à partibus aduerſus ciuitates, ea principes & reges non habent. Etenim Reſpublicæ quum aduerſarios pugna vincunt, dici facilè non poteſt, quantum voluptatis ex eo percipiant, quòd in fugam hoſtes egerint, quãtum in perſequendo, quantum in trucidandis hoſtibus. Quàm ipſum ob facinus exſultent, quam inſignem gloriam conſequãtur, quàm propterea gaudeant quòd rempublicam amplificaſſe ſe exiſtimant. Arrogat quiſque ſibi, quod & conſilij particeps fuerit, & plurimos interfecerit. Ac difficulter inuenias, vbi non etiam falſo quædam addant, quum plures ſe intermiſſe prædicant, quàm reipſa ceciderint. Adeo res ipſis eſſe præclara videtur, ciuitatem victoria potiri. Princeps ſeuerus autem, quum vel propter ſuſpiciones ſuas, vel quod reuera quoſdam aduerſus ſe moliri quid deprehenderit, nonnullos interficit: totam ſe vrbem non amplificaturum nouit, & ſcit etiam paucioribus ſe imperaturum: neque poteſt eſſe hilaris, neque magnificè ob facinus ipſum ſeſe offert. Immò quantum poteſt extenuat rem geſtam, & inter agendum purgat ſeſe quaſi non per iniuriam id fecerit. Vſque adeo ne ipſi quidem honeſta, quæ facit, eſſe videntur. Quòd ſi etiam moriantur ii quos metuit, nihilo magis fidenti eſt animo, ſed plus etiam ſibi, quàm prius, cauet. Atque hoc modo bello perpetuo vexatur, vt indicaui.

AMICITIÆ.

Iam mihi velim etiam amicitias, quarum illi participes ſunt, inſpicias.

Primùm, an magnum amicitia bonum ſit hominibus, conſideremus. Nam ſi quis ab aliquibus diligatur, eum adeſſe ſibi lubenter vident ij qui diligunt. Lubenter eidem benefaciunt, abſentem deſiderant, redeuntem iucundiſſimè excipiunt, voluptatem ex rebus ipſius proſperis communem percipiunt, opem vnà ferunt, ſi quid præter animi ſententiam accidere videant.

Nec ignorant vrbes amicitiam maximum ſuauiſſimúmque bonũ hominibus eſſe. Ita plæriſque in vrbibus ea lex valet, vt impunè adulteros occidere liceat: nimirum propterea, quòd eos vxorum erga maritos amicitiæ corruptores eſſe exiſtiment. Nam quum mulieres calamitate quadam congreſſu venereo ſunt vſæ, nihilominus id quodatti et apud maritos in honore ſunt, ſi quidem amicitia inter ipſos inuiolata conſtare putetur.

Tantum autem bonum eſſe iudico, amari, vt exiſtimẽ ei qui diligitur, tum à diis, tum ab hominibus vltro bona quædam contingere. Atqui in hac tali poſſeſſione deterior in primis eſt principum & regum, quàm aliorum conditio. Quòd ſi num vera loquar vis ſcire, ſic rem conſiderato.

Firmiſſimæ videntur eſſe amicitiæ parentum erga liberos, liberûm erga parentes, fratrum erga fratres, vxorum erga maritos, ſodalium erga ſodales. Quod ſi ergo rem animaduertere voles, inuenies priuatos homines ab his maximè diligi: quum inte-

rim plures principes liberos ſuos occiderint, complures ſuis à liberis ſint interfecti, multi fratres in regnorum & principatuum vſurpatione mutuis ſe cædibus confecerint, multi denique tum ab vxoribus ſuis, tum ſodalibus qui amiciſſimi viderentur, interempti ſint. Qui ergo apud illos, quos vt maximè diligamus à natura comparatum eſt, vnà legibus etiam ad hoc nos compellentibus, tanto ſunt in odio: quo pacto exiſtimandum eſt, eos ab alio quopiam diligi?

Præterea cui quamminimum fidei habetur, qui non magno in bono cæteris inferior eſt? Nam quæ tandem familiaritás abſque fide mutua iucunda fuerit? quæ inter virum ac fœminam abſque fide conſuetudo delectationem habere poteſt? quis miniſter gratus fuerit, ſi fides ei non habeatur? Itaque hoc etiam, nimirum vt fidem quis aliis habeat, parum admodum ad principem pertinet: quando ſic viuit, vt neque cibis neque potui fidem habere poſſit: ſed primùm famulos degustare hos iubet ante, quàm diis primitiæ offerantur, idque propter diffidentiam, ne fortè vel in his mali aliquid aut comedat aut bibat.

Quinetiam patriæ ſuæ quique reliquorum hominum maximo ſunt in pretio. Nam ciues mutuo ſeſe quaſi ſatellitio ſine ſtipendio aduerſus mancipia tuentur, itémque aduerſus facinoroſos, vt ne quid ciuium morte violenta è medio tollatur. Atque hac in custodia ciuium eò ſunt progreſſi, vt à multis lata lex ſit, qua ſancitur, vt ne is quidem purus habeatur, qui cum homicida verſatur. Quo ſit vt per ſuas patrias quiſque ciuium tutò viuat.

At in malis regibus contraria ratio eſt. Tantum enim abeſt vt horum mortem ciuitates vlciſcantur, vt etiam magnis honoribus eum adficiant qui iſtiuſmodi dominatores interfecerit: Tantum item abeſt vt à ſacris eos arceant, quemadmodum ſolent interfectores priuatorum hominum: vt etiam imagines tale quid deſignantium in templis ſtatuant.

DIVITIÆ.

Quòd ſi tu regem exiſtimas propterea, quòd fortunas, quàm priuati homines, ampliores habeat, etiam maiorem ex eis voluptatem percipere: ne id quidem ita ſe habere putato. Sed quemadmodum athletæ, non quum imperitos ac rudes ſuperant lætantur, verùm vbi ab aduerſariis ſuperantur, tum ſcilicet ingenti moleſtia adficiuntur: ſic & rex non quum plura videtur poſſidere quàm priuati homines gaudet: ſed magnum ex eo dolorem percipit, ſi minus quàm cæteri potentes habeat. Nam hos in opibus aduerſarios ſuos eſſe ſtatuit.

Neque citius regi quod concupiſcit obtingit, quàm homini priuato. Homo enim priuatus vel domum, vel fundum, vel ſeruum appetit: rex autem, vel oppida, vel regionem amplam, vel portus, vel munitas arces: quæ quidem maiori cum difficultate ac periculo acquiruntur, quàm

quæ

quæ priuati homines concupiſcũt.

PAVPERTAS.

Quinetiam non tam paucos inter homines priuatos pauperes videbis, quàm multos inter reges & principes. Nam numero nec ea quæ multa ſunt, nec quæ ſufficiant, exiſtimantur: ſed ex vſu. Quo fit, vt quæ ſuperant vltra id quod ſatis eſt, multa ſint: quæ verò ſunt infra id quod ſufficit, pauca.

Regi igitur multis partibus plura minus ad neceſſarios ſumptus ſufficiunt, quàm homini priuato. Nam priuatis licet præcidere ſumptus cottidianos ex animi arbitratu: quod in principibus locum non habet. Nam maximos ſumptus eóſque ſummè neceſſarios in excubias vitæ faciunt, de quibus ſi quid decidatur, cum ipſorum exitio id coniunctum eſſe videtur.

Deinde, quicunque habere iuſta ratione poſſunt quantum requirunt, cur eos quis miſeretur vt inopes? at qui ob egeſtatem malum ac turpe quid moliri, de quo viuant, coguntur: cur non illos & miſeros & pauperes eſſe meritò quis exiſtimet? At enim principes plurimis rebus per iniuriam tum fana, tum homines ſpoliare coguntur, propterea quòd ipſis ad ſumptus neceſſarios ſemper aliis pecuniis opus ſit. Perinde vt belli tempore, vel copias alant, vel ſeipſos perdant neceſſe eſt.

METVS *peßimus.*

Exponam tibi etiam quandam eorum ſanè grauem calamitatem. Etenim non minus norunt quàm priuati homines, quinam egregij viri ſint, & ſapientes, & iuſti: verum hos quum admirari deberent: metuunt: fortes quidem, ne quid libertatis cauſa audeant: ſapientes, ne quid moliantur: iuſtos, ne plebs eos ſibi præeſſe cupiat. Quum verò huiuſmodi homines è medio propter metum ſuſtulerint, quinam alij ſunt ipſis reliqui, quorum ſcilicet opera vti poſſint, quam iniuſti, intemperantes, ſeruiles? Iniuſti nimirum, quorum fidei opera credantur, vt ne ad libertatem adſpirent, ac ipſos ſuam in poteſtatem redigant, quippe quòd iniuſti principum inſtar metuantur: intemperantes ob præſentem poteſtatem: ſeruiles, quòd ne illi quidem liberi eſſe cupiant. Quapropter equidem arbitror hanc etiam calamitatem grauem eſſe, quod alios quidē viros bonos eſſe ducant, aliis verò vti cogantur.

MISERIA.

Volo autem tibi etiam voluptates illas exponere, quibus, dum priuatus adhuc eſſem, vtebar: ſpoliatus eis, vti quidem animaduerto, poſtea quam regnum adeptus ſum. Verſabar cum æqualibus, quorum ego conſuetudine delectabar, ſicut & illi mea: verſabar & mecum ſolo, ſi quando quietem expeterem. Aderam ſæpenumero conuiuiis eo vſque, dum omnium obliuiſcerer qui in vita hominum moleſta euenirent: ſæpenumero dum cantilenis, hilaritatibus, choreis animum commiſcerem: ſæpenumero quamdiu tum mihi, tum iis qui aderant, collibitum fuiſſet.

Nunc verò iis ſpoliatus ſum, quæ mibi iucunda erant .idque propter ea quod amicorum loco ſeruorum ſodalitate vtar. ſum item ſpoliatus dulci eorum conſuetudine, propterea quòd nullam in eis amplius erga me beneuolentiam perſpiciam. Vini multum vſum ac ſomnum non aliter atque inſidias vito.

Iam quod hominum turbam metuam, quòd contra ſolitudinem, quòd cuſtodum abſentiam, quòd ipſos etiã cuſtodes, quòd neque inermes ipſos circũ me habere volo, neq; armatos lubẽter adſpicio: quo pacto non res eſt ærumnoſa? Præterea plus exteris habere fidei, quàm ciuibus: barbaris quàm Græcis: cupere hominibus ingenuis vt ſeruis vti contráque cogi ad concedendam ſeruis libertatem: hæc omnia non tibi eſſe videntur indicia perculſi à terroribus animi? Neque ſolum metus ipſe in animis moleſtiam dolorémque creat: ſed etiam exiſtit voluptatum omnium quoddam exitiũ, dum me comitatur.

MISERIÆ *in bello.*

Quòd ſi tu quoque, Simonides, res bellicas expertus es, atque aliquando aduerſus hoſtilem phalangem in acie conſtitiſti: quantum id temporis cibi ſumpſeris recordare, qualíque ſomno ſis vſus. Nimirum quales tum moleſtias experiebaris, tales experiuntur qui aliis præſunt, atque etiam grauiores. Non enim hoſtes ſolùm ex aduerſo ſed omni ex parte videre ſe putant.

S. Videris mihi quædam nimium quàm bene dicere. Bellum enim terribile quidem illud eſt: ſed tamẽ nos quum militamus, excubiis ante caſtra collocatis, ſecurè tum cœnamus, tum dormimus.

H. Ita eſt profectò. Nimirum leges ante ipſos excubant, quo fit vt & ſuo & veſtro nomine in metu ſint. At tyranni cuſtodes habent ſtipendio conductos perinde ac meſſores. Et requiritur ſanè potiſſimũ ab illis cuſtodibus fides: verùm fidelem vnum multò difficilius inueneris, quàm multos admodum operarios, quodcunque tandem opus exerceant. Præſertim ſi cuſtodes quos diximus, pecuniæ cauſa adſint, atque liceat eis interfecto Domino multo maiorẽ pecuniæ vim exiguo tempore conſequi, quandiu pro illo excubantes accipiant.

POTESTAS *bene & malè faciendi.*

Iam quòd felices nos prædicaſti, vt qui amicos maximè beneficiis adficere poſſimus. & hoſtes facillimè noſtram in poteſtatem redigere: ne id quidem ita comparatum eſt. Nam quo pacto exiſtimare poſſis vnquam de amicis bene te promeriturum, ſi planè noris eum qui accipit à te plurima, lubentiſſimè tuo ex conſpectu abire quam primum cupere? Quid quid enim à principe quis accipit, eius nihil ſuum eſſe arbitratur prius quàm ex illius poteſtate euaſerit.

Et quo pacto dicere poſſis, regibus facultatem in primis non deeſſe, redigendi hoſtes in poteſtatem ipſorum? quum certò ſciant omnes illos ſe hoſtes habere, qui eorum

eorum imperio ſubiecti ſunt. At illos omnes neque occidere, neque vinculis conſtringere poſſunt. Nam ſi id fieret, in quos tandem regi imperium eſſet? Nimirum neceſſe eſt cum non ignorantem ſe illos hoſtes habere, ſimul & cauere ſibi ab eis, & opera tamen ipſorum vti.

Hoc quoque ſcire debes, reges etiam illos ciues, quos metuant magna cum moleſtia viuos adſpicere, neque cum minori occidere. Perinde atque equum, qui bonus quidem ille ſit, metuatur autem ne quod immedicabile det malum, haud facilè quis ob virtutem interficit, grauatè tamen eo vtitur, dum cauet ne quo in periculo malum inſanabile ipſi creet. Itidem res aliæ, quæcunque moleſtiam quandam cum vtilitate coniunctam habent, tum poſſidentibus tum abijcientibus eas dolorem adferunt.

HONORES.

S. Magnum eſſe quiddam honos videtur: quē qui appetunt, laborē omnem ſubeunt, omne periculum ſuſtinent. Vos quoque, ceu videtur, vtut tantum moleſtiarum principatus habeat, quantum commemoras, nihilominus præcipiti ad eum impetu ferimini, vt nimirum honorē adipiſcamini atq; vt vobis omnes in omnibus, quę mādatis, inſeruiāt ſine vlla recuſatione, omnes vndique ſpectent, de ſellis adſurgant, de via cedant, omnes denique familiares veſtri ſemper vobis tum verbis tum factis honorem deferant. Nam huiuſmodi quidem certè quædā ſubditi dominis exhibent, atque etiam alij quemcunque honore adficiunt.

Etenim videtur cæteris ab animantibus in hoc mihi differre qui vir eſt, quòd honoris ſit cupidus. Nam de cibis, potu, ſomnô, re venerea, conſentaneum eſt pari quodam modo animalia cuncta voluptatem percipere. Verùm ambitio neque animantibus rationis expertibus a natura ineſt, neque cuiuis homini. Quibus autem honoris ac laudis innata eſt cupiditas, illi verò ſunt qui plurimum à pecudum natura differunt, ac viri planè, non homines ſolum exiſtimantur. Quo fit vt equidem arbitrer meritò vos omnia in principatu quæ fertis, ferre: quando ſupra mortales cæteros vobis honos defertur. Nulla enim voluptas humana videtur ad diuinam accedere propius: quàm ea, quæ ex honoribus percipitur, delectatio.

H. Principū & Regum honores illis mihi conſimiles venereis congreſſibus eſſe videntur, cuiuſmodi eos vti demonſtrabam. Nam neque officia profecta ab iis, qui non redamarent, pro gratificationibus habenda nobis eſſe videbantur: neque congreſſus venerei vi extorti, voluptatis vllam habere ſpeciem. Eodem ſcilicet modo nec obſequia præſtita ab illis qui nos metuunt, pro honoribus haberi debent. Nam quî dicere poſſimus eos, qui vi coacti de ſellis adſurgūt, idcirco ſurgere, quòd homines iniuſtos honoribus adficere cupiant? vel eos qui ſuperioribus de via cedunt, idcirco decedere, vt iniuſtos homines honore adficiant?

Plerique certè etiam iis quos odere munera largiuntur, ídque tum maximè quum metuunt ne quid ipſis mali accidat. Verùm hæc, mea quidem ſententia, ſeruilia putari meritò debent, quum honores ex iis oriantur, quæ his ſunt contrária. Nam quum hominum ea eſt opinio, vt exiſtiment aliquem ad bene de ipſis promerendum ſatis eſſe idoneum, eiúſque ſe bonis fruituros arbitrantur: tum verò ſi eum & prædicando in ore habeant, & vt bonum proprium ſinguli ſpectent, ac lubentibus animis ei de via cedant, de ſellis adſurgant, cum beneuolentia, non metu, virtutis ac beneficentiæ publicæ cauſa corollis ornent, munera largiantur: videntur mihi & illi, quotquot hæc obſequia præſtant, reuera ipſum honore proſequi: paritérque is quem his dignantur, reuera honore adfici.

Quinetiam illum, cui talis honos defertur, felicem prædico. Nam animaduerto ei inſidias nullas fieri, ſed aliis eſſe curæ, ne quid ipſi accidat: adeóque hunc metus, inuidiæ, periculi expertem beatum æuum agere, attamen neque noctu neque interdiu viuit, ac ſi propter iniuſtitiam damnatus ad mortem ab hominibus vniuerſis foret.

S. Quî verò fit, Hiero, quòd quum tam mala res ſit regno potiri, ídque tu animaduerteris, tanto malo temet non liberes?

H. Quoniam, mi Simonides, hac ipſa in parte miſerrimũ quiddam eſt dominatio. Nec enim eâ quis liberari poteſt. Nam quî tandem princeps quiſpiam tantum opum habeat, quantum ſatis ſit ad perſoluendum iis quibus abſtulit ſua? quî compenſare poſſit iis vincula, quos vinculis conſtrinxit? quî tot animas iis reſtituat, quos ſuſtulit? Nimirum ſi vlli alij laqueo vitam vt finiat expedit, equidem reperio maximè regis è re eſſe, vt id faciat. Nam illi ſoli neque retinere, neque deponere mala quæ ſunt, expedit.

AMOR *erga principes.*

S. Te verò non æquo eſſe erga dominationem animo non miror. Quippe dum amari ab hominibus cupis, hanc eſſe tibi impedimẽto arbitraris. At ego poſſe me docere arbitror, imperium minimè prohibere poſſe quominus quis diligatur: immo etiam in hoc priuatam vitam ſuperare. Verùm hac in conſideratione non ad hoc reſpiciendum eſt, num is qui cum imperio eſt, propterea quòd maiorem potentiam habeat, præſtare maiora poſſit beneficia: ſed ſi paria faciant, homo priuatus & rex, cogites velim vter paribus beneficiis plus ſit initurus gratiæ.

Ordiar autem minimis ab exemplis. Primùm aliquem viſum amanter tum princeps tum priuatus aliquis alloquatur: vtrius compellationem magis illi, qui audiat, gratam fore arbitraris? Age verò, ſi ambo aliquem laudent, vtrius prædicationem exiſtimas eo magis pertingere vt voluptati ſit? Facta re ſacra honore aliquem vtérque adficiat, ab vtro putas exhibitum honorem maiorem mereri gratiam? Auerſa valetudine laboran-

borantem vt erque ſimiliter curat, an non clariſſimè apparebit, profectas ab iis qui plurimum poſſunt curationes & officia maximam quoque lætitiam adferre? Donentur æqualia, an non hîc etiam perſpicuum erit, profecta ab iis qui plurimùm poſſunt, dimidia beneficia plus poſſe, quàm totam homini priuati largitionem?

Equidem puto diuinitus etiam fieri, vt hominem, qui cum imperio & poteſtate ſit, honor ac gratia quædam comitetur. Non tantum enim hominem pulchriorem efficit imperium, ſed eundem lubentius contemplamur; vbi iam nactus eſt imperium, quam quum priuatus eſſet: atque etiam magis auemus cum illis colloqui, qui eximio ſupra cæteros in honore ſunt, quàm cum aliis, qui nobis ſunt pares. Porro, quum ex paribus officiis maiores vos ineatis gratias, & multo plura quàm nos præſtando iuuare poſſitis alios, atque etiam multò plura largiri: cur non magis vos amari conſentaneum fuerit, quàm priuatos homines?

H. Quia neceſſe eſt nos multò etiam plura eiuſmodi agere, quàm priuatos, ob quæ hominum in odio ſumus. Exigendæ pecuniæ, ſiquidem ad res neceſſarias habere ſumptus volumus: cogendi quidam ad cuſtodiendum ea, quæ cuſtodia indigent: puniendi iniuſti, & impediendi qui vim inferre volunt. Quòd ſi celeritatem occaſio temporis poſtulet, ad ſuſcipiendam vel terra vel mari expeditionem, non ignauis res committenda eſt. Præterea mercenario militi opus eſt regi, in quo elationem animi ciues gratius ferunt, quàm quidquam aliud. Arbitrantur enim non hos quidem ali, vt cum tyrannis pari ſint in honore, ſed auaritiæ cauſa.

S. Ego verò, mi Hiero, non nego harum omnium rerum curam ſuſcipiendam eſſe: ſed tamen videntur mihi curationes aliæ in odium adducere, aliæ magna cum gratia coniunctæ eſſe. Nam docere quæ optima ſunt, & pulcherrimè illa præſtantem prædicare atque in honore habere, ea verò curatio cum gratia quadam fit. At eum qui non rectè aliquid agit, conuiciis inceſſere, cogere, multare, punire: hæc vero cum odio quodam fieri neceſſe eſt.

Quamobrem aio equidem id, quod neceſſitas requirit, debere illum qui cum imperio eſt, aliis puniendum mandare: præmia verò per ſeipſum largiri. Quod ſanè rectè fieri rerum euenta teſtantur. Nam quum choros decertare volumus, præmia quidem præfectus ipſe proponit, congregandi autem ipſos munus choragis datur, itémque aliis docendi, & cogendi eos, qui non ſat rectè aliquid præſtent. Ita ſtatim hîc quòd cum gratia coniunctum eſt, per præfectum ipſum curatur: quæ verò dura ſunt, per alios.

Quid igitur impedimento ſit, quominus etiam res ciuiles ceteræ conſimili ratione peragantur? Diuiſæ ſunt enim vrbes vniuerſæ partim in tribus, partim in claſſes, partim in manipulos, ac ſingulis partibus præfecti quidam ſunt. Quamobrem ſi quis his quoque tanquam choris præmia proponeret ob inſignem armaturam, ob ordinis obſeruationem, ob

rem equeſtrem, ob fortitudinem militarem, ob iuſtitiam in commerciis: conſentaneum eſſet futurum vt etiam hæc omnia per contentionem acriter exercerentur.

Ac, ita me Deus amet, quò opus eſſet celerius impellerentur, ſi quidem honoris cupiditate ducerentur: itémque citius pecuniam conferrent, quando ſic vſus poſtularet, & (quod quidem fructuoſiſſimum eſt, quanquam per contentionem agi minimè conſueuerit) ipſa agricultura magnum incrementum ſumeret, ſi quis per agros vel per vicos optimè terram excolentibus præmia conſtitueret, adeóque ciuibus, qui totis viribus in id incumberent, multa bona conficerentur. Nam & prouentus augeſcerent, & temperantia multò magis occupationum comes eſſet: ne dicam etiam facinora minus in iis, qui opus faciunt, exiſtere.

Quòd ſi etiam mercatura reipublicæ commodum aliquod adfert, maior mercatorum numerus excitabitur, ſi is qui plurimum negotiatur affectus honore fuerit. Quòd ſi futurum pateat, vt qui ſine aliorum moleſtia prouentum aliquem reipublicæ excogitat, & ipſe ornetur: ne illa quidem conſideratio relinqueretur.

Denique, ſummatim vt dicam, ſi in omnibus perſpicuum eſſet, non cariturum honore, ſi quis boni alicuius autor exſtiterit: multos hoc etiam impelleret, vt ſtudioſè boni aliquid inueſtigarent. Iam ſi multis reipublicæ commoda curæ ſint, neceſſe eſt magis aliquid inueniri, & hominum ſtudia excitari. Quòd ſi metuis, Hiero, ne propoſitis inter multos præmiis magni ſumptus fiant: cogitato nullas eſſe merces vtiliores quàm quæ præmiis redimuntur. Vides in equeſtribus, & gymnicis, & ſcenicis certaminibus, quàm exiguis præmiis ingentes ſumptus, multique labores & ſtudia hominum eliciantur?

H. Præclarè tu quidem illa mihi dicere videris, Simonides. Cæterum de mercenario milite num proferre quid potes, vt videlicet propter ipſos minus in odio ſimus? an ais principem virum amicitia hominum conciliata ſatellitum opera nihil amplius egere?

S. Immò egebit certè. Nam ſcio perinde vt equis, ita & hominibus quibuſdam accidere, vt quanto magis ipſis neceſſaria ſuppetant, tanto ſint petulantiores. Hos igitur magis modeſtos reddet ortus à ſatellitibus metus: è bonis autem egregiíſque viris nulla re tantum mihi poſſe prodeſſe videris, quantum his ipſis mercenariis militibus. Nam tui corporis cuſtodes alis, & multi iamdudū heri ſuis à ſeruis vi ſunt interempti.

Quòd ſi primum hoc mercenario militi imperetur, vt ſuccurrat omnibus, tanquam ſi eſſent ſatellites omnium ciuium, ſi quid animaduerterint: (& ſolent, vt ſcimus, exiſtere facinoroſi homines in ciuitatibus) & hos igitur ſi obſeruare iubeantur, ſcient ciues, hanc ſe vtilitatem ex eis percipere. Deinde ruri opus facientibus ac iumentis quoque conſen-

ſentaneum eſt hos & fiduciam & ſecuritatem præſtare poſſe: idque perinde priuatim tuis, atque aliis qui paſſim in regione degunt. Poſſunt etiam ciuibus præſtare otiū, per quod liceat ipſis res ſuas curare, ſi loca opportuna cuſtodierint.

Ad hoſtium præterea repentinas & occultas inſidias vel præſentiendas, vel impediendas, quinam paratiores fuerint, quàm illi qui ſemper armati ſunt, & in acie inſtructi? Etiam ipſo in exercitu quid ciuibus eſt milite mercenario vtilius? Nam eos & ad laborandum pro aliis, & adeundum pericula, & excubandum promptiſſimos eſſe conſentaneum eſt. Et finitimas ciuitates an non propter eos, qui ſemper armati ſunt, neceſſe eſt etiam pacis maximè cupidas eſſe? Nam qui ad pugnam ſunt inſtructi, maximè tum amicorum fortunas tueri, tum hoſtium peſſundare poſſunt.

Iam ſi ciues intelligant hos nihil iniuſtè agentibus non nocere, ſed illos impedire qui alios lædere volunt, iniuriam paſſis ſuccurrere, pro ciuibus & ſollicitos eſſe, & pericula obire: quî non eos neceſſe eſt lubētiſſimè ſumptum in hos conferre? Alunt certè priuatim cuſtodes rerum etiam minoris momenti.

REGVM *cura circa publicum bonum.*

Neceſſe eſt etiam, vt boni publici cauſa de tuis facultatibus ſumptus facere non recuſes. Nam equidem arbitror ea quæ ciuitati impenduntur, vtilius expendi, quā quæ rex priuatim inſumit. Conſideremus ſanè rem ſingillatim.

Vtrum exiſtimas domum, immenſo ſumptu elegantiſſimè exſtructam, ornamento tibi maiori eſſe, quàm ſi vrbē vniuerſam mœnibus, templis, columnis, foris, portubus inſtruas? Num ſi armis planè formidabilib. ipſe ornatus ſis, maiori hoſtibus terrori fueris, quàm ſi ciuitas vniuerſa præclarè tibi ſit armis inſtructa? Vtrum prouentus plures putas te habiturum, ſi tantum priuatim tua fiant, an ſi effeceris vt ciues vniuerſi rebus ſuis agēdis intenti ſint?

Iam, quod omnium præclariſſimum & magnificentiſſimum ſtudium eſſe putatur, vtrum putas te magis præclarè currus inſtructurum, ſi vnus inter omnes Græcos maximam curruum copiam inſtituas, & ad celebritates Græciæ mittas: an verò ſi maxima ciuium pars equos alat, & plurimi decertent? Vtrum eſſe putas pulchrius vincere currus præſtantia, an vrbis, cui præes, felicitate? Equidem ne conuenire quidem aio, vt rex cùm priuatis hominibus congrediatur. Nā ſi viceris, non eris in admiratione, ſed inuidia, vt qui multorum ex re familiari ſumptus facias: at ſi vincaris, maximè omnium irriſioni eris expoſitus.

Equidem tibi, mi Hiero, propoſitum eſſe certamen aio aduerſus aliarum vrbium præſides, inter quos ſi tu ciuitatem, cui præes, feliciſſimam præſtiteris: ſcito te pulcherrimo & magnificentiſſimo inter homines certaminis genere victorem futurum. Primùm effeceris vt à ſubditis tuis diligaris, quod tu quidem expetis: deinde victoriā

tuam non vnus publicè iudicabit, ſed virtutem tuam homines vniuerſi prædicabunt. Suſpicieris itidem ac diligeris nō ſolum priuatis ab hominibus, ſed multis etiam vrbibus. Non priuatim eris in admiratione, ſed publicè apud omnes.

Licebit tibi, ſi voles, ſecuritatē, quod attinet, aliquò proficiſci: licebit & hîc manenti hoc ipſum facere. Semper enim apud te eſſet cœtus frequens eorum, qui oſtentare velint, ſi quid habent vel doctrinæ, vel virtutis, atque etiam inſeruire tibi cupient. Quiſquis aderit, ſocius tibi eſſe volet, & qui aberunt, videre te cupient. Adeóque non tantùm ab hominibus diligeris, ſed etiam amaberis. Non erit quod tibi metuas, ſed potius alij, ne quid accidat tibi, metuent. Quòd ſi quid erit periculi, non opitulatores tantùm, ſed etiam propugnatores, eóſque alacres cernes. Multis muneribus dignus iudicaberis, neque copia tibi deerit eius, cui bene tibi volenti viciſſim illa impertias. Omnes ob commoda tua tecum gaudebunt, omnes pro bonis priuatim tuis, tanquam propriis, dimicabunt. Omnes quæ apud amicos erunt opes, theſauri tui erunt.

Tu verò, amicos audacter collocupletato, quippe qui temet ſis ditaturus, & ciuitatem amplificaturus, & tibimet ipſi potentiam adiuncturus. Comparato Reipublicæ belli ſocios. Patriam exiſtimato domum tuam eſſe, ciues, ſocios, amicos, liberos tuos, liberos, nihil aliud quàm tuum ipſius animum. Atque hos omnes beneficiis ſuperare contendito. Nam ſi amicos beneficiendo viceris, reſiſtere tibi hoſtes minimè poterunt. Denique, ſi hæc omnia præſtiteris, ſcito planè quiddam te longè humanis in rebus præclariſſimū feliciſſimumque cōſequuturum, vt tametſi beatus ſis, tamen non experiaris inuidiam. *Hæc Xen. in Simonidis & Hieronis colloquio.*

Regvm *ingenium.*

Regum ea natura eſt, vt neminē vel hoſtem vel amicum habeant, ſed ex eorum commodo amicitias inimicitiaſque metiantur. *Polyb. libro 2.*

Ea eſt conſuetudo Regum, vt caſus aduerſos hominibus tribuant, ſecūdos fortunæ ſuæ. quo facilè fit vt impellantur ad corū perniciem, quorū ductu res malè geſtæ nunciantur. *Æmyl. Probus in Datame.*

Regio.

Nulla magna regio eſt ſemper immunis bellorum. *P. Æmyl. libro ſecundo.*

Regna.

Regna terrena ſunt ſuſpecta, infida, cruenta, incerta, ſerua, anguſta, inſatiabilia. *P. Æmyl. l. 3.*

Prouidentia regum, fide popularium ſalus dignitáſque Regnorum conſtat. *Idem, l. 9.*

Regna *quomodo conſeruantur.*

Regna vt fortitudine comparātur, ſic manſuetudine & humanitate conſeruātur. *B. Facius, hiſt. l. 7.*

Non iiſdem ſemper artibus reges magna imperia tueri poſſunt, quibus ea quæſierint. Ignoſcendo, largiendo, indulgendóque regna læto admodum hoſpitio feliciter ineuntur. Cæterùm, cùm praua inquietáque hominum ingenia, audēdo, moliendóque, inſperatas ex oc-

culto

culto tempeſtates cient,tum deniq; ſeueritatem pro clementia, parſimoniam pro munificẽtia,pro facilitate autem ac liberalitate illiberalem duriorémque naturam, vtilia ſalutariaque didiceris. *P.Iouius,hiſt.l.2.*

REGNORVM *mutationes à Deo.*

Neminem eſſe hominum arbitror, quem latere poſſit,quòd hominem in hoc mundo Deus fecerit: vnde etiam peccante homine mundus arguitur, ac propter noſtram intemperantiam compimẽdam terra hæc,in qua viuimus,defectu cæterorum animalium,& ſterilitate ſuorum fructuum caſtigatur. Itaque ſi creatura Dei, meritò & diſpenſatio Dei ſumus: quis enim magis diligit quàm ille qui fecit? Quis autem ordinatius regit, quàm is qui fecit & diligit? Quis verò ſapientius & fortius ordinare & regere facta poteſt,quàm qui & facienda prouidit, & prouiſa perfecit? Quapropter omnem poteſtatem à Deo eſſe,omnémque ordinationem, & qui non legerunt ſentiunt, & qui legerunt cognoſcunt. Quòd ſi poteſtates à Deo ſunt,quanto magis regna à quibus reliquæ poteſtates progrediuntur? Si autem regna diuerſa,quanto æquius regnum aliquod maximum, cui reliquorum regnorum poteſtas vniuerſa ſubiicitur? *P.Oroſ.hiſt. lib.2.cap.1.*

REGNVM.

Nihil minus populare quàm regnum eſt. *Liuius, Decad. 1. libro ſexto.*

Multa decora,regni fœda cupiditas non ingrata ſolùm,ſed etiam inuiſa reddidit. *Idem,ibid.*

Inuidia regni etiam inter domeſticos infida omnia atque infeſta facit. *Idem,eod.l.*

Maius eſt regnum faſtidire quã accipere. *Curt.l.4.*

Regnum atque eius commoda magis expetunt ij qui potentiam aliquam habent,quàm qui egẽtiores ſunt. *Xiphil.Caſ.Aug.*

Regnum ſi affectes,non tam facilè adipiſcare, quàm ſi habeas amittas. *P.Æmyl.l.3.*

Ludouicus Craſſus cùm fatalem ſibi diem appetere ſentiret, reuocauit filium è Vaſconia,corámque hortatus eſt obteſtatúſque, vt magis piè regnaret quàm ipſe feciſſet: religionem coleret,egentibus coleret,orbis pupilliſque proſpiceret,paci communique dignitati ac ſaluti inſeruiret: Regnum nihil aliud quàm procurationem munúſque publicum exiſtimaret: cuius in vita adminiſtrati reddendam exactè rationem continuò poſt facta ſciret,ſedente in ſe immortali iudice, ſua cuique facinori parata præſenti ſempiternáque mercede. *Idem,l.5.*

Studia hominum quæ liberalitate atque iuſtitia facilè comparantur,ſunt regni opes firmiſſimæ. *P. Iou.hiſt.l.18.*

REGNI *cupido.*

Auitum malum, regni cupido. *Liu.Decad.1.l.1.*

REGNI *præſidia.*

Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt: verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. *Salluſt.de bel.Iugurt.*

RELIGIO.

Intuemini horum deinceps annorum vel ſecundas res,vel aduer-

ſas,inuenietis omnia proſperè euenîſſe ſequentibus deos, aduerſa ſpernentibus. *Liuius, Decad. 1. libro quinto.*

Religionis ſtudium à ſuperna potentia pendet,diuináque & concinna quadam ratione gubernatur. Qui verò mentis ſuæ fores oſtentationi aperiunt: hi non animaduertunt ſtudium ſuum in odium,& (ſi dicere liceat)zelum in ſcelus eſſe conuerſum, atque pro frumento & vua, cæteríſque bonis fructibus ſpinas & lolium extitiſſe:quæ non aliud ſunt niſi lites ab animo non ſatis inſtituto proficiſcentes,& aduerſariarum orationũ certamina. *Nicephor. Gregoras, hiſtor. libr. 6.*

Religione longè lateque propagata, miracula deſinere neceſſe eſt,& Scripturas S. teneri, quibus quaſi manu ducti ea pręſtemus quę Deo grata ſunt. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 6.*

Mira eſt vis religionis, quæ etiã ſi mala deteſtabiliſque ſit,tamen animis ſemel inſita ac penitus impreſſa inflammare homines,& concitare ad ſui timorem ſolet: omnes enim quam ipſi colunt religionem potiorem ac ſanctiorem alienа putant. *B. Facius, hiſtor. libro decimo.*

In vera religione animorum noſtrorum felicitas ſempiterna continetur. Pro hac decertandum: pro hac effundendæ vires: pro hac denique vita ipſa exponenda. *Idem, ibidem.*

Nihil quicquam altius quã Religio in hominum pectora dimittitur. *P. Æmyl. l. 4.*

Rerum humanarum contemptum animis mortalium adfert vera religio,ac numinis fiducia. *Idē, eod. l.*

Velle tutari religionem,id non ab homine, ſed à Deo beneficium homini datur. *Ibid.*

REMEDIA *applicanda malis.*

Non ſatis eſt dicere, ſanandum eſſe vulnus,niſi oſtẽdatur quo modo. *G. Pachym. hiſt. l. 4.*

REPETITIO.

Crebra ſimilium rerum repetitio,ſine vlla gratia nouitatis,faſtidium parit lectoribus. *Nicet. Manuel. Comn. l. 4.*

REPREHENSIO.

Aliena facta reprehendere, vel cuilibet facillimum eſt. *Dionyſ. Halic. l. 10.*

Plerique mortales ad iudicandum ſatis ingenij habent,aut ſimulant:veruntamen ad reprehendẽda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus: vix ſatis apertum os aut lingua prompta videtur, quæ dicta pectore euoluat. *Salluſtius in Fragm.*

REPREHENSIONES.

Longè procliuius eſt alios reprehendere, quàm ſibi ipſi moderari:facilliméque fit vt quarum rerum cauſa homines pœna dignos alios iudicant, has ipſi eaſdem admittant: vt argumento non ſit, propter quas alios accuſant,has ipſos odiſſe. *Dion, l. 36.*

Manſuetis ingeniis reprehenſiones plus fere voluptatis adferũt quàm doloris,earúmque memoria ſcintillas in animis velut ignem ſub cineribus deliteſcentem,ad cauenda in poſterum ſimilia delicta, excitat. *Nicet. libr. de Conſtantinop. ſtatu.*

REPREHENSORES.

Sic comparatum eſt in rebus humanis,vt multi ſint reprehenſores. *Mich.Glyca.Ann pag.4.*

REPVLSA.

Meminerint repulſi nefas non eſſe,aliquid ab omnibus vni negari:cum ſæpenumero ſinguli cunctorum voluntatibus reſiſtere fas eſſe duxerint. *Valer.Maxim.libr.7. capit.5.*

RES *humanæ.*

Ita ſunt res humanæ,vt aliàs copia abundent, alias penuria laborent,& ſubinde aliter atque aliter ſeſe habeant.Quare medicina illis non ſimplex,ſed varia eſt adhibenda: & ſi hac minus ſucceſſit,res alia via aggredienda.Eſt enim omnium rerum cognatio quędam, & ſimilitudo,proptereà quòd ex eiſdem elementis omnes conſtant. *Niceph.Greg.hiſt.l.8.*

Quando res humanæ ſemel loco moueri,inclinaríve ſede ſua cœptæ,quò maiores ſunt, eò ægrius ſeriúſque veſtigio reponuntur ſiſtuntúrve. *P.Æmyl.l.9.*

Ex hiſtoriis conſtat innumeris mutationibus, haud ſecus quàm mare ventis agitatum, res humanas eſſe obnoxias. *Fr.Guicciardin. hiſt.lib.1.*

RES *maximæ.*

Res maximæ non temporis breuitate, ſed probo rationis conſilio ac corporis labore gubernantur, quæ quidem hominibus non admodum repentè ſuccurrunt. *Procop.de bel.Perſ.l.1.*

RERVM *occultæ & miræ proprietates.*

Vilioribus & abiectioribus plerunque rebus vim eam Deus,indidit, vt ea ſuperarent quæ maximę ęſtimationis eſſent inter homines. Nam & aceto vniones reſoluuntur, & Adamantem lapidum omnium auide quemlibet ictum peruicaciſſimum hirci ſanguis tabefacit. Conſimili modo Stygis aqua quæ vaſa omnia vitrea,fictilia,cornea,oſſea, ferrea,ærea,ſtannea, argentea,frangit,equi vngulam ſuperare nequit: hac enim ſola ita continetur,vt vaſculum non findat. *Pauſan.l.8.*

RESPVBLICA.

Reipubl. ſumma in publicorũ & priuatorum ædificiorum ornatu & ſplendore ſita non eſt. Neque enim in bellis externis profundę altæque foſſæ ſunt munimenta ſatis idonea ad certam ſecuræ ſalutis ſpem hominibus incluſis afferendam,ſed hoc tantùm pollicentur,oppidanos repentina hoſtium incurſione obſeſſos cladem nullã accepturos. *Dionyſ Hal.l.2.*

Bonis legibus & honeſtorum ſtudiorum æmulatione, pia, temperans, iuſta & re bellica præſtans Reſpubl. redditur. *Eod.l.*

Reſpublica incolumis priuatas res facilè ſaluas præſtat. publica prodendo,tua nequicquam ſerues. *Liu.Decad.3.l.6.*

Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt.ſi foris hoſtem non habet,domi inuenit: vt prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. *Liu.Decad.3.l.10.*

Principes ſunt mortales: Reſpublica æterna eſt. *Tacitus Annal.libro 3.*

In ſenatu ſæpe dixit Adrianus, Ita ſe Rempub.geſturum, vt ſciret populi rem eſſe,non propriã. *Spartian.in Adriano.*

Reſpublica quæ diuites & diuitiarum cupidos patitur, eſt miſera. *Vulc. Gal. in Auid. Caſsio.*

Sub principe optimo & forti Reſpublica bene regi poteſt. *Iul. Capitol. in Clod. Albino.*

Melior eſt Reſpubl. & propè tutior, in qua princeps malus eſt, eâ in qua ſunt principis amici mali: ſiquidem vnus malus poteſt à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non poſſunt ab vno, quamuis bono vlla ratione ſuperari. *Lampr. in Al. Seuero.*

Ex immenſis opibus egentiſſima eſt tandem Reſpublica, per eos qui, vt augerent diuitias, docuerūt principes auro quiete à barbaris redempta redire. *Ammon. Marcel. libr. 24.*

Laudibus extollenda eſt Reſpublica, quæ gratificando ciuibus veritatem non prodiderit: quæ etiam iis non rarò ſummam rerum impertiuerit, qui nulla ipſis cognatione coniuncti eſſent, propter virtutem tamen honore digniſſimis. *Ælian. Var. hiſt. l. 14. c. 6.*

RESPVBLICA *bene inſtituta.*

Apud nos imperat, & Senator eſt, ac Reipubl. conſulit, aliiſque honoribus fruitur, non qui multū opibus pollet, neque qui longam ſuorum maiorum indigenarum ſeriem poteſt oſtendere, ſed quicūque his honoribus fuerit dignus. *Dionyſ. Hal. l. 3.*

Rempublicam ſimilem eſſe vni homini dicebat in quo per quandam proportionem ac ſimilitudinem animus ſenatum, corpus verò plebem refert. Si igitur patiantur plebem dementem imperare Senatui, ita illos facturos dicebat, vt qui animum corpori ſubiiciunt, & qui non ex rationis præſcripto ſed pro ſua libidine viuunt. Quòd ſi aſſueſecerint plebem vt patiatur ſe regi & duci à Senatu, ita facturos vt qui animo corpus ſubiiciūt, vitæque genus degunt & ſectantur quod eſt optimum, non autē quod eſt iucundiſſimum. *Idem, l. 5.*

Reſpubl. quodammodo humano corpori ſimilis videtur. Vtrunque enim eſt compoſitum, & conſtat ex multis partibus, quarum ſingulæ nec eādem vim habēt, nec vſus pares exhibent, &c. *Diony. Halic. l. 6.*

Quodnam maius infortunium Reipublicæ accidere poteſt, quàm ſi optimi quique viri excindātur? *Idem, l. 10.*

RESPVBLICA *felix.*

Nullum narratur bellum, aut ſeditio, aut nouādarum rerum ſtudium in Republica extitiſſe Numa regnante: neque aduerſus ipſum inimicitia, aut inuidia, aut propter cupiditatem regni inſidiæ conſpiratióve oborta eſt, ſed ſiue metus deorum quos viri eius curā gerere opinarentur, ſiue reuerentia virtutis, ſiue fortuna, vitam ſub eo integram ſcelerum purámque à malicia ſeruauit. In quibus omnibus euidens fuit exemplum, argumentúmque Platonis illius dicti, quod ille haud paruo tempore auſus fuit de Republica pronunciare: hac nimirū vnica ratione homines à malis liberari ſoluique poſſe, ſi diuino quodam fato in eodem homine animus philoſophicus atque potentia regia concurrant, eáque virtutem improbitate ſuperiorem reddant. Nā profectò & ipſum ea virtute prēditū regem, beatum fore, & omnes qui ſermo-

ſermones ex eius ore exeuntes audiãt:ac ſpem eſſe,non fore opus vi aut minis ad regendam multitudinem: ſed ipſos cum in illuſtri atq; ſplendido exemplari principis virtutem propoſitam conſpicient,vltro modeſtiæ operam daturos, ac ſe comparaturos ad id vitæ genus, in quo cum mutua amicitia & concordia iuſtè & moderatè,inculpati atque beati viuere poſſint. quo in genere vitæ finis pulcherrimus totius Reipublicæ conſtitutus eſt,iſque verè præ omnibus aliis regiæ naturæ homo, qui ſubditos in hâc ſententiam adque hoc vitę inſtitutum perducere ſuos poteſt. Hæc quidem Numa omnium maximè perſpecta habuiſſe videtur. *Plutar. in Numa.*

Bene ſperandum eſt de bello,& de pace,vniuerſáque republica, ſi bonos & fortes viros in magiſtratu habeat,concordibus iunctos animis,parere atque imperare iuxta paratos,laudémque potius conferentes in medium,quàm ex com muni ad ſe trahentes. *Liuius, Decad. 1.libr.6.*

RESPVBLICA *priuatorum commodis præferenda.*

Ego iudico florente patria melius eſſe priuatis quàm florentibus priuatis in afflicta Republica. Nam etiamſi priuatus tenet opes, tamen euerſa patria ſimul hæc omnia pereunt: ſed in florente patria etiam pauper ciuis ſaluus eſſe poteſt. Quando igitur ciuitas priuatorum ciuium difficultates ſuſtinere poteſt, nemo autem priuatus vnus Rempubl. laborantem ſuſtentare poteſt, iuſtum eſt vniuerſos ei opem ferre, & non perterritos priuatis iacturis deſerere Rempublicam. *Thucyd.l.2.*

RESPVBLICA *inuicta.*

Neceſſe eſt inuictam eſſe Rempublicàm, cuius Imperator militari arte percepta, quantos voluerit faciat exercitus bellicoſos. *Veget.l.2.c.4.*

REIPVBLICÆ *clades.*

Qui hominibus ſceleratis Rempublicam adminiſtrandam credit, non aliter agit,ac ſi quis ingentem nauim onerariam gubernatoribus imperitis,ineptis,committat. *Conſtant. Manaſſ. Ann.p.174.*

REIPVBLICÆ *curabe habenda.*

Turpe eſt pluris priuatum quempiam,quàm ciuitatem facere vniuerſam. *Xenophon de reb geſt. Græc. libr.1.*

Nemo omnium ita poteſt lætis rebus vti, vt non idem cum republica corruente pereat: at reſpublica, ſi proſpero ſucceſſu vtatur, etiam priuatorum omnes calamitates poteſt ſubleuare. *Dion, libro 38.*

REIPVBLICÆ *dignitas.*

Reipublicæ potentiſſimæ dignitas nulla re magis extinguitur,quã ſi in hominum mentibus opinio gignatur, animũ aut vires ad propulſandas iniurias deeſſe, nec ad iuſtã vltionem magiſtratus eſſe paratos. *F.Guicciardin.hiſt.l 4.*

REIPVBLICÆ *fulcra.*

Duo ſunt quibus quæuis Reſpublica ſeruatur, fortitudo videlicet aduerſum hoſtes,& mutua inter ſe concordia. *Polyb.hiſt.l.6.*

Vtriſque iſtis in vna mente vel ciuitate concurrentibus, fortitudine videlicet & temperãtia, haud facilè fieri poteſt,vt malitia vel ex ipſis naſcatur, vel ex proximis a-

liunde attrahatur. *Idem, eod. l.*

Virtute quàm pecunia Reſpublica melius ſtat. *Tacit. hiſtor. l. 2.*

REIPVBLICÆ *quo animo inſeruiendum.*

Non gloriæ ſtudio, non opum, neque fortuito caſu, vt quidam alij, ad tractandam Rempublicam delatus Cato minor, ſed Conſilio, quod hoc boni viri eſſe officium putaret, intentiorem ſe reipublicæ, quàm apem melli eſſe debere cenſuit. *Plutar. in Catone Vticenſi.*

REIPVBLICÆ *labes.*

In quæ laboramus ſola creuimus, diuitias, luxuriámque. *Liu. Decad. 1. l. 7.*

Tria ſunt, *inquiebat Cleon*, imperiis minimè vtilia: Miſericordia intempeſtiua, Orationum blandities, & lenitas. Nam miſericordia erga ſimiles vtendum eſt, qui viciſſim miſericordia afficiuntur, non aduerſus eos qui in nos ſæuiunt, & neceſſario ac ſēper hoſtili sūt ingenio. Oratores poſsūt in inferiorib. cauſis voluptati inſeruire, non autem in grauiſſimis negotiis, in quibus garriendi breuem voluptatem ſequitur ingens detrimentum, ſed vbi pro benedictis beneficia recipiant. Lenitate verò vtendum eſt erga ſanabiles, qui poſtea magis morigeri erunt, non erga æquales & hoſtilem animum retinentes. *Thucyd. l. 3.*

Quemadmodum ferro rubigo, ligno vermiculi ac teredines adnaſcentes perniciem adferunt, ſic vt etiam ſi externa nocumenta effugiant, ab iſtis tamen qua adnata habent abſumuntur: hoc pacto & Reipublicæ cuilibet pro natura ipſius quædam adnaſcitur & adhæret peculiaris malitia: vtpote regno monarchia, Ariſtocratiæ oligarchia, democratiæ belluina chirocratia & popularis ſeditio: vt fieri nequeat quominus cuncta prædicta, temporum decurſu, dicto iam modo mutentur. *Polyb. hiſtor. libro 6.*

Quando Reſpublica multis ac magnis periculis repulſis, ſummum aliquem gradum & potentatum inexpugnabilem acquiſiuit, manifeſtum eſt quòd accedente, vt plurimùm aſſolet, rerum proſperitate, victus ſoleat fieri ſumptuoſior, & viri plus æquo contentioſiores reddantur circa principatus & alia negotia. Quibus ſic diutius progredientibus initium mutationis ad peiora ſubnaſcitur, philarchia videlicet, quæ ſpecies eſt ignominiæ: præterea & vitæ arrogantia, & luxus. Sentiet autem populus mutationis eius epigraphē, quando eorum adulationibus, à quibus videtur dirigi, propter philarchiam inflatur. Tunc enim ira percitus, & cuncta furore præſumens, imperata facere detrectat, imo ne par quidem præpoſitis eſſe vult, ſed omnem vt plurimum obtinere poteſtatem. Quo facto Reſpublica pulcherrimo quidem nomine libera ac democratica dicetur, reipſa verò peſſimo nomine ochlocratia vocari poterit. *Idem, eod. libr.*

Suis quique rebus intenti, Rempublicam minimè curant: ſuo tandem tempore pœnas daturi. *G. Pachym. hiſt. l. 2.*

REIPVBLICÆ *cuiuſuis principia.*

Ego cuiuſuis Reipublicæ duo arbitror eſſe principia, propter quæ tam potentiam quàm ſtatum illius

illius aut optabilem,aut deteſtabilem fieri contingat. Hæc autem ſunt mores ac leges. Optabilis ac ſelectus Reipublicæ ſtatus eſt,quo & priuata mortalium vita ſancta & integra,& publici ciuitatis mores placidi ac iuſti redduntur. Deteſtabilis verò ac fugiendus, quo contrarium perficitur. Quemadmodum itaque ſi quando mores ac leges honeſtatem apud quoſdã reſipere viderimus, confidenter pronunciamus & viros eiuſmodi Reipublicæ honeſtati fore conformes,ita & vbi priuatam quorundam vitam auaritiæ deditam, & publica negotia iniuſta eſſe viderimus,manifeſtum eſt haud immeritò poſſe dici,quòd partim ſecundum leges, & partim ſecundum mores illorum deprauata ſit tota eorum Reſpublica. *Polyb. hiſtor. libro 6.*

RESPVBLICÆ.

Semper ego illa ſum in ſententia, vt quales ſint præſides,tales & reſpublicas eſſe ſentiam, *Xen.l.de vectigalib.*

RESPVBLICÆ *ambitioſæ.*

Occaſio adiuuat aliquid aggreſſuros :quæ cùm ſe offert præter opinionem, etiam ſi vires alioqui minores ſunt,incitat vt periculum adeant,præcipuè ciuitates,quia hę res maximas concupiſcunt,videlicet libertatem & imperium,& ſinguli cum vniuerſis ciuibus coniunctis maiora imaginantur.*Thucydid. libr.* 3.

RESPVBLICÆ *felices.*

Hæ dicuntur beatiſſimæ reſpublicæ,quę plurimo tempore in pace vixerunt. *Xenophon libro de vectigalibus.*

RERVMPVBLICARVM *euerſio.*

Principibus vniuſcuiuſque ciuitatiş temere interfectis accidit vt eæ ciuitates maximis cædibus ſeditionibúſque vexentur.*Polyb.libr. ſecundo.*

RERVMPVBLICARVM *olim florentium inclinationes & euerſiones,vnde.*

Mihi vetera facta dictáque maiorum noſtrorum repetenti, cùm & Genuenſium Reipublicæ detrimenta intueor, & aliarum ciuitatum non minores animo colligo calamitates, mirum videri ſolet, vnde tot nobiliſſimis ciuibus repẽtè inuecta ſint incommoda, quóve tandem pacto,qui olim vltro exterum imperium expetebant,tam facilè repudient.Veriſimillimum verò videbatur,ſuperioribus ſeculis viguiſſe domi foríſque induſtriã: honeſtam de omni virtute inter nobiles fuiſſe contentionem: certamen eis fuiſſe,domíve antiquiores prudentia & conſilio melius,an foris iuuentus magnitudine animi ac induſtria res bellicas gererẽt. Ita ſeniores,quorum virtus multis magniſq; rebus eſſet cognita, prouinciis regendis præponebantur: iuuenes ad maxima pericula adeũda parati ſeniorum præmia expectabant:ipſiſque ita educabantur à maioribus, vt equitando,iaculando, ſemper aliquid agerent quo aleretur virtus.

Nunc inſtituuntur ad otium & illecebras choreas ducunt tam frequenter,vti ad ludum ſaltatorium & cymbala & crotalia, non ad militiam præparati videantur: epulis inſtruendis Regiam imitantur magnificentiam. Inde procax & ſu-

perbus faſtus, pro rectis blanda vnoquoque ſuggerente: delitiis, languore, deſidia inficiuntur, & vanis aſſentationibus opinionibúſq; delinitum animum molliunt, vt iam veriſſimum illud vetus reddiderint, quo dictum eſt, Ætatem parentum auis peiorem ferre nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. Alea & fritillus in manibus eſt: pro magiſtris vitæ inſtituendæ, agmen canum & auium. Si qui adhibentur rectores formandæ iuuentuti, obſequentiores quã par ſit ſeruiunt ipſi temporibus. Ita dum ſumptus fiunt ingentes, ad rapinas conuerſi, tum freti malitia, peruertere vrbes & expilare, decoráque omnia labefactare aſſueſcunt.

Efferuntur faſtidio & contumacia, efficiúntque vt qui dixit, nihil eſſe incipiente fortunato intolerabilius, verè dixiſſe videatur. Valet apud eos plus quod illis nonnullorum eſt artificiis inculcatum, quàm aut officium, aut neceſſitudo, aut vis decori. Tum demum ciuitates exteræ, dum ab his quos adſciſcunt innocentiam abſtinentiámque exſpectant, & tranquilliorem Reipublicæ ſtatum, non modò id non adeptæ, ſed in ſummas miſerias direptionéſque ſe incidiſſe videntes facilè dominatum nouum expetunt. Nec mirum, ſi, cùm ita inſtituti ad gubernacula accedant, teneant clauum, ſedeant in puppi, naufragia facta plærunque audiamus.

Id quoque indigniſſimum, vbi vel de re grauiſſima agatur, ita ob ſeptum eſſe aditum, ad aures magnatum aſſidentibus ſemper, & occupãtibus eorum latus eis qui plus poſſunt, pauciſſimis, apud quos omnes frendant recidiſſe potentiã, vt neſcias miſerior ne ſit eorum conditio, quorum querelis occluduntur aures, an ipſius qui tribus aliquot aut quatuor ita cingatur, vt mancipiorum, quæ dominorum facta ſunt nexu, fractique animi & abiecti, & arbitrio carentis ſuo, ſeruuli ſpeciem potius quàm eius in quo elucere poſſit maieſtas, exhibeat: apud quem nihil minus polleat quàm ipſius iudicium & volũtas, circumagatur verò, & hac atque illac impellatur pauciſſimorũ ſuſurris: qui eum eſſe quæſtum in animum induxerunt maximum, quàm maximè ſuis potius quàm publicis ſeruire commodis: neque vllum qui ſe in eorum committat fidem, niſi captato vndique lucro ſubleuare: qui ſi magnitudine rei ſemel occuparint eius animos, difficilis poſtea atque haud ſcio an vllus aditus veritati relinquitur. *Arn. Ferron. libr. 3.*

RERVMPVBLICARVM *reuolutio & prolixa conſideratio.*

Plurimi eorum qui de republica ſcripſerunt, tria dicunt eſſe politicarum genera, harum prius regnum, alterum Ariſtocratiam, tertium democratiam vocant. Videtur autem de iſtis haud immerito vehementer poſſe dubitari, an haſce Rerumpubl. formas tanquam ſolas, vel tanquam reliquis potiores nobis exponant. Etenim vtrunque ignorare mihi videntur. Siquidem manifeſtum eſt eam Reipubl. formam optimam eſſe iudicãdam quæ omnibus quas prædiximus pro-

proprietatibus conſtat. Huius quippe rei experientiam non verbis modò, ſed & opere ipſo percepimus, ex eo quod Lycurgus Lacedæmoniorum Rempublic. prius ad hunc modum conſtituit. Verùm nec illud ſentiendum eſt, quòd hæ politiæ ſolæ exiſtant. Iam enim & monarchicas quaſdam & tyrannicas politias vidimus: quæ quamuis plurimum differant a regno, ſimile tamen aliquid cum illo habere videntur: id quod & cuncti monarchæ ſimulant, & ad hoc regni nomine pro viribus vtuntur. Præterea Oligarchicæ Reſpublicæ, quæ plures extiterunt, ſimile quiddam habere videntur cum Ariſtocraticis, quæ tamen (vt ita dicam) plurimum differunt. Idem & de Democratia ſentiẽdum eſt. Quod autem verum ſit quod dicitur, ex hiſce manifeſtum redditur. Neque enim mox quælibet monarchia regnum dici debet, ſed ea duntaxat quæ voluntario ſubditorum conſenſu cõceditur, & magis pro animi ſententia, quàm timore & violentia gubernatur. Neque etiam quæuis oligarchia pro ariſtocratia reputãda eſt, niſi ea tantùm quæ ſecundũ electionem à iuſtiſſimis ac prudentiſſimis viris æqualiter adminiſtratur. Nec Democratia cenſeri debet, in qua cuncta multitudo quæcunque libet ac præſumuntur faciendi poteſtatem habet: ſed in qua & patrium eſt & conſuetum colere Deos, cum honore obſequi parentibus, ſeniores reuereri, ac legibus obedire. Quando in eiuſmodi multitudine quod pluribus probatur obtinet, tum rectè democratia vocatur.

Quapropter, ſex ſunt politiarũ dicenda genera: quorum tria decãtata ſunt omnibus, de quibus iam eſt prædictũ: tria reliqua iſtis ſunt cognata, monarchia videlicet, oligarchia & ochlocratia. Prima ex iſtis Monarchia, ſiue certa conſtitutione natura quadam conſtat. hanc conſequitur, & ex hac, intercedẽte conſtitutione, ac directione, naſcitur regnum. Vbi verò Regnum in mala cognata, tyrannidem ſcilicet, mutatur, rurſus ex horum deſtructione ariſtocratia prouenit, quæ tamen natura quadã in oligarchiã transmutatur. Cum verò multitudo iniuſticiam eorum qui præſunt ira percita vlciſcitur, naſcitur democratia. Rurſus cogente plebis contumelia & iniquitate, temporis ſucceſſu ochlocratia exurgit. De his autẽ perſpicuè cognoſci poterit, quod quæ iam dixi reuera ſic habeant, ſi quis ſingularum politiarum, ſecundum naturalem curſum & principia, & exortus, & mutationes cognouerit. Etenim quiſquis ſingulas conſiderauerit, quomodo naſcantur, is demum ſolus & incrementum & vigorem & mutationẽ pariter ac finem ſingularum conſiderare poterit, quando videlicet, & quomodo, & vbi alia in aliã deſinat.

Maximè autem Romanæ politiæ hunc diſſerendi & exponendi modum conuenire cogitaui, propterea quòd illa natura quadam inde ab initio & conſtitutionẽ ſui & incrementum accepit. Exactius itaque apud Platonẽ forſan ac nõnullos alios philoſophos, mutationes iſtæ politiarum, quibus alia deſinit in aliam, diſcernuntur ac dilucidantur: verùm quoniã variis modis ac pluribus ab illis diſſeruntur,

fit vt à paucis intelligantur. Quapropter, quatenus iſta ad vſum hiſtoriæ, communémque intellectũ conducere iudicamus, hactenus illa certis capitibus cõplecti ac percurrere conabimur. Etenim etiam ſi quid in præſenti propter vniuerſalem ac generalem declarationẽ deſiderari videbitur, abundè hoc reſarcient ea, quę in ſequentib. per partes dicentur. Itaque quę principia politiis aſſigno? & vnde illas primum conſtitiſſe dico? Quando vel propter aquarum inũdationes, vel propter peſtiferas calamitates, aut frugum ſterilitatem, aut alias eiuſmodi cauſas, humano generi pernicies eſt illata (quales etiam fuiſſe intelleximus, & in poſterum ſæpenumero futuras eſſe, rerum narratio oſtendet) tum videlicet perditis quibuſuis inſtitutis & artibus, cùm velut ex relicto ſeminario hominum rurſus multitudo temporũ progreſſu incrementum accepit, & perinde atque reliqua animãtia ſolent, quæ (vt par eſt) ſecundum generis ſui ſimilitudinem congregãtur, propter naturæ imbecillitatẽ conſociantur: neceſſarium eſt, eũ qui & robore corporis & animi fiducia reliquis eſt præſtantior, obtinere principatum & imperium: id quod & in aliis ignobiliorum animantium generibus vſuuenire cernimus (eſt hoc ipſiſſimũ cẽſendum naturæ opus) inter quæ indubitatò ea quę ſunt robuſtiora reliquis præire videmus, vtpote tauros, capros, gallos gallinaceos, & quæ his ſunt ſimilia.

Eſt itaque vero ſimile talis eſſe principatus, & ſic inſtitui vitam mortalium, qui ad animantiũ morem congregantur, & eos qui inter ipſos ſunt robuſtiſſimi ac potentiſſimi ſequuntur, quibus quidẽ principatus terminus eſt robur, quem tum rectè quis Monarchiam nominauerit. Vbi verò congregationibus iſtis temporum curſu coniuctus & conſuetudo acceſſerit, tum Regni principium naſcitur: ac tũc primum mortales de honeſto & iuſto, & conſimiliter de illis quæ hiſce ſunt contraria, cogitare incipiunt. Modus autem principij & originis iam dictarum politiarum talis eſt. Etenim quoniam cuncti mutuas coniunctiones ſecundum naturam appetunt, indeque prolis procreatio perficitur, vbi quiſquã eorum qui iam ſunt educati, & adultam ætatem conſequuti, nullam gratiam rependit, neque vices reddit illis à quibus eſt enutritus, ſed per contrarium malè illis vel dicere vel facere præſumit: manifeſtum eſt ægrè ferre hoc illos, atque offendi qui & præſentes ſunt, & conſcij curæ, ſolicitudinis, ac moleſtiarum eorum à quibus ille eſt genitus, & norunt quàm illi accuratè filios ſuos aluerint. Quoniam enim genus humanum hactenus reliquis præſtantius eſt animãtibus, quatenus ipſi ſoli con ceſſũ eſt, vt mentis ac rationis particeps exiſtat, par non eſſe liquet, vt dictã hanc corruptionem perinde atque in cæteris animantibus ſuſque déque faciant, ſed huiuſmodi factum obſeruent præſentes & improbent, futura præuidentes, ac quòd cuique ipſorum conſimilia euentura ſint colligentes. Imò ſi quando acciderit, vt is qui ſubſidium & auxilium in aduerſis conſequutus eſt à quopiam, nullam rependat ſeruatori ſuo gratiam,

ſed illi alicubi incommodare etiã conetur, liquet eos, qui id norunt, huiuſmodi factum moleſtè ferre, illoque offendi, ac primum quidẽ condolere proximo, deinde verò ad ſeipſos quoque referre quod ipſis eſt vicinum. Vnde & cogitatio quædam ſingulis ſuboritur de virtute, & conſideratione eius quod vnumquenque præſtare decet, id quod & principium & finis eſt iuſtitiæ. Rurſus conſimiliter, ſi quando quis in rebus aduerſis præ omnibus quempiam vindicauerit, ac robuſtiſſimarum contra ſe beſtiarum inſultus ſuſtinuerit ac pertulerit, par eſt, vt talis à multitudine gloriam tam beneuolentiæ quàm magiſtratus acquirat: is verò qui contraria fecerit, condemnationẽ ac detrimentum ſortiatur.

Vnde rurſus apud multos conſideratio quædam dedecoris & honeſti, ac differentiæ illorum ſubnaſcitur: quorum alterum zelum & imitationem, propterea quòd commodum eſt & vtile, alterum verò auerſationem meretur: quando qui præeſt, & maxima pollet potentia, prædictis ſecundum multorum ſententiam ſimul incumbit: ac ſubditis ea ſubminiſtrare videtur, quæ cuiuſque conditioni competunt: tum videlicet nullam amplius violentiam metuẽtes, ſed vt plurimum bene de illo ſentientes, ex animi ſententia ſeſe ſubmittunt, ac principatum illius tuentur: & ſi per omnia ſit venerandus, vnanimi ſententia vlciſcuntur, & impugnant eos qui potentatui illius inſidiantur & aduerſantur. Et hoc ſanè pacto ex Monarcha ſenſim fit Rex, quando ratio principatum ſortitur, quem antea poſſederant ferocia, & potentia. Hæc prima eſt, natura quadam, apud homines honeſti ac iuſti & iis contrariorum cogitatio & conſideratio: hoc verò regni principium & exordium. Neque enim iſtis modò, ſed & illorum poſteris principatus honorem plerunque cuſtodiunt, perſuaſi de illis qui & nati ſunt ex talibus, & ſub talibus educati, fore eos perinde atque maiores ipſorum animatos. Quod ſi aliquando accidit, vt diſpliceant ipſis priorũ Regum poſteri, inſtituunt exinde principum ac Regum electionem, non amplius ſecundum corporis vires, & animum magna audentem, ſed ſecundum voluntatis & rationis differentiam, & diuerſitatis vtrinque experimentum ex ipſis ſumunt operibus. Itaque priſca conſuetudine relicta, ij qui regno ſemel ſunt deſtinati, & eam poteſtatem conſequuti, præcipua quædam loca communiunt ac muris cingunt, regionémque regni poſſident: quorum alterum ſecuritatis gratia, alterum ad hoc faciunt, vt ſubditis quæ neceſſaria ſunt, largiter ſuppeditent. Cùm autem hiſce ſtudiis olim Reges immorarentur, nulli erant detractioni, nulli inuidias obnoxij, propterea quòd nec veſtitu admodum, nec cibo ac potu à reliquis diſcrepabant, ſed vitæ conuerſationem cæteris conformem ſeruabant, & perpetuò vnà cum multis pariformiter agebant. Poſtea verò, vbi qui principatũs per ſucceſſionem & ſecundum generis prærogatiuam conſequuti ſunt, ea iam parata habent quæ ad ſecuritatem retinendam, parata quoque quæ ad ſufficientiam & alimenta, imo ſuprà etiam, faciunt,

tum demum concupiſcentias ſuas propter rerum copiam ſectantes, principibus competere cogitant, vt præſtantius veſtiantur quàm ſubditi, præſtantiore quoque & vario ciborum apparatu & vſu fruantur, denique & vſum rei venereæ ſine vlla contradictione cum illis habeant, quæ ipſis non conueniũt: vnde & inuidia naſcitur, & offenſio, & odium accedit, & implacabilis ira: ſicque vt regnum commutetur in tyrannidem. Principium autem diſſipationis huius, & inſidiosa aduerſus principes conſpiratio, non eſt ex infimi ſubſellij hominibus, ſed ex generoſiſſimis, & iis qui animi magnitudine & confidentia valent, propterea quòd tales imperantium ſibi contumelias & inſolentiam minimè ferre poſſunt. Plebs verò duces ad reſiſtendum nacta, ſimul cum illis propter dictas iam cauſas ad hoc incumbit, vt principes reprimantur, atque ita forma Regni ac Monarchię radicitus tollitur, & rurſus Ariſtocratiæ factum principium datur. Etenim multi, vt illis qui monarchas è medio ſuſtulerunt, quaſi gratiam quandam prompto & alacri ſtudio rependant, pręſidio illorum vtuntur, & ſeipſos illis committũt. Illi verò tutelæ huius commiſſionem ex animo primùm in ſe recipientes, nihil prius ducũt eo, quod publico condicibile videtur: ſed cuncta tam priuatam quàm publicam plebis vtilitatem concernentia, ſingulari prouidentia & diligẽtia obeunt. Cùm autem eandem poteſtatem à parentibus ſuis accipiunt filij, ſuntque tam rerum adflictarum quàm politicę æqualitatis ac libertatis inexperti: iuxta verò inde ab initio in poteſtatis functione quam patres ipſorũ geſſerunt, ac prærogatiuis educati, alij ad auaritiam & iniquum pecuniæ ſtudium, alij ad ebrietatem, & quæ hanc comitantur immoderata conuiuia, alij ad mulierum conſtuprationem, ac puerorum rapinas degenerant, atque ita Ariſtocratiam in Oligarchiam commutant: ac cõfeſtim conſimilia illis, de quibus antea diximus, in plebe deſignant. vnde & finẽ ac cataſtrophen conſequuntur, conformem infortunio, quod accidit tyrannis. Etenim ſicubi inuidiam quis & odium obſeruat, quod ciues aduerſum illos alunt, ideóque & dicere aliquid & facere contra præſidentes audet, vniuerſam ſtatim plebem paratã, & inſtituti ſui conſortem & adiutricem accipit. Deinde cum illis occiſis, neque Regem ſibi præficere, ſuperiorum adhuc iniuſticiã veriti, neque pluribus Rempublicam committere audent: quód priorũ ignauiæ recentia adhuc ſuperſint veſtigia, ſola autem ſincera ſpes, quæ in ipſis eſt, reliqua ſit, ad hanc feruntur, & ex oligarchica politia democraticam conſtituunt, & Reipublicæ prouidentiam ac fidem in ſeipſos recipiunt. & interea quidẽ nõnulli ſeruantur, qui supereminẽtiæ ac potentatus experientiã cœperunt. Hi præſenti Reipublicæ ſtatu delectati, æqualitatem ac libertatem plurimi faciunt. Poſtea verò, vbi iuniores ſucceſſerunt ac ne potibus denuò tradita eſt democratia, illi æqualitatem ac libertatem non amplius propter conſuetudinem magni facientes, reliquos excellere ſtudent: quò potiſſimum prolabuntur ij, qui opibus ſupereminent.

minent. Deinde cùm principatum ambiunt nec poſſunt illum per ſe ipſos,ac propria virtute conſequi, incipiunt opes prodigere,ac plebẽ quouis modo ineſcando corrumpere,ac perdere. Hinc multis ſemel largitione propter ignauã munerum auiditatem corruptis, tum rurſus democratia deſtruitur,& in violentiam,ac ſeditioſum politiæ ſtatum conuertitur. Plebs ſiquidẽ vbi alienis veſci, & ſpem ex bonis proximorum viuendi habere conſueuit, accepto duce magnanimo & audaci, qui propter rerum inopiam ad honores Reipublicæ legitimè quidem aſpirare nequeat, ſeditionem excitat: & in vnum collecta,ad cędendum,profligandum, ac terram inter ſe partiendum ac populandum proruit, donec poſita feritate rurſus dominum inuenerit & Monarcham. Hæc eſt illa politiarum reuolutio, hæc naturæ œconomia, ſecundum quam Reipublicæ ſtatus mutatur & transfertur,ac rurſus in idem reuoluitur. *Polyb.hiſt.l.6.*

RETROCESSIO *prudens.*

Nullum dedecus eſt retrocedere,& obſidionem ad tempus relinquere, cùm eius cauſa prudentia eſt, non autem metus, cùm ne res certæ in diſcrimen coniiciantur, cùm propinquus belli finis cunctis mortalibus conſilij maturitatem ſit oſtenſurus. *Fr. Guicciardin.hiſtor. lib. 15.*

REX.

Ipſi ſe homines in regis, velut vnici exempli,mores formãt. *Liu. Decad.1.l.1.*

Exiſtimo regem armis, quàm munificentia,vinci,minus flagitioſum.*Salluſt.de bel.Iugurt.*

Longè præſtat iuſto ſeruire regi,quàm tyranno iniqua imperanti.*Procop.de bel.Vandal.l.1.*

Non ex purpura, ſeu quouis amiculo, & extrinſecus quæ viſuntur aliis ornamentis, regium nomen eſt cuiquam tribuendum: ſed ei qui æquitatem exerceat, nec decentia aſpernetur, & cupiditates his ſolùm rebus emetiatur,quæ animi ſtabiliunt ſapientiam. *Agath. hiſt.lib.4.*

Regem eſſe, à fortuna plerũque datur:verùm eum regem eſſe, qui ſalutem ac felicitatem ſuorum ciuium, quaſi vnicum regnandi finem,rebus omnibus anteponat,id ab ipſo tantùm atque à propria virtute proficiſcitur.*F.Guicciardin.hiſtor.l.1.*

Vide princeps.

REX *bellicoſus.*

Nulla quies ab armis datur à bellicoſo rege,ſalubriora credente iuuenum corpora eſſe militiæ quàm domi.*Liu.Decad.1.l.1.*

REX *clemens.*

Regis boni officium, manſuetũ eſſe,omnes adfirmant. Nam cædes ac bella facere, ciuitates diripere, agros depopulari,aliis fortè conuenit nominibus,bono nequaquã. *Procop.de bel.Perſ.l.2.*

Decet regem,omnium hominũ maximè humilibus neminem vllo modo inuadere ac violare volentibus,nequaquam reſiſtere. *Idem, ibidem.*

REX *verus.*

Nõ debet rex erga ſubditos ſuos alius quàm verax eſſe :neque quiſquam ſubditorum aliter affectus eſſe debet, quàm vt regem veracem eſſe credat. *Arrian.hiſtor.libro ſexto.*

Regis *decus.*

Vbi virtus in rege elucebit magis, quàm vbi animo ſuo imperat? ſuammet ipſius cupiditatem eruo ris hauriendi frænat, coercet, inhibet? Quis cæteris dignè imperabit, ſibi imperare neſcius? *P. Æmyl. libro 8.*

Regis *officium.*

Boni regis officium eſt vt plurimis eos bonis cumulet, qui ſub im perio ſuo conſtituti ſunt. *Xen. ora. de Ageſilai laudib.*

Regis *nobiliſſimi, paciſque ac belli artibus glorioſiſſimi deſcriptio.*

Xenophon, ſapientiſſimus ſcriptor, variis locis in inſtitutione Cyri, præcipuè verò in oratione de Ageſilao, præſtantiſſimi regis virtutes prolixè deſcribit, quas ex longiori narratione colligere, & ad certa quædam capita, Ageſilai nomine ſubiuncto, reuocare viſum eſt, vt paucis quibuſdam lineis, optanda miſeris noſtris temporibus effigies fauſta feliciáque optantibus cordatis & pacis publicæ amantibus viris, aliquatenus appareat.

Natales *regis nobiliſſimi.*

1. De Regis glorioſiſſimi nobilitate, quod vel maius vel honeſtius dici poſſit, quàm quod commemoratur quotus inter eos qui maiores ipſius appellantur fuerit: non illos certè priuatos homines, ſed reges ortos ex regibus?

Bellum *aduerſus exteros ſuſcipit neceſſ.rio.*

2. Regnum iuuenis adhuc conſequutus eſt. Longè autem pulcherrimum eſſe iudicatum eſt, quod non de communi patria Græcia, ſed de Aſia aduerſus exteros hoſtes certamen inſtitueret.

Alacriter *ſe ad expeditionem accingit.*

3. Bellum iuſtum aggreſſus hilari admodum vultu renuntiare legatos Tiſſapherni hoſti iuſſit, habere ſe màgnã ipſi gratiam, quòd periurio Deos ſibi quidem infeſtos reddidiſſet, Græcis verò belli ſocios.

Militem *conſcribit, & commeatum curat.*

4. Militibus mox imperat, ad expeditionem vti ſe accingerent; oppidis autem, ad quæ ipſum hac in expeditione venire neceſſe erat, vt in Caria venalium ſibi forũ pararent, denuntiat.

Strategemate *veteranum hoſtem eludit.*

5. Omiſſa in Cariam profectione, ſtatímque diuerſam in partem ſeſe flecten Phrygiam petit, & occurrentes in itinere copias ſecum ſumens vnà ducebat, & occupabat oppida, quódque præter expectationem irruiſſet, magnam pecuniarum vim capiebat. Atq; hoc ipſius facinus dignum eſſe viſum eſt imperatore: quod quum bellum eſſet denuntiatum, atque ex eo fas & ius eſſet dolo vti: non ſolum Tiſſaphernem puerum eſſe declaraſſet hoc dolo, ſed etiam ſingulari prudentia collocupletare amicos viſum eſſet.

Amicos *ſine reipublicæ detrimento locupletat.*

6. Quoniam magnæ opes captæ fuerant, vili omnia precio vendebantur. Ideo præmouebat amicos

eos vt multa coemerent: ſe enim celeriter exercitum ad mare dedu ćturum. Sectoribus autem mandabat, vt quanti quid amici ſui emerent, conſignarent, ſimúlque captas res ipſis traderent. Quo fa ćtum eſt, vt ipſius amici nihil ante numerantes, & commodo publico nulla re impedito, ingentes vniuerſi facultates conſequerentur.

MVLTOS *ſibi parat prudenter amicos.*

7. Præterea quum transfugæ, ita vt fit, ad eum ſe recipientes, viã ad pecunias interuertendas commonſtrare volebant: operam dabat, vt per amicos caperentur: quo illi ſimul & ditarentur, & maiore in hominum eſſent opinione. Has ob cauſas ſubitò perficiebat, vt amicitiam ipſius multi expeterent.

MANSVETVDINE *aduerſarios ad partes ſuas deducit.*

8. Quum autem intelligeret rẽgionem vaſtatam, & ad ſolitudinẽ redactam non poſſe diu copias ferre, quum cultus ager & qui ſeritur perpetuum præbeat alimentum: curam adhibebat, vt non vi tãtum aduerſarios ſubigeret, ſed etiam lenitate ſuas ad partes traduceret.

CAPTIVOS *clementer curat.*

9. Militibus ſæpenumero denuntiabat, vt captos hoſtes nõ tanquam reos plecterent ſuppliciis, ſed ſicut homines cuſtodirent.

Si qui captiui ob ſenectutem relinquerentur, imperabat vt horum etiam haberetur cura, ne vel à canibus vel lupis diſcerperẽtur. Quo fiebat, vt non tantum illi qui hæc audiebant, ſed etiam captiui beneuolo eſſent in ipſum animo.

CIVITATES *captas, item.*

10. Quaſcunque ciuitates caperet, eis adimebat ea miniſteria quæ ſerui horis ſuis præſtant, eorúmque loco imperabat, vt in illis dicto audientes eſſent, in quibus homines liberi magiſtratibus parent. Etiam oppida quædam nulla vi expugnabilia, ſuam in poteſtatem humanitate redigebat.

COPIAS *equeſtres quomodo ad bellum inſtruit.*

11. Viſum eſt ei copias quaſdam equeſtres inſtruendas eſſe, ne inter fugiendum dimicare cogeretur. Itaque ditiſſimos quoſque in iis vrbibus delegit, qui equos alerent. Prædixit etiam futurum, vt quicunque ſuppeditaret equum, arma & ſpectata virtute virum, immunis eſſet à militia. Qua re fecit, vt hæc quiſque libenter ſibi conquireret. Conſtituit item quibus ex vrbibus equites comparandi eſſent: quod exiſtimaret ex illis vrbibus quæ equos eſſent alturę, mox etiã prodituros quoſdam in re equeſtrĩ maximè animoſos.

Quin & illud admiratione dignum feciſſe videtur, quòd equitatum conſtituerit, continuò robuſtum & acerrimum.

PRÆMIA *militibus proponit.*

12. Proponebat etiam equeſtribus turmis præmia, quæcunque ex iis equitandi artem optimè teneret: itidémque pedeſtribus, quæcunque corporibus eſſet egregiè exercitis. Sic & cetratis & ſagittariis præmia proponebat; quicunque præclarè ſuis functi munerib. eſſent.

MILITEM *quibus argumentis ad ſtrenuè agendum incitat.*

13. Quum exiſtimaret contemptum hoſtium robur quoddam in animis ad pugnandum excitare: præconibus edixit, vt capti à prædonibus barbari nudi venderentur. Itaque milites,qui albos quidem eos eſſe cernerent (quod nunquam exuere ſe conſueuiſſent)ſed pingues, nulliſque laboribus exercitos(quod ſemper vehiculis veterentur) bellum non aliud fore putabãt,atque ſi prælio cum fœminis decernendum eſſet.

Prædixit etiam militibus, mox ſe eos ducturum ad opulentiſſimam regionis partem via maximè compendiaria: vt ex ea re tum corpora,tum animi ad pugnã præpararentur.

OCCASIONEM *pugnandi ſine cunctatione arripit.*

14. Animaduertẽs pedites ſuos in periculo conſtitutos, equites opem ferre iubet. Hoſtes quum viderent copias auxiliares ſummitti, colligunt ſeſe, ac vniuerſas equeſtres turmas in aciem explicatas Græcis opponunt. Ibi verò Ageſilaus ſecum ipſe cogitans, nec dum hoſtibus peditatum adeſſe, ſibi verò nihil eorum, quæ ad bellum parauerat, deeſſe: opportunè ſe facturum arbitrabatur, ſi decernere prælio cũ hoſte poſſet.

Itaque cæſis victimis rectà phalangem aduerſus inſtructos equites ducebat, mandans vt ex peditibus grauis armaturæ qui annis decem exceſſerant, ſecum in hoſtem curſu ferrentur,& iuſſis itidem cetratis curſu ſubſequi. Equitatui quoque denuntiat, vt in aciẽ aduerſam impetum faceret, ſe cum copiis vniuerſis ſubſequuturum pollicitus. Hoſtes vbi ſimul imminere omnia terribilia vidẽt, acie inclinata partim recta in flumen decidunt, partim fuga ſibi conſulunt.

HOSTILEM *regionem vaſtat, & aduerſarios prouocat ad certamen.*

15. Quum perturbari vehementer hoſtes audiſſet, quod alter in alterum eius quod acciderat culpam conferret, confeſtim Sardes(primariam vrbem) exercitum ducit. Ibi ſimul ferro & flamma quæ circum vrbem erant vaſtabat, & ſignificari per præconem iubebat, vt quicunque liberi eſſe vellent, ad ſe tanquam opitulatorem accederent. Sin qui Aſiamſibi vindicarent, ad liberandũ eos,de quibus diſceptaretur, armati adeſſent.

AMICORUM *fines intactos ſeruat.*

16. Præſtabat quoque vt amicorum fines minimè vaſtarentur, ipſe hoſtili agro ſic fruens, vt intra biennium decumam Delphico templo conſecraret, centum talentis ampliorem.

REGNI *ſui incolumitatem cæteris rebus præfert.*

17. Quum Imperator eſſet com-

compluriũm in continente ciuitatum, atque etiam inſularum, quippe cui patria claſſem quoque tradidit, iam auctus famæ celebritate ac potentia, nactus poteſtatem vtendi multis commodis, prętereà quod maximum erat, iam voluntas animo ſpéque concipiens euerſionem eius imperij, quod prius Græciam armis inuaſerat: nihilominus ab harum rerum nulla vinci ſe paſſus eſt, ſed poſtquam veniſſet ad eum nuntius à patriæ magiſtratibus, qui eum opitulari patriæ iuberet, parebat Reipublicæ, perinde ac ſi tum fortè ſolus Ephororũ in curia propter Quinqueuiros cõſtitiſſet. Quo facto inſigniter declarauit, nõ ſe vniuerſam terram patriæ, nec aduentitios amicos veteribus, nec turpia lucra nullo eum periculo coniuncta honeſtis ac iuſtis, quæ periculum habent, anteferre.

CONCORDIAM *inter ciuitates diſſidentes procurat.*

18. Quî non etiam hoc regis laude digni facinus ſit, quod imperij ſui tempore quum ciuitates omnes, quibus præfuturus domo nauigauerat, inteſtinis diſſidiis laborantes accepiſſet, quòd eſſent mutatæ reſpublicæ, poſteaquam ademptum Athenienſibus imperium fuerat: perfecerit vt abſque exſiliis & cædibus (quàm quidem diu aderat ipſe) magna cum animorum concordia perpetuò adminiſtrarentur, & felices eſſent.

EXERCITVM *è longinqua regione, ſuperatis quibuſcunque impedimentis, incolumem reducit.*

19. Poſteaquam Macedonia peragrata Theſſaliam ingreſſus, ſequentes eum à tergo Lariſſæi, Crannonij, Scotuſæi, Pharſalij, Bœotorum ſocij, omnéſque adeo Theſſali, agmen extremum carpebant. Ducebat antehac Ageſilaus copias quadrato agmine, quum partem equitum dimidiam à fronte, dimidiam à tergo haberet. Tunc verò partem eorum qui primo erant in agmine, itémque illorum quos penes ſe habebat, ad agmen vltimum mittit. Quumque acies eſſent vtrinque inſtructæ, Theſſali non ſatis commodè ſe equeſtri prælio congreſſuros cum grauis armaturæ peditibus arbitrati, terga dabant, ac pedetentim diſcedebant, Græcis eos imprudenter admodum perſequentibus. Ageſilaus erratis vtrorumque animaduerſis, equites quos ſecum habebat robuſtos admodum mittit, vtque tum ipſi hoſtem ſummo perſequerentur impetu, nec conuertendi ſe poteſtatem ei facerent, tum aliis idem denunciarent, mandat. Eos quum præter opinionem equos adigere vellent Theſſali, planè ſe non conuertebant, ac ſi qui id facere conati fuiſſent, ab equitibus, quos tranſuerſos habebant intercipiebantur.

INCVNCTANTER *manus conſerit cum hoſtibus incurrentibus.*

20. Quũ perueniſſet ad Bœotorũ fines, & in acie ſtantes aduerſus ſe

reperiſſet Thebanos, Athenienſes, Corinthios, &c. nihil cunctatus vt pugnam committeret apertè ſtruebat aciem.

QVOMODO *ſuos ad certamen accendit.*

21. Sic armis inſtruebat ſuos milites, vt omnia quæ gererent æs ac purpura viderentur.

Dederat itidem operam, vt poſſent labores perferre, animóſque ipſorum ea compleuerat ferocia, vt ad pugnandũ aduerſus quoſuis ſatis eſſent idonei.

Præterea contẽtionem mutuam inter ſuos excitabat, vt ſinguli ſe fortiſſimos declararent.

Spe denique replebat omnes, futurum vt vniuerſi multa bona adipiſcerentur, ſi viros ſe fortes præſtarent. Exiſtimabat enim hujuſmodi munitum hominibus promptiſſimè hoſtem ſe debellare poſſe, quæ ſanè opinio ipſum minimè fefellit.

MAGNANIMVS *in prælio.*

22. In pugna ad Coroneam fortem virum fuiſſe Ageſilaum haud dubiè dicere poſſumus, quanquam tutiſſima non eligeret. Nam quum dimiſſis illis qui elabi conabantur, ſequi à tergo poſſet, & vltimos capere, non fecit: ſed aduerſa fronte cum Thebanis eſt congreſſus, quos vicit & fuſos fugauit.

CLEMENS *in hoſtes victos.*

23. Victoria quum eſſet potitus, & accepto vulnere ad phalangem allatus, quidam equites ei renunciant 80. hoſtes vna cum armis eſſe ſub fano, quidque de his faciẽdum eſſet interrogabant. Ille verò quanquam multa accepiſſet vulnera toto paſſim corpore, atque ab omni telorum genere inflicta, non tamen Numinis obliuiſcebatur, ſed mandabat vti poteſtatem eis facerent abeundi quò vellent, neque lædi eos patiebatur. Quin equitibus etiam, quos penes ſe habebat, imperabat vt eos deducerent, donec ad loca tuta perueniſſent.

VIRTVTES EIVSDEM.

I. RELIGIOSA *pietas.*

24. Tanta erat in eo rerum diuinarum reuerentia, vt & hoſtes eius promiſſa & fœdera maiorem fidem mereri arbitrarentur, quàm ipſorum inter ſe amicitiam.

Spithridates Perſa, quum Pharnabazum ſciret id agere, vt filiam regis vxorem duceret, ac ipſius filia ſine legitimis nuptiis potiretur: ratus hoc inſignem eſſe contumeliam, ſe ipſum cum vxore, liberis, facultatibus in manus Ageſilao tradidit.

Cotys Paphlagonum præfectus, regi quidem dextram mittẽti non paruit, veritus ne ſi comprehẽderetur, vel magnis pecuniis, vel etiam morte multaretur: verùm idẽ Ageſilai fœderibus fidẽ quam adhibuiſſet, in caſtra eius venit, initáque ſocietate cum Ageſilao militare maluit, quum quidem equites mille, bis mille cetratos haberet.

Pharnabazus quoque cum Ageſilao in colloquium venit apertéq; profeſſus eſt, ſe, ni totius militiæ Perſicæ fieret imperator, defectu-

ctorum à rege. Sin imperator creer, inquit, mi Ageſilae, fortiſſimè bellum aduerſus te geram, quàm quidem diu potero. Atque hæc quum diceret futurum credebat vt ipſi contra fœdera nihil accideret. Tanta támque præclara res eſt quum in aliis vniuerſis, tum in imperatore, religioſum eſſe ac fidei ſeruantem, talémque cognitum eſſe.

2. IVSTITIA.

25. Iuſtitię Ageſilai in re pecuniaria, hæc ſunt argumenta.

Nemo vnquam ab Ageſilao ſe vlla re ſpoliatum eſſe queſtus eſt: quum multi multa faterentur ab eo ſe accepiſſe beneficia. Cui verò volupe eſt ſua ad hominum vtilitatem largiri, quinam is aliena rapere velit, quo malè audiat? Nam ſi pecuniarum cupidus ſit, multò minori fit cum negotio, vt ſua quis ſeruet, quàm vt aliena rapiat. At qui ingratus eſſe non vult in iis quibus pœnæ nullæ conſtitutæ ſunt, ſi quis gratiam non referat: quî in aliis ille gratias non referat, in quibus lex ingratum eſſe vetat? Ageſilaus autem non tantum iniuſtum eſſe iudicabat, non referre gratias ſed hoc etiam, ſi is qui plus poſſet, non maiores quoque gratias referret.

Iam de peculatu quî poſſit aliquis eum inſimulare meritò qui gratias ſibi debitas patriæ fruendas conceſſerit? Itidem quod quum bene mereri vel de vrbe aliqua, vel amicis, pecunias largiendo volebat, ab aliis eas accipiendo prodeſſe poterat: an non hoc eſt ingens argumentum continentiæ ipſius circa pecunias? Nam ſi vendebat gratias, vel ſpe mercedis beneficus erat: nemo ſe quidquam ei debere ſtatuebat. Nimirum qui gratis beneficium acceperunt, illi perlubenter benefactori ſeruiunt: partim quòd adfecti ſint beneficio, partim quod eſſe digni crediti ſint, qui gratiæ depoſitum cuſtodiant.

Iam qui minus habere malebat, vt ingenuus eſſet, quam plus cum iniuſtitiæ nota: quî non ille à turpis lucri cupiditate multò magis abhorreret? Ageſilaus certè, quum ciuitatis iudicio facultates Agidis omnes ipſi eſſent addictæ, ſemiſſem earum cum matris ſuæ propinquis communicauit, quòd eos premi paupertate videret. Id verum eſſe teſtis vniuerſa Lacedæmoniorum eſt ciuitas. Quum verò dona ei complura Tithrauſtes offerret, ſi ſuis finibus excederet: Exiſtimatur apud nos, inquit, honeſtius imperatori eſſe, Tithrauſta, exercitum ſuum ditare, quàm ſeipſum: & ab hoſtibus manubias potius, quàm dona accipere.

3. TEMPERANTIA.

26. A quánam earum voluptatum, quibus multi ſuccumbunt homines, Ageſilaum quis ſuperatum vidit? qui ab ebrietate perinde putabat abſtinendum, atque ab ingluuie, ab intempeſtiuis cibis perinde atque ab otio. Quoties portionem duplicem in conuiuiis accipiebat, non vtraque veſcebatur: ſed iis hinc inde miſſis, neutram ſibi reliquam faciebat. Exiſtimabat enim regi eam duplicari, non cauſa ſatietatis eum faſtidio coniunctæ: ſed vt ea poſſet quem vellet honorare. Itidem ſomno non vt Domino, ſed eo qui negotiis ipſius pareret, vtebatur.

4. TOLERANTIA.

27. Quòd ſi lectum inter familiares viliſſimum non haberet, non obſcurum erat ipſum pudore adfici. Exiſtimabat enim imperatorem decere potius, vt tolerantia quàm mollitie priuatis hominibus præſtet. Non tamen eum pudebat in his rebus maiorē ſibi partem poſcere, nimirum per æſtatem, ſolis, per hyemem, frigoris. Quòd ſi quando vſuueniret, vt laborandum exercitui eſſet, ſponte ſua cum aliis laborabat, quòd arbitraretur eiuſmodi omnia militibus eſſe ſolatio. Denique, ſummatim vt dicam, inter laborandum quidem exſultabat Ageſilaus, otium verò prorſus nullum admittebat.

5. CONTINENTIA.

28. De ipſius in venereis rebus continentia, ſi non alia, ſaltem admirationis cauſa, mentio iniicienda eſt. Nam quod ab iis quæ non expeteret abſtinuerit, id humanitus factum quis dicere poterit.

Quod autem Megabaten Spithridatæ F. amans, quum recepto apud Perſas more oſculandi eos quos in honore haberent, etiam Megabates Ageſilaum oſculari aggrederetur, quominus id fieret totis viribus repugnauerit: an non id inſanè pudicum quoddam facinus eſt? Poſtea quum Megabates, quaſi qui ſe ignominia putaret adfectum, non iam deinceps amplius eum oſculari aggrederetur: quendam ex ſociis compellabat Ageſilaus, qui Megabatæ perſuaderet, vt rurſum ſe honore adficeret. Eo quærente, ſi pareret Megabates, an ipſum oſculaturus eſſet, tum verò ſubticuit Ageſilaus, ac deinde, Minimè, inquit, non ſi ſubitò & venuſtiſſimus, & robuſtiſſimus, & celerrimus omnium hominum ſim futurus. Sed tamē eandem pugnam pugnare me malle Deos omnes teſtor, quàm omnia quæ cerno, aurea fieri.

Hæc quoſdam admittere non ignoro: ſcire autem me arbitror, multò plures poſſe in vincendis hoſtibus quàm in eiuſmodi rebus ſuperiores euadere. Quum autem pauci hæc habeant cognita, fieri poteſt vt fidem apud multos non inueniant. Id verò ſcimus omnes, quòd quum minimè occultum eſſe poſſit quidquid homines illuſtriſſimi agunt: Ageſilaum tamen huiuſmodi quid deſignaſſe, nemo vnquam vel viderit, vel dixerit, ac ne probabiliter quidem dicere viſus ſit, ſi ex coniecturis iudicet. Nam iter faciens, nullam in domum priuatim diuertebat, ſed ſemper vel in fanum aliquod, vbi fieri non poteſt vt eiuſmodi patrentur, vel in propatulo, quò ſuæ pudicitiæ teſtes omniū oculos faceret. Quòd ſi hæc ego coram Græcia ſciente mentior, non iam ipſum laudo, ſed meipſum vitupero.

6. FORTITVDO.

29. Fortitudinis documēta non obſcura mihi quidem dediſſe videtur, quum ſemper ad gerendum aduerſus hoſtes reipublicæ ſuæ ac Græciæ potentiſſimos bellum ſe obtulerit, & in prœliis aduerſus eos prima ſe in acie collocarit. Quòd ſi hoſtes manum cum eo conſerere vellent, non ipſis metu terga coactis dare, potitus eſt victoria:

ſed

ſed aduerſo prælio ſuperatis tropæum excitauit, immortalia ſuæ virtutis monuméta relinquẽs, atque ipſe adferens indicia non obſcura, quòd animoſè pugnaret: vt adeo non audiendo, ſed intuendo liceret animum ipſius explorare. Ageſilai verò tropæa non ea ſolùm eſſe, quæ ipſe ſtatuit, putari æquum eſt: ſed quæcunque in expeditionibus ab eo geſta ſunt. Nam propterea nihilo vincebat minus, quòd prælio decernere hoſtes aduerſus eum nollent: ſed victoria potiebatur magis experte periculi, & quum Reipublicæ tum ſociis vtiliore. Sicut in certaminibus nihilominus ij, qui ſine puluere, quàm qui pugnando vincunt, coronantur.

7. SAPIENTIA.

30. Sapientiam Ageſilai quæ illius actiones non demonſtrant? qui ſic vtebatur patria, vt quum in primis beneuolo eſſet in eos ſocios animo, qui ipſi obſequerentur, amicos promptiſſimos ſibi compararet: milites autem non modò dicto audientes, ſed etiam ſui amantiſſimos efficit. Et quonam pacto phalanx eſſe firmior poſſit, quàm ſi propter obediendi ſtudium in officio ſeſe contineat, & propter amorem erga ducem fideliter ei præſto ſit?

Hoſtes erga ipſum erant ſic affecti, vt vituperare quidem ipſum non poſſent, odiſſe verò cogerentur. Semper enim hoc moliebatur, vt ſui ſocij meliore eſſent conditione quàm hoſtes: quos quidem fraude circumueniebat, vbi ferret occaſio: & anteuertebat, ſi celeritate foret opus: deliteſcens etiam vbi hoc ex vſu foret. Denique aduerſus hoſtes inſtituebat omnia illis contraria, quæ amicis præſtaret. Nam nocte perinde ac die vtebatur, die perinde vt nocte: nonnunquam euaneſcens, vt vbi eſſet, quo iret, quid faceret, non conſtaret. Quare perficiebat, vt ex munitis hoſtium locis, non munita redderet, partim prætereundo, partim ſuperando, partim tranſeundo furtim.

Quoties iter faceret, & ſciret hoſtibus pugnandi poteſtatem eſſe, ſi vellent: ita inſtructas ducebat copias, vt ſibi ipſi poſſet in primis opitulari, & tranquillè, inſtar modeſtiſſimæ virginis, incederet. Exiſtimabat enim in hoc ſitam eſſe quietem exercitus, & ſummam immunitatem ab omni terrore, perturbatione, peccatis, inſidiis. Quare, dum ita ſeſe gereret, hoſtibus erat formidini, & amicis fiduciam animíque robur addebat. Quo factum, vt hoſtibus nunquam eſſet contemptui, ab ciuibus non multaretur, ab amicis non vituperaretur: denique ab hominibus vniuerſis plurimùm diligeretur & prædicaretur.

8. AMOR *erga patriam.*

31. Quàm patriæ fuerit ſtudioſius, ſingillatim perſcribere lõgum fuerit. Nam nihil ab eo geſtum arbitror, quod eò non ſpectet. Atque vt breuiter dicam, ſcimus omnes Ageſilaum, vbicunque ſe profuturum patriæ putaret, non labores ſubterfugiſſe, non recuſaſſe pericula, non pepercisse facultatibus, non corporis, non ſenectutis vſum excuſatione fuiſſe. Immo boni re-

gis eſſe putabat, quamplurimis beneficiis ſubditos adficere.

Atque equidem in maximis commodis quæ attulit patriæ, hoc etiã pono : quòd quum in Republica plurimum poſſet, maximè tamen ſe legibus ſeruire declararet. Nam quis tandem obedire his noluiſſet, quum eis regem dicto audientem eſſe videret? quis nouas res moliri tentaſſet, propterea quod ipſe deteriori eſſet loco, quum regem pati ſciret, vt ſibi legitimè imperaretur? qui quidem etiam in illos qui ab eo diſſentiebant in Republica, non aliter ſe gerebat, atque pater erga filios conſueuit. Nam ſi quid deliquiſſent, obiurgabat, honore proſequebatur, ſi præclarè quid geſſiſſent: ferebat auxilium, ſi qua accidiſſet calamitas: hoſtis loco ciuem nullum habebat; collaudare cupiebat omnes, ſeruari omnes lucrum eſſe ducebat, contráque iacturam, ſi quis etiam non magni pretij homo periiſſet. Quòd ſi ſui pacatè in legibus perſiſterent, non obſcurè præ ſe ferebat, exiſtimare ſe patriam ſeper beatam fore eaudem tum fore potentem, ſi Græci frugi eſſent.

Iam ſi præclarum eſt, Græcum hominem Græci nominis eſſe ſtudioſum, quiſnam alium imperatorem vidit, qui vel vrbẽ capere nollet, ſi eam ſe vaſtaturum putaret, vel pro calamitate duceret, in bello quod cum Græcis gereretur, potiri victoria? Quum nuncium accepiſſet in pugna apud Corinthum Lacedæmoniorum octo, hoſtium verò decem millia fermè periiſſe, nulla lætitiæ ſignificatione data, Heu (inquit) Græcia, quandoquidem hi qui nunc interempti ſunt, viui barbaros omnes prælio vincere potuiſſent. Idem quam exſules Corinthij dicerent vrbem deditionem facturam, ac machinas oſtenderent, quibus mœnia ſe occupaturos ſperabant omnes : copias tamen admouere noluit, quòd diceret Græci nominis vrbes in ſeruitutem minimè redigendas eſſe, ſed caſtigandas. Quod ſi delinquentes, ait, è medio noſtrûm tollere volemus, cauendum eſt, ne quo barbaros ſuperemus, non habeamus.

Rurſus ſi præclarum eſt hoſtes commuues Perſas odio proſequi, propterea quod is, qui olim vixit, Rex Perſicus, exercitum in Græciam duxit, vt eam in ſeruitutem redigeret: & qui nunc rerum potitur, auxilium fert iis quibuſcum coniunctus maius ſe damnum illaturum exiſtimat: munera dat illis, quos putat eis acceptis, Græcos maximo detrimento adfecturos: pax vt cõſtituatur adiuuat, ex qua noſmet inter nos maximè bellum geſturos cẽſet: an quis alius vnquam, excepto Ageſilao, in hoc incubuit, vt vel aliqua natio regis illius à fide diſcederet, vel quæ defeciſſet non periret, vel omnino vt rex malis preſſus Græcis negotium facessere non poſſet? Idem patria ſuâ bellum aduerſus Græcos gerente, nihilominus publicum Græciæ commodum non neglexit, ſed cum claſſe domum profectus eſt, barbarum illum pro ſuis viribus malè multaturus.

9. COMITAS & morum amabilitas.

31. Eſt etiam operæpretium comita-

mitatem ipſius ſilentio non præterire, qui quum honore, potentia, regno eóque ſine inſidiis, omnium cum amore potiretur, à nemine ob noxius eſſe iactantiæ viſus eſt, quũ eum ſuorum amantiſſimum, & in amicis colendis ſtudioſum eſſe, quiuis, vel aliud agens animaduertere poſſet. Perlubenter amatores ſermones ſecum communicari ferebat, atque etiam amicis operam dabat ſicubi opus eſſet. Et quia bona ſpe plenus erat, alacriſque & hilari animo efficiebat vt multi eum familiariter conuenirẽt, non tantum vt aliquid impetrarent, ſed vti iucundius diem exigerent. Præterea quum longiſſimè abeſſet à iactantia, nihilominus haud grauatim audiebat eos, qui ſeipſos prædicarent, quòd eos nemini damno eſſe putaret, potiúſque polliceri, ſe viros fortes futuros.

10. MAGNIFICENTIA.

33. Ne id quidem omittendum, quàm opportunè magnificẽtia qua dam animi vteretur. Nam quum à rege Perſarum ei litteræ redderẽtur, quas de neceſſitudine hoſpitij & amicitia regis perſcriptas Perſa quidam attulerat, minimè illas accepit: ſed eum à quo illatæ fuerant, renuntiare iuſſit regi, non eſſe quãobrem priuatim literas ad ſe miſſitaret: quòd ſi Spartæ ſe amicum, & Græciæ beneuolum declararet, viciſſim ſe quoque vehemẽter amicũ ei fore: ſin minus, non eſt (inquit) quòd ſe exiſtimet me amicum habiturum, etiam ſi permultas ab eo literas accipiam. Admiror hoc quoque, quod non vter eſſet opulẽtior ac pluribus imperaret, ei maiores eſſe gerendos ſpiritus exiſtimaret: ſed qui tum ipſo melior eſſet, tum melioribus imperaret.

11. PROVIDENTIA & *frugalitas.*

34. Laudo & prouidentiam ipſius, quòd quũ vtile duceret, Græciæ, quamplurimos ſatrapas à rege deficerę: neque à muneribus, neque à regis potentia victus ſit, vt hoſpitij neceſſitudinem cum ipſo contrahere vellet, ſed omni ſtudio cauerit, ne fidem iis non ſeruaret, qui ab rege deficere cogitabãt. Et quis in ipſo non hoc quoque miretur?

Exiſtimabat rex Perſicus ſe, ſi ampliſſimas pecunias haberet, omnia redacturum in poteſtatem ſuam: ideóque quidquid eſſet inter homines auri, quidquid argenti, quidquid rerum maximi pretij, totum id ad ſeſe colligere nitebatur. Ageſilaus contrà, ſic domum ſuam inſtituerat, vt horum nullo egeret.

Quòd ſi quis fidẽ nobis non habet, is velim adſpiciat, qualis ei domus ſatisfecerit, atque etiam fores intueatur. Nam ſuſpicari quis poſſit, has adhuc illas ipſas eſſe, quas Ariſtodemus Herculis F. in patriam reuerſus extruxit. Idẽ domeſticam ſupellectilem contẽpletur, quo pacto in ſacrificiis epularetur, ipſe ſecum cogitet, audiat eum Amyclas publico in Canathro (i. curru, qui crate viminibus ſalignis texta tegebatur) profectum eſſe. Enimuerò quũ hoc modo ſumptus ad cẽſus accommodaret, non cogebatur iniuſti quidquam pecuniarum cauſa facere.

Præclarum quiddam eſſe putatur, inexpugnabiles muros ab ho-

ſtibus ſuperari: verùm ego multo præclarius eſſe iudico parare animum ſuum, vt à pecuniis, voluptatibus, metu ſit inexpugnabilis.

12. SAPIENTIS & ſtulti Regis comparatio.

35. Rex Perſicus grauitatem quærebat ex eo, quod rarò conſpiceretur: Ageſilaus eo ipſo delectabatur, quòd ſemper in hominum conſpectu verſaretur. Exiſtimabat enim decere vitam facinoroſam ac turpem, vt in obſcuro ſit: honeſtæ verò, lucem ipſam maius ornamentum conciliare. Deinde grauitatem ille præ ſe ferebat ex eo, quòd difficilis ad ipſum eſſet acceſſus: hic gaudebat omnibus ad ſe aditum patere.

Putabat ille ſplẽdidum eſſe quòd negotia tardius conficeret: hic maximè tum lætabatur, quum homines id quod cupiebant celerrimè conſequutos dimitteret.

Operæpretium eſt etiam conſiderare, quanto faciliorem ac parabiliorem voluptatẽ Ageſilaus conſectaretur. Nam Perſicus rex quoſdam habet, qui terram vniuerſam circumeunt, & quo rex potu iucundè vti poſſit inueſtigant: innumeri homines quo cum voluptate veſcatur, excogitant: vt dormiat, dici nõ poteſt quàm multa moliantur. Ageſilaus verò, quod patiens laboris eſſent, quidquid aderat iucundè bibebat: quidquid oblatum fortè fuiſſet, iucundè comedebat: vt ſuauiter ſomno frueretur, quiuis ei locus ſatisfaciebat.

Atque hæc ſe facere non modò gaudebat, ſed etiam exultabat lætitia, quoties ad animum ei accederet, ſe quidem in mediis voluptatibus verſari: illum verò barbarum videret, ſi quidem abſque dolore vellet viuere, neceſſe habere, vt ab extremis terræ finibus ea comportaret, de quibus voluptatẽ capturus eſſet.

Augebant ei lætitiam & illa, quod ſe quidem ſciret abſque animi ægritudine poſſe diuina diſpoſitione vti, ſcilicet in temporum anni viciſſitudine: illum verò videret æſtus & frigora fugere, ac propter imbecillitatem animi non fortium virorum ſed debiliſſimarum beſtiarum vitam imitari.

13. EVANIDÆ gloriæ contemptus.

36. Hoc quidem certè quî non præclarum ac magnanimum erat, quod quum ipſe virilibus factis ac rebus domum ſuam ornaret, multóſque canes venaticos & equos ad bellum idoneos aleret: Cyniſcam ſororẽ vt aleret iumẽta perſuaſit, quæ curruí iungendæ forent, eáque vincente demonſtrauit, nihil facere ad ſtrenuitatẽ illa alere, ſed opum eſſe oſtentationem?

Iam verò quis neget hoc generoſitati conuenire, quod cenſuit etiam ſi à priuatis hominibus curru vinceretur, nihilo ſe clariorem fieri: at ſi patriam haberet amiciſſimam, amicos plurimos optimóſque per vniuerſum terrarum orbem comparaſſet, patriam ac familiares beneficiis aduerſarios vlciſcendo ſuperaſſet: reapſe victorem ſe pulcherrimis ac magnificentiſſimis certaminibus futurum, adeóque clariſſimum nomen non in vita ſolùm, ſed etiam à morte con-

conſequuturum.

14. VIRTVS *unicum regis ornamentum.*

37. Ob res huiuſmodi laudo Ageſilaum. Nam hæc non ita ſe habent; vt quum quis theſaurum fortè nactus, opulentior quidem eſt, non tamen adminiſtrandæ rei familiaris peritior: vel ſi morbo hoſtes inuadente victoria potiatur, felicior quidem eſſe poteſt, nihilo tamen ab arte imperatoria inſtructior. Qui ſcilicet tolerantia laborum aliis præſtat, vbi quidem res ita poſtulat: & fortitudine, vbi agendum eſt fortiter: & iudicio, quum conſilio quid ſuſcipiendum eſt: is mihi quidem videtur optimo iure vir omnino bonus eſſe putandus.

Quòd ſi egregium inuentum eſt amuſſis & regula, ad efficienda præclara opera: etiam mihi egregium exemplum Ageſilai virtus eſſe videtur iis qui fortitudinem exercere volunt. Nam quis impius fiat, ſi hominem erga Deum religioſè pium imitetur? quis iniuſtus, ſi iuſtum? quis petulans, ſi modeſtum? quis intemperans, ſi imitetur intemperantem? Ageſilaus enim non tam eo, quòd aliorum rex eſſet, quam quòd imperare ſibi poſſet gloriabatur: neque tam quòd aduerſus hoſtes, quàm quòd ad omnem virtutem ciuium ſuorum dux eſſet.

15. REX *felix.*

38. Iure quidem Ageſilaus beatus prædicetur, qui quum à puero incenſus fuerit glorioſi nominis cupiditate, ſic illud conſequutus eſt, vt quiſquam omnium ætatis ſuæ hominum. Idem quum honoris ac dignitatis à natura in primis eſſet appetens, ex quo rex factus fuit, perpetuò inuictus, extitit. Quúmque longiſſimam vitæ humanæ metam attigiſſet, ſic è viuis exceſſit, vt nihil committeret dignum reprehenſione, vel in eos quibus præerat vel aduerſus quos bellum gerebat.

16. VIRTVTVM *regiarum compendioſa deſcriptio.*

39. Libet autem virtutes Ageſilai ſummatim repetere, quo facilius noſtra laudatio memoriæ inhæreat.

Venerebatur delubra etiam inter hoſtes ſita, quod exiſtimaret diuina auxilia non minus in hoſtico, quàm amico ſolo imploranda eſſe.

Si qui diis eſſent ſupplices, eos non violabat, ne ſi hoſtes quidem eſſent: quod abſurdum eſſe duceret eos qui e fanis aliquid furto ſubtrahunt ſacrilegos appellare: qui autem ſupplices ab aris auellant religioſos putare.

Nunquam prædicare deſinebat, quòd Deos arbitraretur non minus religioſis factis quàm caſtis ſacrificiis delectari.

Quinetiam quoties fortuna vtebatur proſpera, non homines, præ ſe contenebat, ſed Diis habebat gratias: & fiduciæ plenus plures mactabat hoſtias, quàm rebus ſuis metuens voueret.

Conſueuerat ſe, vt quoties in metu eſſet, hilaritatem præ ſe ferret: rebus contra ſecundis, mitis eſſet.

Ex amicis non eos qui plurimum

poterant, ſed qui promptiſſimi erant complectebatur.

Odio proſequebatur non eum, qui læſus ſeſe vlciſcebatur: ſed qui beneficiis adfectus ingratum ſeſe declarabat.

Erat illi voluptati turpis quidẽ lucri auidos pauperes videre, iuſtos autem collocupletare: quòd iniuſtitia cuperet fructuoſiorẽ iuſtitiam facere.

Adſuefaciebat ſe, vt cum omnis generis hominibus commercium haberet, bonorũm autẽ opera vteretur.

Quod ſi quos aliquando vel vituperantes vel laudantes alios audiret: exiſtimabat non minus illorum ſe mores agnoſcere, qui ea proferebant, quàm eorum de quibus dicerent.

Quoties ab amicis circumueniretur, non vituperabat: qui autẽ ab hoſtibus deciperentur, eos maximopere reprehendebat.

Diffidentes fallere, ſapiẽtiæ tribuebat: at credentes iudicabat eſſe impium.

Si ab iis laudaretur qui vellẽt etiam vituperare quæ diſplicerent, gaudebat: neque cuiquam illorum, qui in dicendo libertate vterẽtur infeſtus erat, ab iis tanquam ab inſidiis ſibi cauens qui mẽtem ſuam aſtutè celarent.

Delatores maiore perſequebatur odio quàm fures: quod maius eſſe detrimentum duceret amicis quàm facultatibus ſpoliari.

Priuatorum hominum errata miti animo ferebat, magiſtratuum verò magni eſſe momenti cenſebat: quòd illos quidem exigua, hos magna tractare iudicaret.

Regno haudquaquam ignauiam, ſed ſtrenuitatem conuenire putabat.

A corporis imagine ſtatuenda ſibi abſtinebat, multis in hoc ei gratificari volentibus. animi verò monumenta nunquam elaborare deſinebat. Arbitrabatur enim illud ſtatuarij, hoc ſui muneris eſſe, rurſus illud opulentorum, hoc bonorum.

Facultatibus non iuſtè tantùm, ſed etiam liberaliter vtebatur: quòd homini iuſto ſatis eſſe duceret ab alienis abſtinere: liberalem putaret etiàm ſua debere ad hominum conferre vtilitatem.

Semper religioſus erat, & honeſtè viuentes nondum felices, ſed qui glorioſè mortem oppetiiſſent, eos iam beatos eſſe exiſtimabat.

Maiorem eſſe calamitatem putabat, ſcientem quàm inſcium præclaras res negligere.

Gloriæ nullius cupiditate ducebatur, cuius quæ eſſet propria non elaboraret.

Cum paucis hominibus videbatur virtutem non tolerantiam eſſe, ſed voluptatem putare.

Laudatus certè magis gaudebat, quàm ſi pecunias comparaſſet.

Fortitudinem plærunque potius cũ conſilio quàm periculis oſtẽdebat: & re potius quàm verbis exercebat ſapientiam.

Erga amicos mitiſſimus, hoſtibus maximo terrori erat.

Quum labores egregiè toleraret, familiaribus tamen periucundè cedebat: magis actiones pulchras, quàm pulchra corpora

pora deſiderans.

Rebus ſecundis modeſtus, aduerſis ſpei plenus eſſe videbatur.

Vrbanitatem non dicteriis, ſed moribus ſtudebat aſſequi.

Animi magnitudine non cum iniuria, ſed iudicio vtebatur. Itaque ſpretis iactabundis hominibus modeſtis erat modeſtior. Etenim vili cultu corpus ornabat: ac potius in hoc erat, vt exercitus ornatus eſſet, ipſe quam pauciſſimis egeret, amicis quàm plurimum prodeſſet.

Præterea grauiſſimus erat aduerſarius, vbi verò potitus eſſet victoria leniſſimus.

Ab hoſtibus non facilè decipiebatur, ab amicis facillimè de ſententia deducebatur.

Semper hoc ſibi propoſitum habebat, vt res amicorum in tutò locaret, hoſtium labefactaret.

Cognati eum appellabant officioſum erga propinquos: qui operâ eius vtebantur, nihil recuſantem: qui aliquid officij exhibuiſſent, memorem: per iniuriam læſi, opitulatorem: in eodem periculo conſtituti, poſt Deos ſeruatorem.

Videtur idem mihi ſolus inter homines declaraſſe, corporis quidem robur ſeneſcere, ſed animi vires in fortibus viris ſenectutis expertes eſſe. Nunquam deſpondit animum quominus magnam ac præclaram gloriam expeteret. Corpus ferre animi robur poterat. Qua igitur iuuentute ipſius ſenecta non præſtabat? Quis ætate vegeta hoſtibus adeo terrori fuit, vt Ageſilaus extrema in ſenectute? Quonam ſublato, maiorem hoſtes voluptatem cæpere, quam Ageſilao, tametſi ſenex admodum mortuus ſit? Quis tantum fiduciæ ſociis præbuit, quantum Ageſilaus, vtut ad oſtium vitæ perueniſſet? Quid amici iuuenes magis deſiderarunt, quàm Ageſilaum, qui ſenex è viuis exceſſerat? Is adeo perfectè ſemper vtilis patriæ fuit, vt etiam fato functus, plurimum ea re patriæ profuerit, quod ſtudio ſuo perfecerit, vt illa perpetuo incolatur. Monumenta quidem virtutis ſuæ per vniuerſum terrarum orbem conſequutas, & ſepulturam regiã in patria nactus eſt. *Hæc Xenophon.*

RIGOR.

Salutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementiæ. *Amm. Marcell. lib. 29.*

ROBVR corporis.

Ni mio robore membrorum vigor mentis hebeſcit, quaſi abnuente natura vtriuſque boni largitionem, ne ſupra mortalem ſit felicitatem, eundem & valentiſſimum eſſe, & ſapientiſſimum. *Valer. Max. lib. 9. cap. 12.*

RVMORES.

Mouentur animi rumoribus: & magis metuunt homines illos hoſtes, qui priores audent inuadere, aut certè qui oſtendunt, ſi laceſſiti fuerint, fortiter ſe depulſuros eſſe bellum, quia illi vident ſe in pari periculo futuros eſſe. *Thucydid. lib. 6.*

Relinquendum eſt rumoribus tempus quo ſeneſcant. *Tacit. Annal. lib. 2.*

RVSTICI.

Agreſtium multitudine nihil infeſtius, nihil crudelius. *P. Iouius, hiſt. lib. 12.*

S.

Sacrilegi.

CVm diis pugnant ſacrilegi. *Curtius,li.7.*

Sævitia.

Sæuitia & æquitas nec iungi inter ſe poſſunt,nec commiſceri. *Agath.hiſt.lib.4.*

Sævitia *quibus familiaris.*

Non qui imperant in victos ſæui eſſe ſolent. Verùm ſubditi cùm inſidiantur Dominis & vincunt, tunc crudeliter ſæuire ſolent. *Thucyd.lib.5.*

Sævitia *in liberos homines non exercenda.*

Non conuenit poſt defectionem, in liberos homines ſæuire, ſed ante defectionem eos diligenter obſeruare, & ne talia ineant conſilia prouidere, poſtquam verò eos ſubegeris delictum hoc quam minimè exprobrare. *Thucydid. libro 3.*

Sævitiæ *caſtigatio.*

In hoſtes victos victori obſtinatè ſæuienti fortaſſe quiſpiam haud intempeſtiuè veterum ſapiẽtum dicta propoſuerit: vir, caue ne nimium fidas: Cognoſce teipſum: Conſidera fortunam omnium dominam. Ideo veteres Græci in victoriis bello partis curauerunt ne lapidea ſed lignea & leuia trophæa erigerentur: vt his breui tempore conſumptis, quàm celerrimè auferrentur è medio monumenta diſcordiæ.

Aduertat etiam victor, quid ſit humanarum rerum inconſtantiam imbecillitatémque contemnere: per ſæpe námque, vel minima temporis concuſſio, vel quodcunque fortunæ mutamentum faſtuoſos & inſolenter agentes repente periclitatos proculcant. *Diodor.Sicul.hiſt.lib.13.*

Salutis *cura.*

Nemo nefas putare debet ſuam ſalutem propugnare, & ictum hoſtilem anteuertere. *Nicet.in Alex. Comn.Man.filio.*

Sapiens.

Secum ipſe tantùm & cum Deo colloquitur. *G. Pachymer.hiſtor. lib.2.*

Sapientes.

Sapientium hominum eſt ſtatuere res ſecundas eſſe incertas, vt res aduerſas ſapientius ferant. *Thucyd. lib.4.*

Tales rarius labuntur, quia non tollunt animos confiſi ſucceſſibus in bello, & in rebus ſecũdis maximè deſinunt. *Ibid.*

Sapientiæ ſtudioſi neque facinus vllum, neque audaciam, neque victoriam, ſed id vnum ſpectant atque magnifaciunt, ſi quis fortuna rectè vtatur, & moderatum ſe in magnis verſantem rebus præbeat. *Plutarch.in Dione.*

Velim nobis magnam præſtantium virorum eſſe copiam: idque, ſi ita facto opus ſit, optauerim: vt quando res hæc non votis conſicitur, neque fortè fortuna hi obtingunt, ſed vt ad hoc natus quiſpiam, ita exercitatus ſit, vt in omnibus rebus proſperam fortunam expertus. (hæc verò vni viro omnia rariſſimè contingunt) neceſſe eſt ſi quis talis vir repertus fuerit, cum opus eſt à vobis omnibus vnanimi

nanimi fauore ad dignitatẽ iſtam euehi, éſtque vobis eo vel inuito vtendum. quæuis & ei qui infert & ei qui patitur eſt honeſtiſſima: dũ alter per eam ſeruatur, alter hoc modo ciues aſſerit, in quos bonus ac ciuitatis amans vir corpus vitámque ſuam promptiſſimè impẽderit. *Dion, lib 36.*

Decet ſapientes non expectare dum quis ſe hoſtem profiteatur: ſed pluris facta eius quàm verba facere, nec propter prætextum fictæ amicitiæ veros firmóſque amicos prodere. *Appian. lib. de bellis Mithrid.*

Deſipientium eſt malis præteritis continenter indoluiſſe & angi: ſapientium verò temerarios fortunæ caſus prænoſſe, & rerum viciſſitudini nihil commoueri, nec cum his ſimul, quibus priuati iam ſumus, vel futurorum ſpem amittere. *Agath. hiſt. lib. 3.*

Non omnes homines ſunt ſapientes, imò pauciſſimi ſunt qui ſapiant, & qui multum de alienis conſiliis coniicere, niſi falli velit, non tam quid ſapientem facturum veriſimile ſit, quàm quòd ſit conſilium capientis ingenium, eiúſque natura cogitare debet. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 7.*

A ſapientum conſilio vehementer abhorret, ſe multa inuidia, & rerum nimio pondere grauare. *Fr. Guicciardin. hiſtor. lib. 3.*

Ad nimij timoris remedium, cogitandum eſt, omnes humanas actiones multis periculis eſſe obnoxias: verùm homines ſapientes cognoſcere nequaquam omnia ſemper eueuire, quæ accidere poſſint: fortunæ beneficio pleraque pericula euaneſcere: multa, prudẽtia atque induſtria vitari, idcirco timiditatem cum prudentia, quod plærique rerum cùm nomina tum naturam ipſam parum attendentes faciunt, confundendam non eſſe: nec ij ſapientes ducendi, qui omnia pericula, quæ quidem dubia ſunt pro certis habentes, atque ob id omnia formidantes, ſua conſilia ſic gubernant, quaſi omnia ſint certò futura: neque enim vllo modò prudentes ſapientéſve illos habendos eſſe, qui quæ futura ſunt ſupra quàm par eſt timent: hoc nomen hancque laudem multò melius fortibus magnóque animo viris conuenire: qui pericula quidem cognoſcentes, eáque ponderantes (in quo à temerariis qui ea nec cognoſcunt nec ponderant differunt) tamen, quàm ſæpe homines nunc caſù nunc virtute è multis difficultatibus ſeſe explicent, etiam animaduertunt. *Id. eod. lib.*

SAPIENTIA.

Non efferri propter aduerſos caſus hoſtium, ſapientia eſt. *Thucyd. lib. 6.*

Ad virum aliis inſidiantem, qui aliud lingua promptum, aliud pectore clauſum habet, cauendum, magna ſapientia eſt opus, & Numinis auxilio. *Nicet. Manuel. Comn. lib. 7.*

Sapientia, ingenij indoles eſt; quam nullus efficere creare ſibi poteſt: naturæ bonum ac Dei donum eſt. *P. Æmyl. lib. 8.*

SAPIENTIÆ *humanæ vanitas.*

Multi perſuaſerunt ciuitatibus, & ij quidem qui ſapientiſſimi videbantur, aduerſus eos bellum ſuſ-

cipere, à quibus illi qui ad bellum impulſi fuerant, interempti ſunt. Multi etiam auxere multos & priuatos homines & reſpublicas, quorum amplificatio iis maxima attulit mala. Multi quoque iis quibus poterant amicis vti per mutua beneficia, quum maluiſſent ſeruis vti quàm amicis, iis ipſis dedere pœnas. Multi item non contenti partem habentes ſuauiter viuere, quum voluiſſent omnium eſſe Domini, propterea amiſerunt etiam quæ habebant. Multi quoque vbi diuitias quas maximè optabant, adepti eſſent propter illas perierunt. Et ita humana ſapientia nihilo magis nouit quod ſibi vtiliſſimum ſit deligere, quàm ſi quis de eo quod ſibi agendum ſit ſortem ducat. *Xenophon de pædia Cyri, lib.1.*

SAPIENTIÆ *vis.*

Nihil vſque adeo externis iſtis (quæ vocamus) bonis fortuna cinxit atque circumſepiit, vt philoſophiâ id orationéque libera & acri non poſſit adiri. *Plutarch. in Alcibiade.*

SATELLITES *principum.*

Nil aliud Artabano reliquum, quàm ſi qui externorum corpori cuſtodes aderant, ſuis quiſque ſedibus extorres: quis neque boni intellectus, neque mali cura, ſed mercede aluntur, miniſtri ſceleribus. *Tacit. Annal, lib.6.*

SATIETAS.

Suauitudinum omnium ſatietas eſt. *Procop. de bello Goth. lib.1.*

SCELERA.

Diu non latent ſcelera. *L. Florus, libr.3. cap.1.*

Summa ſcelera incipiuntur cum periculo, peraguntur cum præmio. *Tacit. Annal lib.12.*

Vbi mentem inuaſerint vitia, nequaquam verecundiæ externæ ſociatur: immamis datur peccandi conſuetudo, noua, & eo dulciora, affectans, atque ad extremum in ſuos agens. *Aurel. Victl. de Caſarib.*

Neque ego abnuo ea delictorum quæ graſſari immodicè cæperint, plus pæne quàm ſeuerè excidenda eſſe. *Idem, ibid.*

Nefaria miniſteria in pluribus metu curantur. *Idem, ibid.*

SCELERA *cur maniſeſtanda.*

De Caligula neſcio an decuerit memoriæ prodi, niſi fortè quia iuuat de principibus noſſe omnia, vt improbi ſaltem famæ metu talia declinent. *P. Diacon. in Calig. hiſt. lib.7.*

SCELERATI.

Inquietos, ſceleratos, mala conſilia agitantes, & poſtremò omnes quorum vita ita eſt omnibus flagitiis & vitiis dedita vt ſanari nequeant, tollendos eſſe cenſeo, non ſecus quàm eas partes corporis quibus medicina adhiberi non poteſt: cæteros verò qui propter adoleſcentiam, aut imprudentiam, aut ignorantiam, alióve caſu volentes deliquerunt, aut inuiti, eos eſſe arbitror admonendos, & propoſitis minis continendos: nonnullis quoque vtendum eſſe moderatè, quemadmodum in reliquis ſceleribus alij aliis maiore pœna afficiuntur. *Thucyd. libro 3.*

Quum dormire non poſſint, agitant eos furiæ, non conſummato modò, ſed & cogitato parricidio.

cidio. *Curtius, lib. 6.*

SCELESTVS.

Infamam vitam ſceleſtus fœdat exitu ſero & inhoneſto. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

SCELVS.

Nullum ſcelus rationem habet. *Liu. Decad. 3. lib. 8.*

SCIENTIA.

Prudentiſſimè eruditiſſimi homines ſenſiſſe mihi viſi ſunt, qui ſcripſere ſciētiam eſſe eorum quæ ſic comprehenduntur, vt conuelli ratione non poſſint: ſin aliter, inſcientiam vocari, ex qua exiſtit opinio, quæ eſt imbecilla, & cum falſo incognitóque communis. *Ar. Ferron. lib 7.*

Scelus formidoloſum eſt & virtus honorabilis. *G. Pachymer. hiſtor. lib. 3.*

SECVRITAS.

Innocentia ſecuritatem offert. *Curtius, lib. 6.*

Nemo celerius opprimitur quàm qui nihil timet, & frequentiſſimum initium calamitatis eſt ſecuritas. *Vell. Paterc. lib. 2.*

Præſtat ſecurum eſſe in quiete, quàm cum periculo in laboribus. *Procop. de bello Vandilic. lib. 1.*

SECVRITAS *ignaua.*

Sine metu eſſe, & confidere fœderibus, nec recipere alios ſocios, infirmitas eſt contra potentiores, & inimicos metu liberat. *Thucyd. lib. 1.*

SEDITIO.

Tres cauſæ ſunt propter quas homines ſeditionem aduerſus patriam & principes ſuos mouere præſumant: quando videlicet vel præſides ſuos culpant & ægrè ſuſtinent, vel rebus quæ aguntur offenduntur: vel quando ſpem rerum maiorum ac potiorum animo concipiunt. *Polyb. hiſt. lib. 11.*

Omnis ſeditio in quauis ciuitate curari poteſt, ſi diſſidiorum cauſæ collantur. *Dionyſ. Halic. lib. 6.*

Peſtilentia coorta, minacior tamen quàm pernicioſior, cogitationes hominum à foro certaminibúſque publicis ad domum curámque corporum auertit: minúſque eam damnoſam fuiſſe, quàm ſeditio futura fuerit credunt. *Liu. Decad. 1. lib. 4.*

Seditionis non remedia quàm principia maiora ſunt. *Curtius, libro 9.*

Vbi domeſtica quies ſeditionum agitata fluctibus eſt, priſcæ conſuetudinis auctoritas conuellitur: plúſque valet quod violentia cogit, quàm quod ſuadet & præcipit verecundia. *Valer. Max. lib. 3. cap. 8.*

Præcipuum peſſimorum incitamentum, bonorum mœſtitia. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

Ciuium ſeditio maximum bellū eſt. *G. Pachymer. hiſt. lib. 12.*

Populi in magiſtratum conſpirantis ſeditione nihil eſt atrocius: nempe tunc corpus à capite defectum perditionē eius per quod ſpirat meditatur. *P. Diaconus, hiſtor. lib. 1.*

In ciuitate partibus infecta, omnis quamtumuis exiguus metus, periculoſiſſimus eſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 1.*

SEDITIO *militaris.*

Exercitus plerunque contemplatus frequentiam ſuam à diſciplina deſciſcit, & quod agere ſe putat poſſe, rogare non ſuſtinet. Seditio autē

bell. Vandilic. libr. 2.

Inteſtinæ ſeditiones continuò ex nimia felicitate naſcuntur. *P. Iouius, hiſt. l. 1.*

SEDITIONES *caſtrenſes quomodo coercendæ.*

Interdum mouet tumultum ex diuerſis locis collectus exercitus: & cùm pugnare nolit, iraſci ſe ſimulat, cur non ducatur ad bellū: quòd ij præcipuè faciunt, qui in ſedibus ocioſe delicatéque vixerunt. Nam aſperitate inſoliti laboris offenſi, quem in expeditione neceſſe eſt ſuſtinere, præterea metuentes prælium, qui armorum exercitia declinant, ad eiuſmodi præcipitantur audaciam. Cui vulneri multiplex medicina conſueuit opponi, vt dum adhuc ſeparati ſunt, & in ſedibus ſuis, tribunorum vel vicariorum, necnon etiam principū ad omnē diſciplinā arctiſſima ſeueritate teneātur, nihilq; aliud niſi deuotionē moderationēq; cuſtodiant. Campi curſionē (vt ipſi appellant) inſpectionémque armorum aſſiduè faciant, nullis commeatibus vacent. Ad nomen, ad ſigna obſeruare non deſinant. Ad ſagittas iaciendas, ad miſſilia dirigēda, ad iactandos lapides vel funda vel manu, ad armaturæ geſtum, ad vectes iactandos, pro ſimilitudine gladiorum, punctim, cæſimque feriendo, multo die, vſque ad ſudorem, ſunt frequentiſſimè detinendi, &c.

Ita exercitati, & eruditi in ſedibus milites, ſiue illi legionarij, ſiue auxiliares, ſiue equites fuerint, cùm ad expeditionem ex diuerſis conuenerint locis, æmulatione virtutis, prælium magis neceſſe eſt habeant optare quàm ocium. Nemo cogitat de tumultu, qui fiduciam de arte vel viribus gerit.

Dux autem debet eſſe attentus, vt in omnibus legionibus, ſiue auxiliis vel vexillationibus, à tribunis, vicariis principibúſque, ſi qui turbulenti vel ſeditioſi ſunt milites, non pro inuidia ſuggerētium, ſed pro rerum veritate cognóſcat, eóſque prudentiori conſilio ſegregatos à caſtris, ad agēdum aliquid, quod ipſis prope videatur optabile: aut ad caſtella vrbéſq; deputet muniendas, atque ſeruandas, tanta ſubtilitate, vt cùm abiiciuntur, videantur electi. Nunquam enim ad contumaciam pari conſenſu multitudo prorumpit, ſed incitantur à paucis, qui vitiorum ſcelerúmque impunitatem ſperant peccare cum plurimis.

Quòd ſi fieri medicinam neceſſitas extrema perſuaſerit, rectius eſt, more maiorum, in autores criminum vindicari, vt ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat. Laudabiliores tamen duces ſunt, quorum exercitus ad modeſtiam labor & vſus inſtituit, quàm illi, quorum milites ad obedientiam ſuppliciorum formido compellit. *Veget. l. 3 cap. 4.*

SEDITIONVM *& ſeditioſorum in ciuitatibus ciuili bello agitatis, luculenta deſcriptio.*

Græciæ vrbibus acciderunt multa atque atrocia in ſeditionibus, quæ ſolent fieri & fient ſemper donec eadem erit hominum natura, magis aut minus crudeles & variæ, vt mutationum circunſtantiæ erunt. Nam in pace & rebus ſecundis vniuerſæ ciuitates & priuati

bomines mentes habent ſaniores. Quia non cogit neceſſitas quęrere vitæ præſidia malis modis:ſed bellum copiam quotidiani victus ſubtrahens,violentus magiſter eſt, & ad præſentes occaſiones multorũ impetus incitat. Itaque ciuitates ſeditionum plenæ erant, & poſteriora,cùm prius facta audirentur, ſuperabant illa nouitate conſiliorum, cùm in excogitandis artibus opprimendi alios, tum in pœnarũ crudelitate. Vſitata rerum nomina permutabantur. Prætextus cauſa, furioſa temeritas nominabatur fortitudo ſociis fidelis: conſiderata cunctatio nominabatur timiditatis excuſatio: modeſtia ignauiæ velamentum: circũſpectio in vniuerſum ſegnities dicebatur: præceps audacia,generoſitas: ex tuto velle inuadere,tergiuerſatio:accẽdens odia,fidelis:contradicens, ſuſpectus:cui inſidiæ ſucceſſerant,aſtutus, q ſibi inſidias ſtrui cẽſerat, adhuc aſtutior: qui nolebat eſſe in partibus, diſſolutor ſociorum & aduerſarios formidans: quiſquis alterum anteuertiſſet in lædendo, laudabatur: ſic etiam qui id conſilium dederat non cogitanti. Cognati minus familiares erant aliis coniuratis,quia hi promptiores videbantur ad quoſlibet impetus ſine excuſatione. Non enim coibant talia ſodalitia legitimæ vtilitatis cauſa: ſed contra leges,iniuſta cupiditate, & inter ſe, fideles erant, non iure diuino,ſed ſocietate ſcelerum: & quæ bene dicebantur ab aduerſariis recipiebant, non ingenuitate,ſed metu,cùm ipſis proderant. Gratius erat vlciſci eum qui iniuriam feciſſet,quàm nulla iniuria eſſe affectum. Iuramenta induciarũ propter præſens periculum facta valebant,quia nulla alia pręſidia erant:ſed cùm altera pars ſibi confidebat,videns aduerſarios nõ munitos eſſe,dulcius erat deceptis ſpe induciarum nocere,quàm apertè aliquid mouere: ídque dicebatur eſſe tutius, & victoria fraudulenta ſapientiæ laudem referebat. Improbi nominabantur induſtrij: boni, hebetes: quorum alterum probrum erat,alterum glorioſum. Horum omnium cauſa erat cupiditas iniuſtę potẽtię & dominationis:inde cõtẽtiones inter partes oriebãtur. Nã potẽtiores in ciuitatibus,vtrinq; honeſto nomine,alteri ſtatũ popularẽ, alteri authoritatẽ Senatoriã tribuentes,verbis quidẽ de Republica certabant:ſed reipſa tanta erat acerbitas odiorum,vt alij alios penitus delere conarentur, & in pœnis finem ſtatuebant, non iuſtitiam aut vtilitatem ciuitatis, ſed potius ſuam vtrique voluptatem, ſeu in condemnatione per iniuſta ſuffragia, ſeu in victoria vi oppreſſis aduerſariis, æmulationi & cupiditati contentionis morem gerentes. Ita neutris curæ erat pietas: ſed qui honeſto colore aliquid lucri adepti erant laudabãtur. Medij ciues ab vtraque factione perdebantur, partim quòd non tuliſſent illis aut iſtis, partim inuidia, quod hactenus fuiſſent incolumes. Adeo propter ſeditiones in vniuerſa Græcia omne genus ſcelerum extitit. Simplicitas conſiliorum, quæ maximè eſt in bonis naturis, cum riſu explodebatur: ſed diffidere inter ſeſe, obſeruare alios, & omnia ſuſpicioſè deprauare ſapientia erat. Nulla enim oratio firma neque iuramentum e-

rat

rat, quod ad reconciliationē prodeſſet. Quia enim aſtutè ratiocinabantur, nullam pacem firmam fore, proſpicere malebant ne quid paterentur, quàm aliis confidere. Ac ſtulti ſæpe erant ſuperiores, quia cùm metuerent inſidias, & timerēt fore vt aſtutè anteuerterētur, ipſi priores audacter vim inferebant. Sapientiores verò etiam ſi pericula præuidebant, tamen quia exiſtimabant non vi tentanda eſſe, quæ poſſent conſilio obtineri, imparati opprimebantur. *Thucyd.l.3.*

SEDITIOSI.

Qui in bello contra Imperatorem ſuum ſeditionem concitat, is in ſuam ipſius ſalutem ſeditioſus eſt. *Xenophon de expedit. Cyri, l.6.*

Seruilius conſul, lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti quàm frangi, putabat eùm tutius, tum facilius eſſe. *Liu. Decad.1. libr.2.*

Illis quieta mouere, magna merces videtur. *Salluſtius de coniuration. Catil.*

Miſcere cuncta, & priuata vulnera Reipublicæ malis operire ſtatuunt. *Tacit.hiſt.l.1.*

Seditioſiſſimus quiſque ignauus. *Idem, l.4.*

Non fides, non conſtantia, non gratitudo ſeditioſorum animis ineſt vlla, pœnitet eos præſentis ſemper imperij, gaudent nouis rebus, futura in expectatione habent, leuitas illorum dux eſt atque autor ad poſtrema quæque flagitia. Non illos longæ pacis otium, quæ etiā eorum qui in militia educati ſunt, relangueſcere animos facit, non partæ ſub principe laudato pluri.mæ diuitiæ, quarum comes voluptas deſidiáque eſſe conſueuit, nō belli facies ipſa, quæ eo terribilior magiſque formidoloſa apparet, quo longior pax fuit: non denique agrorum ſecuritas, ad quos relictis oppidis commigrandum eſt, aut eorum deſiderium quæ relinquenda ſunt remorantur. *Io.Iou.Pontan. hiſt.l.1.*

SEDITIOSORVM *anarchia.*

Domeſtica illa factionum dominatio triſtior eſt peregrino imperio. *Thucyd.l.4.*

SEDITIOSORVM *horrendus exitus.*

In Africa ſeditioſorum exercitus bellis fractus ad extremum tanta fame laborant, vt alij aliorum corporibus veſcerentur: numine eam vltionem dignam ſceleribus quæ in proximos patrarant inferente. *Polyb.l.1.*

SEDITIOSÓRVM *ingenium.*

Imprudentis eſt ſperare, corruptiſſimo ſeculo, tantam vulgi moderationem fore, vt qui pacem belli amore turbauerunt, bellum pacis charitate deponant. *Tacit.hiſtor. libr.2.*

SEDITIOSORVM *ſucceſſus.*

Non eſt mirandum, ſi ſeruus ſeditioſus eo domino ſit ſuperior, qui ſuum dominum, (nempe Deū) repudiet. *Zonar.in Gratian.tom.3.*

Non eſt mirandum ſi ſeruus ſeditioſus eo domino ſit ſuperior qui ſuum dominum (nempe *Deū*) repudiet, &c. *Idem, in Valentin.2.*

SENECTVS.

Ex omnibus humanis exercitiis ſenectutis certamen in precio habetur: nam & ſi gymnica exercitia pulchra ſunt, ea tamen corporum

certè ſunt: ſenectutis verò certamen animorum bonorum præbet indicium. Sed quātum corpori præſtat animus, tantum etiam animorum exercitia animorum exercitiis antecellunt. *Xenoph. de rep. & legib. Laced.*

Epicharmum, aiunt, cùm omnino eſſet ætate prouecta, cum quibuſdam æqualibus ſedentem in eō fabulationibus, & ſingulis ex illis dicētibus, alio, Mihi ſatis eſt quinque annos viuere, alio, mihi tres, tertio dicente, mihi quatuor: reſpondentem Epicharmum dixiſſe, O viri optimi, quid mutuo litigatis & contenditis de paucis diebus? Omnes enim qui cōuenimus quodam fato propinqui ſumus morti. Itaque tempus eſt nobis omnibus ocyus diſcedendi, antequā aliquod ſenile damnū experiamur. *Ælian. Var. hiſt. l. 2. c. 34.*

Miſerum eſt inſtrumentum ſenectuti recordatio crudelitatis. *Amm. Marcel. l. 29.*

SENES *iuuenum aduerſarij.*

Eſt ita natura comparatum, vt ſenes quauis in re iuuenibus aduerſentur, atque imprimis obliti ſe iuuenes aliquando fuiſſe eorum ſint affectibus oppido quam offenſi. *Pauſ. l. 7.*

SENEX.

Senex intempeſtiuius voluptati quàm rebus publicis vacat. *Plutar. in Pompeio.*

SENVM *conſilia.*

Lentiora ſunt ſenum conſilia, & omnia alia priuſquam bellum experiri malunt. *P. Iouius, hiſtor. libro primo.*

SENSVS.

Solent manum iniectantibus fatis ſenſus hominū hebetari & obtundi. *Amm. Marcell. libr. 14.*

SENSVS *malorum.*

Largitionis, prædæ, & priuati dulcedine commodi, ſenſus publicorum malorum adimitur. *Liu. Decad. 1. l. 1.*

SEPVLCHRVM *illuſtrium virorum.*

Illuſtrium virorum ſepulchrum omnis terra eſt, & monumentum eſt non tantum inſcriptio in tumulo, ſed etiam non ſcripta memoria, quæ in mentibus non in tumulis commoratur. *Thucyd. l. 2.*

SEPVLTVRA.

Ne hoſtes quidem ſepulturā inuident. *Tacit. Ann. l. 1.*

Honeſta ſepultura erit, vbicunque pro Chriſto occubuerimus. *Nicet. Manuel. Comn. l. 1.*

SERMO.

Hominis ſermonem ſimilem eſſe aulæorum Themiſtocles dicebat. Quemadmodum enim ea ſi explicentur figuras oſtendunt intextas: ſin contrahuntur & arctantur eaſdem occultant ac corrumpunt: idem & orationi vſu venit. *Plutar. in Themiſt.*

Vocis ſub tyrannide periculoſa eſt libertas. *Idem, in Arato.*

Quicunque potentioris impotens deſiderium apertè impugnat, illud magis adauget: at qui ſuaui ſermone applaudit, impetum illū animi retundit, & dum quædam pollicetur, cupidinem frenat. *Heliodor. l. 1.*

Quàm rariſſimè & iucūdè apud hominem loquendum eſt vitæ poteſtatē & necis in acie linguæ portantem. *Am. Marcel. l. 18.*

Orationem quæ nobis cordi eſt facilè comprobare ſolemus. *Zonar. in Alex. Comn. tom. 3.*

Fieri

Fieri vix poteſt, quin, quod efficaciter aſſeueratur, ambiguos reddat animos, etiam eorum qui ſe cus credere conſtitutum habent. *F. Guicciardin. hiſt. l. 1.*

SERMO *hominum inconſtantium & conſtantium.*

Video hominum leuium & incõſtantium orationem futilem ac inanem haberi, atque temerè huc illuc errare, ſine põdere vllo aut honore: contra verò quũ fidei quẽpiã ratione maximã habere cõſtiterit, eius orationẽ ſiquid rogarit nihilo minus valere quàm aliorum vim: eundem ſi quenquam ad officium reuocare velit, minando id facilius quàm alios puniendo conſequi poſſe: ac poſtremò plus proficere promittendo, quàm alios ſtatim dando. *Xenophon de expedit. Cyri, l. 7.*

SERVITVS.

Non ſolùm cauſa eſt ſeruitutis qui ipſe alios opprimit, ſed etiam qui, cùm poſſit, non defendit ſocios. *Thucyd. l. 1.*

Nihil contumelius viris ad arma natis, quàm inermes ac prope nudos ſub cuſtode & pretio coire. *Item*, Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis obliuiſcuntur. *Item*, haud facilè libertas, & domini miſcentur. *Item*, Quomodo lucem noctémque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. *Tacit. hiſt. l. 4.*

Non tam delectat libertas, quã ſeruitus offendit. *Herodianus in Pertinace.*

Quicunque vel ſeruitute, vel aliquouis dehoneſtamento obducti in aciem prodeunt, in ipſo profectò certamine, ſi ſe grauiter geſſerint, geminatam ſortiuntur felicitatem. Nam ſi victores euaſerint, à malis ſe & infortuniis vindicant: victi verò id ſolatij referunt, quòd deteriorem non vltro fortunam ſequuntur. Qui verò cùm liceat ſibi ſine belli diſcrimine liberos fieri, & alioquin ad certamen deſcendunt, firmiorem ſibi vt pariant ſeruitutem, hi proculdubio vel ſi potiti fortè victoria ſint, vel in adinodum neceſſariis rebus falluntur, & ipſo in bello longè pauciores ac ipſi vellent incolumes euadendo, cũ cæteris infortuniis, vel eo malo rẽ ſunt habituri calamitatẽ quòd bello vincũtur. *Proco. de bell. Got. l. 1.*

Quæ eſt iſta ſeruitutis neceſſitas, quâ minus quod velis, dicere liceat? *G. Pachym. hiſt. l. 1.*

In vrbe, in qua munita loca & iuris adminiſtratio in aliorum poteſtate ſunt, nulla libertatis pars cognoſcitur. *Fr. Guicciardin. hiſtor. libr. 4.*

Viri fortes emori potius liberi, quàm ſerui cum ignominia viuere, didicerunt. Et ſi per ſe indignũ eſt & miſerum, alienæ libidini ſeruire, etiam illud longè grauiſſimũ honeſtis viris videtur eorum ferre iugum, qui neque vetuſtate originis, neque bellica virtute, neque vlla in re ſibi omnino conferendi eſſe videntur. *P. Iou. hiſt. l. 3.*

SERVI.

Suſpecta maioribus noſtris fuere ingenia ſeruorum, etiam cum in agris aut domibus iiſdem naſcerẽtur, charitatémque dominorum ſtatim exciperent. Poſtquàm verò nationes in familiis habemus (dictũ Caſſij Senatoris) quibus diuerſi ritus, externa ſacra aut nulla ſũt, colluuiem iſtam non niſi metu coercueris. *Tacit. Annal. 14.*

SERVORVM *cura.*

Craſſus ipſe docendis inſtituendiſque ſeruis præerat, docens Domino maximè conuenire curam ſeruorum, qui rei domeſticæ animata ſunt inſtrumenta. Non male Craſſus, ſiquidem ita ſenſit vt dixit, reliqua à ſeruis debere, ipſos a domino gubernari. Etenim rationem familiæ adminiſtrandæ videmus cùm in tractandis rebus inanimis quæſtuaria ſit, in hominibus inſtituendis ciuilem rationem fieri. *Plutar. in Craſſo.*

SERVVS.

Seruo vtilius eſt parere dicto, quàm afferre conſilium: quum illos, qui pareāt, idem quod cæteros maneat: qui verò ſua dēt, proprium periculum. *Curt. l. 7.*

Noli inter eos ambulare, quorū potes eſſe adhuc ſeruus. Dictum Adriani. *Spartian. in Adr.*

SEVERITAS *nimia improbata.*

Non omnia gladius conficit (magnum enim bonum is fuiſſet, ſe emendare homines, ac perſuadere valeret, & ad ſuſcipiendum ſincerum amorem adigere) ſed vt corpus abolere alicuius poteſt, ita cæterorum animos à cædis autore auertit, qui non propter ſuppliciū ſumptum vindicem amare, ſed ob metum mali odiſſe ſolent. Contrà quibus delicti venia eſt donata, pœnitudine ducti benefactorem lædere in poſterum verentur, ſed ſpe conſequendi maiora præmia cum ſuis officiis colunt: videlicet qui iniuria affectus, ſalutem eam inferenti conceſſerit, eum omnes putant beneficia ſummopere compēſaturum. *Dion, l. 55.*

SIGNORVM *militarium ratio habenda.*

Multa ſunt dicenda atque obſeruanda pugnantibus: ſi quidem nulla ſit negligentiæ venia, vbi de ſalute certatur. Sed inter reliqua nihil magis ad victoriam proficit, quàm monitis obtemperare ſignorum. Nam cùm voce ſola inter præliorum tumultus regi multitudo non poſſit, & cùm pro neceſſitate rerū plura ex tempore iubenda atque facienda ſint, antiquus omnium gentium vſus inuenit, quomodo quod ſolus dux vtile iudicaſſet, per ſigna totus agnoſceret & ſequeretur exercitus.

Tria genera ſunt ſignorum, vocalia, ſemiuocalia, muta. Vocalia, quæ humana voce pronuntiantur, in vigiliis, vel in prælio, vt puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiſcū, &c. Semiuocalia, quæ per tubam, aut cornu, aut buccinam dantur. Muta, ſunt aquilæ, dracones, vexilla, &c. Sunt & alia muta ſignā, in equis, veſtimentis, manus agitatione, flagello, &c. *Veget. libro tertio, cap. 5.*

SILENTIVM.

Quæ multi ſciunt ea ne per minimum quidem temporis ſpatium tegi ſolent. *Dionyſ. Hal. l. 3.*

Qui reticet vbi reſpondendum eſt, præcipuè verò in publicis deliberationibus, aut ſuperbus, aut obnoxius videtur: quorum alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti, alterum ſuæ. *Liuius, Decad. 3, libr. 3.*

Commiſſa celare interdum non minus prodeſt quàm diſertè dicere. *Æmyl. Probus, in Epaminonda.*

Vt cera, oleum, & alia id genus flammam alunt, ita ſilentium dolorem

lorem auget. *Nicephor.Gregoras,hiſtor.libr.*8.

Interdum ſuſpicione ſilentium non caret: immo in exterorum animis varias & multiplices cogitationes excitat, eorum præſertim qui linguæ imperare neſciūt. *Idem, hiſt.l.*10.

Quàm rariſſimè & iucūdè apud hominem loquēdum eſt vitæ poteſtatem & necis in acie linguæ portantem. Ne ſit hoc mirum, homines profutura diſcernere nonnunquam & decentia, quorum mentes cognatas cœleſtibus arbitramur, animalia ratione carentia, ſalutem ſuam interdum alto tueri ſilentio ſolent. *Amm.Marcel.l.*18.

SIMPLICITAS.

Simplicitas, ac liberalitas, ni adſit modus, in exitium vertuntur. *Tacit.hiſt.l.*3.

SIMVLATIO.

Humanis ingeniis parata ſimulatio eſt. *Curt.l.*5.

Difficilè vincit ſitis eos, qui quāuis exigua aqua, ad potum tātum, in obſidione, ſunt vſi. *Veget.libr.*4. *cap.*10.

SOCIETAS *ciuilis*.

Pudore, modeſtia ac iuſtitia, omnis ciuilis ſocietas conſeruatur. *Dionyſ.Hal.l.*6.

Quicquid ex multis partibus cōſtat, ita natura comparatum eſt, vt aliqua eius pars laboret; præterea neque ſemper pars quæ in humano corpore laborat reſecanda eſt. Ita enim reliquum corpus aſpectu turpe eſſet, nec ipſa natura diutius duraret: neque etiam ciuilis ſocietatis pars ægra expellenda eſt: hoc enim pacto corporis ciuilis partibus paulatim depereūtibus totum corpus exiguo temporis ſpatio interiret. *Idem,libr. eod.*

SOCIORVM *in bello officium*.

Decet eos qui prius ſuas vires cum aliis coniunxerunt, poſtea cōmunes euentus exſpectare, non, cū à facto abfuerint, poſtea criminis ſocietatem ſuſtinere. *Thucydid.libro* 1.

SOCIVS.

Socius & amicus non is modo iure vocabitur, qui cum finitimis ad bellum gerendum fœdera iunxerit, ſed vel is quidem qui bello ſit neceſſaria viſus ſubminiſtraſſe. *Procop.de bel.Goth.l.*1.

Pertinax in quempiam ſtudiū, vel ſi plerunque forſitan fallitur, mortalium nemo, qui non omnino deſipiat, dignum ſupplicio iudicabit. *Idem,eod.l.*

SOCORDIA.

Qui ex rebus proſperè geſtis videntur retuliſſe victoriam, ſi fortè ex ea inflatiores reddantur, deperdi abolerique poſſunt facilius, quā qui inopinatè ab ea exciderint, de cætero tamen vel pauentes quidē ac dubij in hoſtes contendant. Negligentia namque atque ignauiā vel optimè conſtituta corrumpūt: labor verò cum meditatione coniunctus & cura, vel re malè geſta pluribus profuit. Siquidem qui per inertiam atque ſocordiam ad rem gerendam ſe cōferunt, viribus debilitari atque imminui ſæpe conſueuere, cura verò ac diligentia aut geri quàm maximè. *Procop.de bell. Goth.l.*2.

SOLERTIA.

Quiduis efficit ſolertia, ſi competentes non denegentur expenſę. *Veget.l.*2.*c.*18.

SOLITVDO.

A quiete,& ſolitudine abſunt tędia & offenſiones,ac præcipua rerum ibi maximè agitantur. *Tacit. Ann.l.4.*

SOMNIA.

Conſueuerunt ipſa ſomniorum viſa plerunque fruſtrari ob ea quæ quis per diem mente agitauit.*Herodot.l.7.*

Solutis corporeis nexibus, animus ſemper vigens motibus indefeſſis & cogitationibus ſubiectus & curis,quę mortalium ſollicitant mẽtes,colligit viſa nocturna,quas phantaſias nos appellamus. *Amm. Marcel.l.14.*

SOMNVS.

Viris feliciter prælio defunctis ſomno nihil dulcius eſt.*Plutarch.in Mario.*

SOPHISTÆ.

Miror eos qui Sophiſtæ vocantur,quod ſe iuuenes prouehere dicant ad virtutem eorũ multi,quos ab ea prorſus auertunt.Nam hominem nuſquam vidimus quem noſtri temporis Sophiſtæ bonum fecerint, qui ne libros quidem tradunt, ex quibus bonos euadere oporteat.Sed ab his multa de inanib. rebus conſcripta ſunt,in quibus iuuenes virtutem non reperient, ſed voluptates inanes. Atque in his quidem tempus iucũdè terunt qui fructum aliquem ex iis ſe capere poſſe ſperarunt,impediuntur autẽ ad alia vtiliora , & interim mala condiſcunt.Vitia igitur eorum maiora magis vitupero : ſcripta verò, quod verba quidem illis exquiſita ſunt,rectas autem ſententias quib. iuniores ad virtutem inſtituerẽtur, negligant.

Equidem vulgaris homo ſum, ſcio tamen optimum eſſe ab ipſa natura,id quod bonum eſt,perdiſcere: proximum,ab iis potius qui verè boni alicuius ſcientiam tenẽt, quàm ab iis qui fallendi artẽ profitentur.Itaque verbis forſitan non eleganter (nam hæc non affecto) ſed recta cupio dicere præcepta, quibus ad virtutem vtor , educati iuuenes vtantur. Neque enim verba , ſed ſententiæ, ſi honeſtæ fuerint,vitam inſtituunt.

Vituperant autem & alij multi Sophiſtas iſtos noſtri ſeculi , non philoſophos ; quòd in nominibus callidi,in rebus ipſis nulli ſint. Interim non me latet pulchrum eſſe ordine ſcribi:eritque eis facilè, tũ citò,tum quæ non rectè ſcripſi repræhendere: ſed tamen ita ſcripta ſunt vt honeſta ſint, nec ſophiſticos ſed bonos & ſapientes faciant. Neque enim hæc ipſa videri malo quàm eſſe vtilia,vt nũquam reprehendi poſſint.Sophiſtæ verò ad fallendum dicunt & ſcribunt , vt lucrum faciant , & nihil cuiquam proſunt. Nam ex his nec fuit, nec eſt ſapiens vllus: ſed habet quiſque ſatis vt ſophiſta vocetur, quod apud ſanæ mentis homines dedecus eſt.

Moneo igitur Sophiſtarum pręcepta vitanda eſſe,philoſophorum verò ſententias non aſpernandas. Nam Sophiſtæ aucupantur eos qui diuites ſunt & iuuenes:philoſophi omnibus communes ſunt& amici: fortunas autem hominum vt non obſeruant,ita neque contemnant. Nec verò probaueris illos qui lucrum temere ſequuntur,ſiue publicum ſiue priuatum,conſiderans optimus quidem ex illis,propter ea quæ bene faciunt , ſed aſſiduis laboribus

boribus, inclareſcere: malos verò & malè ſe habere, & ſuis vitiis innoteſcere: qui quũ & priuatorũ res & reipublicæ ſibi vendicent, ad communem ſalutem minus adiumenti adferunt quàm priuati, & corporibus ad bellum ignauis & indecoris ſunt, quum laborem tolerare nequeant.

At venatores & corpora & bona ſua quibus bene comparata in medium exponunt. Et hi quidem feras inuadunt, illi amicos. Inuadẽdis autem amicis & feris, illi dedecus, hi laudem apud omnes comparant. Nam ſi feras debellarint venatores, quę hoſtilia sũt vincũt, ſin minus, laudantur tamen: primum quia totius ciuitatis inimicos adoriuntur, deinde quòd nec hominis damno, nec lucri cupiditate graſſantur: poſtremò ex hoc ipſo conatu ad multa meliores & ſapiẽtiores euadunt.

Id quam ob rem, docebimus. Venatores niſi laboribus, & cogitationibus, & ſtudiis multis præſtarent, prædas nullas caperent: quippe quorum hoſtes pro vita dimicãtes, & in ſuo ipſorum domicilio magni roboris ſint. Itaque venator in caſsũ laboraret, niſi feras induſtria vehementiore ac prudẽtia multa ſuperaret. Illi ergo quũ in vrbe meliori eſſe ſupra cæteros conditione velint, meditantur vincere amicos: venatores autem, cõmunes, inimicos. Et hos quidem hæc exercitatio præſtantiores facit aduerſus alios hoſtes, illos multò deteriores: & ſua vtriſque venatio, his cum modeſtia, illis cum turpi audacia conſtat. Flagitium & quæſtũ hi contemnere poſſunt, illi non poſſunt: vocem hi gratam emittunt, illi turpem. Nihil illos ab impietate deterret: at hi religioſiſſimi ſunt. *Xenophon libr. de venat.*

SPES.

Vt plurimum ſpes maxima prębet maximam audaciam, & promptitudinem ad inuadendum. *Thucyd l.7.*

Humanus affectus eſt, memoria fortunæ priſtinæ ſperare ad eam reditum. *Appian. l. de bel. Pun.*

Nihil eſt efficacius ſpe, ad ſubleuandam hominum laſſitudinem. *Appian. l.2 de bel. ciuil.*

Diuina lenitas aliquam in aduerſis plerunque ſpem ſalutis reliquã facit. *Pauſan. l.5.*

Spem neceſſe eſt virtute & innocentia tutari: alia enim præſidia, vt vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum & affinium opes, multæ clientelæ, infirma ſunt. *Sall. de bel. Iugurt.*

Vna in audacia ſpes ſalutis. *Tacit. hiſt. l.4.*

Suus cuique animus ex conſciẽtia ſpem præbet. *Salluſt. in Fragm.*

Magnæ indolis ſignum eſt ſperare ſemper. *L. Flor. l.4. c.8.*

Non eſt omnino deſperandum quin in omni ſeculo ſemper meliora ſperare liceat, donec ipſæ hominum fortunæ fuerint; & quæ dictu factúque difficilia ac fieri poſſe minimè videntur, audentibus ſę pe ad effectum deducuntur: ita vt admiratione multa ſint digna. *Procop. de bel. Vandal. l.2.*

Omnis ſpes non eſt incertę Martis aleæ committenda. *Nicet. Manuel. Comn. l.6.*

Quod ſpei limites tranſiliit, à corde & mente facilè relinquitur. *Heliod. l.1.*

Fortuna conditionúmque ęquitas ſpem ſucceſſus ſecundi fundāt. *Amm.Marcel.l.17.*

SPES *aliorum non fallenda.*

Siquis frequenter bonorum expectationes iniiciens fefellerit, vir huiuſmodi ne tum quidem poteſt perſuadere quum ſpem veram attulerit. At quæ quis certò comperta non habet, ea ne ipſemet dicat cauere debet: & nonnunquam alij illa dicentes, idem efficere poſſint. adhortationem autē ſuam ad maxima pericula ſeruet quam maximè fide dignam opus eſt. *Xen. de pæd.Cyri,l.1.*

SPES *certa in bello, qua.*

Vbi homines religioſè pietatem colunt, & bellicis in rebus exercētur, & ſe vt dicto ſint audientes cōdocefaciunt: quî non iſtic conſentaneum ſit, optima ſpe cuncta plena eſſe? *Xen.Orat.de Ageſilao.*

SPES *humana vana.*

Spes quæ in periculis animum addit, etiam ſi aliquoties damno afficit, non tamen euertit vtentes ipſa pro viribus: ſed ab his qui omnes facultates ſimul periculo expo nūt (ſpes enim naturâ prodiga eſt) tunc primùm deprehenditur, quādo ipſi iam ſunt fruſtrati, & non concedit facultatem in poſterum cauendi, vbi quis ſemel eam cognouerit. Id vos (*Athenienſium ad Melios dictum*) qui imbecilles eſtis, & vnico momento poteſtis euertij, nolite experiri. Neque imitemini vulgus hominum, qui cùm ſuæ ſaluti humano more conſulere poſſent, poſtquam rebus aduerſis premuntur, & manifeſta ſpes eos deſtituit, ad obſcuras ſpes confugiunt, nempe ad oracula & diuinationes, & alia, quæ homines ſpe illectos in exitium pertrahunt. *Thucyd.l.5.*

Fallaces ſunt hominum ſpes, & incerta rerum futurarum iudicia. *B.Facius hiſt.l.4.*

Angliæ regis liberi tres cū tranquillo mari ex Normannia ſoluiſſent in medio curſu atroci exorta tempeſtate, naufragio periere: triſti ſuis, ſed ſalutari ad poſteros exemplo, ſpem regiæ ſimul vniuerſam, fortunæ diſcrimini ventorúmque ludibrio credendam non eſſe. *P.Æmyl.l.5.*

Plerunque hominum proprium eſt, quod ratione difficile cognoſcunt, id ſibi cupiditate & ſpe facilè fingere. *Fr.Guicciardin.hiſtor.libro quarto.*

SPERANDVM *bene apud quos.*

Vbi homines pietatem colunt, belli artes tractant, magiſtratibus obtemperant, quî non hic conuenit affatim omnia bene ſperare? *Xen.orat.de Ageſilai laudib.*

SPIRITVS.

Nihil eſt miſeris mortalibus Spiritu charius. *Curt.l.6.*

STIPENDIA.

Sublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peribunt, vt minus decora. *Tacit.Ann.l.11.*

STOICI.

Magna & vehementia ingenia ſi Stoica diſciplina imbuantur prō pti ad pericula ſubeunda, & audaces adeóque temerarij fiunt homines: ſin ea ſedato & placido ingenio cōmittatur, eius temperamēto quaſi diluta fructus optimos & cōſentaneos profert. *Plutarchus in Cleomene.*

STRATEGEMATA.

Fortitudo eſt, ſi quis robore pugnans-

gnantes hoſtes deuincit. Conſiliū verò extra prælium arte atque dolo victoriam adipiſci. Prima enim eſt egregiorū ducum ſapientia, victoriam ſine periculo comparare. Optimum verò eſt, in ipſa etiam acie quiddam machinari, vt conſilio præueniente finem prælij victoria paretur. Id mihi etiam Homerus conſulere videtur. Cùm enim ſæpenumero dicat, ſeu dolo, ſeu vi, nihil aliud præcipit quàm artibus ac ſtrategematis aduerſus hoſtes vti: ſin hac non ſuccedat, tū verò corporum vi ac robore periclitandum eſſe. *Polyænus Strateg. libro 1.*

Omnibus Rerumpubl. principibus hoc eſt vtile, vt per ſtrategemata & quandam alacritatem ciuitates ad officium faciendum impellant. *Idem, l.3.*

Prudentiores ac euentibus minimum credentes in belli periculo non ex directo conſiſtunt, quāuis hoſtibus in omni ſint apparatu ſuperiores: ſed ſtrategematis ac artibus quibuſdam inimicos circūuenire conantur: quòd ſi apertè concurratur, nunquam certa conſequetur victoria. *Procop. de bel. Per. libr. 1.*

Eos qui æquis cum hoſte viribus concurrunt, apertè ac ſtatim ad manus venire abſurdum non fuerit: at qui longè inferiores exiſtunt, ſtrategematis artibúſque reliquis vtilius inimicos circumuenire quā in aciem manifeſtam eundo clarū adire periculum. *Idem, de bel. Perſ. libr. 2.*

STRENVI.

Fortes & ſtrenui, etiam contra fortunam, ſpei inſiſtunt. *Tacit. hiſt. libr. 2.*

Cui animus ineſt liber ac ſtrenuus, nil prorſus impedimento erit, quominus quauis in re plurimum valeat. *Agat. l. 1.*

STRENVITAS.

Commune hoc hominibus bonum eſt, ſtrenuos eſſe. *Herodot. libr. ſeptimo.*

STVDIA.

Qualia ſunt publica ciuitatum ſtudia, talis eſt etiam priuatorum vita. *Dionyſ. Hal. l. 5.*

STVDIA *hominum.*

In magna copia rerum, aliud alij natura iter oſtendit. *Saluſt. de coniurat. Catil.*

Multi militia, quidam exercendo agros tolerarunt vitam. Nihil à quoquam expetitur, niſi cuius fructus ante prouiderit. *Tacitus, Ann. libr. 11.*

STVDIA *inutilia.*

Fieri non poteſt, vt qui rebus nullius pretij operam diligentem nauat, poſſit magnis & præclaris vllis negotiis vacare. Cùm enim omnis cogitatio in iſta conferatur, neceſſe eſt vt ea negligat, quæ reuera ſunt admiratione digna. *Ælia. Var. hiſt. l. 2. c. 27.*

STVDIA *literarum.*

Naturâ infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia quàm mala: & vt corpora lentè augeſcunt, citò extinguuntur, ſic ingenia ſtudiáque oppreſſeris facilius quàm reuocaueris. Subit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo: & inuiſa primò deſidia poſtremò amatur. *Tacit. in vita Agric.*

STVDIORVM *fructus & ſcopus.*

Magnos profectò & longè honeſtiſſimos optimorum ſtudiorū fructus, illi ante alios in hac vita

cœpiſſe exiſtimantur, qui omnes ingenij facultates in id maximè opus ſanctiſſimo fine propoſito cõtulerũt, quo & prodeſſe bonis mortalibus ingenuo labore poſſent, & ſui memoriam præclaro literarum teſtimonio poſteris commendare niterentur. Quando in hac vita, quam in natura incertis breuis qui anguſtiis humano generi præſcripſit, nihil beſtius eſſe poteſt, quàm nominis famam immortalibus inuicti animi monumentis, ad non incertam ſpem ſempiternæ laudis extendiſſe. *P. Iouius, præfat. in libr. hiſtor.*

STVDIVM *rerum indignarum & dignarum.*

Cùm peregrinos quoſdam diuites Romæ fortè vidiſſet Cæſar, canum & ſimiarum catulos in gremijs circumferre, iiſque ſeſe oblectare, percontatus eſt: Ecquid apud ipſos mulieres liberos non parerent. Digna mehercle principe vox, qua errores admonuit eos, qui à natura inditos nobis affectus, quibus ad amorem hominum incitamur, in beſtias abſumerent. Verùm animo noſtro non tantùm diſcendi ſpectandíque aliquid innata eſt cupiditas, (quam in canum etiã ſimiarúmque catulis animaduertimus) ſed præterea ratio etiam quæ eos reprehendat, qui iſta cupiditate ad audiendas ſpectandáſque res nullius pretij abutuntur, iis neglectis quæ pulchræ ſunt & conducibiles. Senſus quidem cùm ab obiecto quocunque afficiatur, atq; moueatur, forſitan neceſſe ſit omne id quod oculis offertur, ſiue id inutile ſit, ſiue vtile apprehendere: intellectus autem ea eſt natura, vt quæ velit poſſit contemplari, & ab iis quæ non probat, ſeſe nullo negocio auertere. Ergo ad contemplandum ea ſunt deligenda, quorum conſideratione mẽs ipſa quoque alatur. Vt enim oculis commodus eſt color floridus & elegans, qui dum videtur, ſimul ipſum etiam viſum exſuſcitat atque alit: ita intelligentia iis rebus conſiderandis adhibenda eſt, quæ cum delectatione ſimul ipſum etiam ad ſuum bonum appetendum prouocent, nimirum ad virtutis actiones, quæ dum cognoſcuntur vna æmulationem quandam ac ſtudium imitandi in animis excitant. In cæteris ſanè rebus non ſemper admirationem eius quod factum eſt, cupiditas idem efficiendi comitatur: & quidem plerunque contra fit, vt cũ opus laudemus, opificem contemnamus. Verbi gratia, vnguentis & purpura delectamur: at vnguentarios & tinctores pro illiberalibus ac ſordidis hominibus ducimus. Quapropter rectè Antiſthenes cũ Iſmeniam egregium tibicinem audiret prædicari, Atqui homo eſt prauus, inquit: alioquin enim tantum in hac arte non præſtaret. Philippus filio ſuo, quod ſuauiter & artificioſè quodam in loco ceciniſſet fidibus, Non te, inquit, pudet, tã belle citharam pulſare? Regi enim ſatis eſt tantum ocij ſibi ſumere vt alios canentes audiat: multúmque tribuit Muſis, ſi ſpectatorem aliis ſe horum certaminum præbeat. Qui verò ipſi in rebus vilibus elaborant, eo ipſo teſtatum faciunt, ſe non magnam præclararum rerum curam gerere. Neque verò quiſquam bonæ indolis adoleſcens, viſo Olympio Ioue, Phidias fieri cupiit, neque viſa ea quæ eſt Argis

Iuno;

Iunone, Polycletus: neque vel Anacreon, vel Philemon, vel Archilochus eſſe optauit, delectatus eorum carminibus. Non enim neceſſe eſt cùm opus ſit elegans, aut voluptatem adferat; ideo artificem quoque magni precij eſſe hominē. Quare hæc ſpectatori nihil proſunt, quæ non ardorem quendam imitandi, ſtudiúmque idem efficiēdi ingenerant. Verùm virtutis actiones eo modo afficiunt cōtem plantem, vt confeſtim & miretur eas, & autorē imitari cupiat. Quippe bonorum quæ fortuna nobis tribuit poſſeſſionem ac perceptionē fructuum, virtutis verò actiones diligimus: & vt illa nobis ab aliis præberi, ita his alios impertire volumus. Ipſa enim honeſtas ad ſe allicit, cupiditatémque agendi continuò iniicit, ſpectatoriſque animum non imitationi, ſed cognitioni ipſius facti intentum virtutis ſtudio informat. *Plutarchus in Pericle.*

STVDIVM *virtutis.*

Rerum gerendarum præclarorúmque facinorum ſtudium, cùm ſuas peculiares habeat voluptates, ciuilibus & honorum cupidis ingeniis turpiorum cupiditatum obliuionem inducit. *Plutar. in compar. Cimonis & Luculli.*

STVLTI.

Omnium ſtultorum id ſemper eſt ingenium, vt quum quis ipſis aſſentatur, magnificè de ſe ſentiant: at quum terror illis incutitur ſapiant. *Dionyſius Halicarnaſ. libro 5.*

Sitis omnes ſtultos (præſertim verò vulgus) in humiles arrogan-ter, erga ſuperbos demiſsè ſolere ſe gerere. *Idem, l. 5.*

In mediis certaminibus pœnitere captorum conſueuere, qui inconſideratius res ipſas aggrediūtur. *Procop. d. bel. Goth. l. 1.*

Stultorum eſt, innumeris velle calamitatibus ob gratiam repentinæ contentionis & pertinaciæ affici, nec vllam moleſtiarū ſolutionem denique inuenire. *Idem, libr. ſecundo.*

STVLTITIA.

Miſerum eſt, quum anteuertere incommodum poſſitis, admittere vt id vobis eueniat ac deinde pœnitentia corripi. *Dion. l. 45.*

Ludere iis in rebus in quibus ſeriò agendum, & circa eas multum ſudare, in quibus haud quicquam proficere poſſis. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 4.*

STVLTVS.

Epimethei pediſſequa pœnitentia. *Idem, l. 3.*

Michael Palæologus mentis eū compotem eſſe negabat, qui non ſuo ſed alieno conſilio ſuis in rebus vtatur. *G. Pachymer. hiſtor. libro 4.*

STVPIDI.

Nullum ad retinenda bona certius quàm memoria eſt ærarium. Immemoribus enim & ſtupidis ea cum tempore effluunt. itaque nihil ſeruantes, in perpetuum vacuī bonorum, ſpe pleni, futura, præſentibus dimiſſis, ſpectant. Et verò cùm illa poſſint à fortuna impediri, hæc eripi non queant, iſ tamen dona fortunæ præſentia, tanquam aliena abiiciunt, futura & incerta ſomniant. Id quod euenire iis conſentaneum eſt, quādo externa bo-

na, priuſquam rationis & diſciplinæ opera iſtis ſedem atque fundamentum locauerint, congerentes atque coaceruantes, inſatiabilem animi cupiditatem explere non poſſunt. *Plutar. in Mario.*

STVPIDITAS.

Ingentia detrimenta & inſanabilia pati, continentérque & ſine moleſtia ferre, réque nulla vel indecenti, vel abſurdiſſima commoueri, non ſapientis eſſe aſſeuerauerim, ſed calamitoſi & timidi, eius denique qui ſub imperitiæ nomine deſidiam in Republ. velit. *Agat. hiſt. l. 3.*

SVBDITI.

Aduerſum fortuita ſubditi ſolent aſpectu principis refoueri. *Tacit. Ann. l. 15.*

Non ij quos neceſſitas ſeruire cogit, ſed quos obtemperare ſua quenque voluntas adegit, ſunt in agendi patiendóque à ſuſpicione omni aſſentationéque vacui: nunquamque imperia detrectant, niſi violenter eo tumelioſéque ſint habiti. *Herodian. in Commodo.*

SVBDITI *principem imitantur.*

Subditi, quantū licet, principum ſequuntur cupiditates: idque lex eis eſt & honor quod principibus viſum fuerit. *Nicepho. Gregoras, hiſt. libr. 2.*

SVBDITORVM *beneuolentia.*

Non animaduertit, nihil neque arma, neque multitudinem ſubditorum, ſine eorundem beneuolentia conducere: quinimo hæc ipſa, ſi fides abſit, tanto minus tuta eſſe quanto ſunt plura. *Dion, l. 37.*

SVBDITORVM *defectio.*

Princeps qui dominatum prius amiſſum, armis inuadit, truculentior quàm antea in ſubditos, tanquam aduerſus defectores, & in tempore rebellaturos apparet. Illi autem, quamuis ſeruitio ſueti, patientiam abrumpunt, armiſque principem circumueniunt, cui nec aliud ſubſidium eſt, quàm pernicitas equorum, quis ſéque & ſuos aufert. *Tacit. Ann. l. 12.*

SVBDITORVM *officium.*

Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: ſed neque hæc continua & meliorum interuentu penſantur. *Tacit. hiſt. l. 4.*

Omnino præſtat, Deóque gratius eſt, vt ſubditi pro legitimo Imperatore pugnent, quàm eum ſeditioſo ac ciuilis belli authore ſe cōiungant. *Nicet. Iſaac. Angel. libro primo.*

Omnibus meliorem ſortem deſiderare permiſſum eſt: ſed debet etiam vnuſquiſque quod cuique dedit ſors patienter tolerare: alioqui ſi cuiuis alterius imperio ſubiecto ad libertatem aſpirare liceat, omnia dominatus atque imperiorum iura peruerti atque confundi neceſſe eſt. *Fr. Guiccia. din. hiſtor. lib. ſecundo.*

SVBSIDIA.

Graueſcentibus in dies publicis malis ſubſidia minuuntur. *Tacit. Ann. l. 14.*

Vanum & difficile videtur ſera ab his expectare ſubſidia, qui propriis bellis diſtinentur. *P. Iouius, hiſt.*

*hiſtor.lib.*13.

SVCCESSVS *rerum.*

Non validioribus viribus quæ prudentia careant, optimi conatus adſcribendi ſunt, & præclara facinora: ſed inconſultæ potius audaciæ ac petulantiæ,& bene conſtitutæ cõſuetudinis euerſioni. *Agat.hiſt.l.*5.

SVMPTVS *bellici, victoriæ inſtrumenta.*

Stultum eſt in Republica, quæ perennibus conſiliis & inexhauſtis opibus viget,ſpecioſos ab ancipiti cruentáque acie triumphos appetere:quum maturam certámque vniuerſi belli victoriam non temerè expectent, qui bellicis ſumptibus minimè deterrentur. *P.Iou.hiſt. libr.* 2.

SVPERBI.

Deorum indignatio omnibus ſuperbis imminet. *Dionyſ.Halicarn. libr.*2.

Omnes qui ſuperbi ſunt, & qui ſupplicum preces cum contumelia repellunt, in deorum indignationem incurrere,& tandem in miſeras calamitates incidere animaduerti.*Idem,l.*8.

Nonnunquam id obtigiſſe conſpeximus, vt qui potentia præſtarent, quíque quondam hoſtes ſuos longè viribus opibúſque viciſſent, momẽto temporis eo faſtigio deturbatos,in deteriorem longè conditionem ruiſſe, qui tamen olim faſtu inſolentiáque fortunæ alios proterere ſolebant. *Diod. Sic.hiſtor. lib.*13.

Paratam felicitatem ſpernentibus,numen iraſci conſueuit. *Proc. de bel. Vand.l.*2.

In repentinis calamitatibus homo ſuperbus non minus animo quàm conſilio deſtituitur. *F.Guicciard.hiſt.l.*4.

SVPERBI *bellatores deſcripti.*

Ita præſenti rerum ſucceſſu tumebant Athenienſes, vt nihil ſibi iam amplius reſiſtere poſſe putarent.Et poſſibilia pariter atque impoſſibilia ſeu magno ſeu paruo apparatu ſe confecturos eſſe confiderent. Cauſa huius fiduciæ erat inſperatus in rebus plurimis ſucceſſus:is in eis ita ſpem confirmabat & augebat. *Thucyd.l.*4.

SVPERBIS *Deus reſiſtit.*

Vides (*Artabani dictum*) vt pregrandia animalia fulmine Deus ferit,nec ſinit inſoleſcere, parua verò ne vellicat quidem?Vides vt magna ſemper ædificia magnáſque arbores huiuſmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus eminentiſſima quæque deprimere. Vnde & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus iis quibus infenſus eſt, aut metum incutit,aut fulmen immittit. Propterea quidam ſecus ac ſua dignitas poſtulabat,in calamitatem inciderunt,quia Deus neminem alium quàm ſeipſum ſinit magnificè de ſe ſentire. *Herodot.l.*7.

SVPERBIA.

Qui frequenti ſucceſſu in bellis vtitur, hic infida ferocia inflatus, quæ ſunt cogitanda non cogitat. Multa enim malè conſulta, hoſtibus inconſultius agentibus, proſperè euenerunt: & multo plura quæ bene conſulta videbantur,turpiter in contrarium ceciderunt: quia nemo tali opere rem exequitur quali crudelitate deliberat:ſed cum fiducia certa de futuris ſentimus, cum timore autem in actio-

ne deficimus. *Thucyd. libr.* 1.

Solet vſu venire ciuitatibus, præſertim iis quibus breui & inſperatò felicitas contigit, vt ad inſolentiam conuertantur. *Idem, l.* 2.

Etiam cùm innoxia eſt ſuperbia, moleſta eſſe non deſinit *Idem, eod. libr.*

Superbum ſupráque modum inſolentiſſimum videtur & temerarium, de hoſtis ſupplicio ante victoriam, veluti præoccupata belli victoria, decernere. *Diodor. Sic. hiſt. libr.* 13.

Multis exemplis compertum eſt, mortales quoſcunque ſuperbię immanitas extra ſe modúmque conditionis humanæ inſolentes rapuerit, diis iuxta hominibúſque ſummè inuiſos eſſe, ac veluti perniciẽ quandam execrabiles haberi. *Idem, lib.* 13.

Ex re bene geſta ſuperbia negligentiáque oritur. *Liuius, Decad.* 1. *lib.* 4.

Superbiam, verborum præſertim, iracundi oderunt, prudentes irrident: vtique, & ſi inferioris aduerſus ſuperiorem eſt, capitali pœna nemo vnquam dignam iudicarit. *Idem, Decad.* 5. *l.* 5.

Ira atque ſuperbia, mala inuicta. *Curt. l.* 3.

Superbia, commune nobilitatis malum. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Bellorum præmiis referti, aut ditium familiarium hæredes facilè magnum animum induunt. *Tacit. Ann. l.* 11.

Compertum habeo, humillimos quoſque, maximè vbi alta acceſſerunt, ſuperbia atque ambitione immodicos eſſe. Hinc Marius patrum memoria, hinc Diocletianus noſtra, communem habitum ſupergreſſi ſunt, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, inſatiabilis eſt. Nec mihi mirum videtur, Nobilitati pleroſque ſuperbiam dare, quæ gentis Patricię memor, moleſtiarum quibus agitatur remedio, eminere paululum pluris habet. *Aurel. Vict. l. de Cæſarib.*

Superbia eſt opulentiæ comes. *P. Iou. hiſt. l.* 1.

SVPERBIA *in belli ducibus.*

Fit ſæpenumero ſuperbia atque æmulatione, communi vitio ducum, vt plerique in ipſis conſiliis ea maximè nolint, quæ alios ſummis etiam rationibus velle cognouerint: vltróque aſpera & duriora ſubeant, ne aliena conſilia ſequi videantur. *Idem, l.* 15.

SVPERBVS.

Qui non ſtatuit felicitati modũ, nec cohibet efferentem ſe fortunam quanto altius elatus eſt, eo fœdius corruit. *Liuius, Decad.* 3. *lib. decimo.*

Superbi eſt, famæ ſpe æternitatem præſumere. *Tacit. Ann. l.* 11.

SVPERFLVA.

Omne id quod præter ea quæ neceſſaria habemus, poſſidetur, ſuperfluum eſt, in nullóque diſcrimine adſit ne vel abſit, ponendum. *Dion, l.* 38.

SVPERSTITIO.

Vt pernicioſa eſt incredulitas, & contemptus ſignorum diuinitus oblatorum: ita ſuperſtitio etiam noxia eſt, quæ tum aquæ inſtar ad ſubſidia delabentis animum trepidum ſtolida timiditate complet. *Plutar. in Alexandro.*

Huma-

Humanarum mentium ludibrium ſuperſtitio. *Curtius, libro ſeptimo.*

Nihil in ſpeciem fallacius eſt quàm praua religio. vbi deorum numen prætenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris immiſtum aliquid videmus. *Liuius, Decad. 4. l. 9.*

Sunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes. *Tacit. Ann. libr. 1.*

Multa vana ſub nomine celebri vulgantur. *Idem, Ann. l. 6.*

Quicunque à vero aberrant, miſericordia potius quàm odio digni ſunt. Non enim hi vel captantur, vel labuntur volentes, ſed boni for ſitã ducti cupiditate, & ſi alioquin iudicio falſi, conceptis opinionibus, qualeſcunque ſint pertinacius hærent. *Agat. l. 1.*

SVPERSTITIO *& profanitas vitanda.*

In oſtentorum & prodigiorum conſideratione nimiam & credulitatem & incredulitatem periculoſam efficit humana imbecillitas, cùm ea non intra certos terminos ſe continet, ſed effertur vel ad ſuperſtitionem, inflatiúſque de iis ſentiendum, vel ad contemptum religionis. Optimum eſt cautionem adhibere, ac ne quid nimis. *Plutar. in Camil.*

SVPPLICES *non violandi.*

Ob violatos ſupplices implacabilem eſſe Numinis iram, non Helices modò exitium, ſed alia etiam talium euentorum exempla documento eſſe poſſunt. *Pauſan. libr. 7.*

SVPPLICIA.

Culpa quàm pœna tẽpore prior, emendari quàm peccare poſterius eſt. *Tacit. Ann. l. 15.*

Maius exemplum eſt viuentis miſerabiliter criminoſi, quàm occiſi. *Vu c. Gallic. in Aurel. Caſſio.*

Humilium ſupplicia neceſſaria ſunt vbi res poſtulat: ſed de nobilibus ſontibus illuſtres pœnæ propalam ſumptæ, oculos animóſque mortalium magis mouent, ſplendidioréque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgo propoſita ſunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communíque cauſa, idem cæteris, quod illis ius fáſque videtur. Neceſſe eſt igitur & monumenta plectendorum ſcelerum terroréſque in clariſſimis ceruicibus ſtatui: vt quod vindicatum in ſummis eſt, id in ſe diſſimulatum minimè iri vulgus ſentiat: & qui metus malis eſt, bonis ſalutíque publicæ ſit fiducia: quibus duabus rebus communis vita conſtat. *P. Æmyl. l. 8.*

SVPPLICIORVM *modus conſtituendus.*

Magnitudo pœnæ non deterret homines à ſceleribus incitatos vehementi cupiditate & magna ſpe. Eſt quidem in omnibus ciuitatibus conſtituta pœna mors, etiam leuioribus delictis quàm eſt defectionis crimen & fœderum infractio: ſed tamen homines ſpe incitati adeunt pericula, neque quiſquam ruit in periculum, ſi firmiter ſibi perſuaſerit, ſe non euaſurum eſſe. Natura omnes publicè & priuatim proni ſumus ad delinquendum: nec lex aut pœna

vlla homines prorſus coercet,cùm quidem à leuioribus pœnis ad ſummas peruentum ſit,vt audacia ſceleratorum frenaretur. Conſentaneum enim eſt, olim mitiores pœnas ſummorum ſcelerum fuiſſe, quæ cum homines à ſceleribus patrandis minimè deterrerent, ventum eſt ad mortem,quæ tamen & ipſa homines à malè agēdo non reuocat. Aut igitur alius excogitandus eſt terror vehementior,aut ne quidem capitali pœna homines coerceri poſſunt. Sed ruunt homines in pericula,impulſi vel neceſſitate,vel petulantia, vel ira. Pauperes neceſſitate mouentur: petulanti ſatis cauſæ eſt licentia:ira occaſio eſt, vt quiſque inſanabili affectu tenetur. Deinde vincuntur homines cupiditate & ſpe,quarum altera dux eſt,altera comes: altera ad aggrediendum incitat, altera viam monſtrat: & expetita bona, quanquam incerta, tamē plus mouent animos, quàm certæ pœnæ quæ ſunt in conſpectu.Adiuuat & occaſio aggreſſuros aliquid: quæ cùm ſe offert præter opinionem,etiam ſi vires alioqui minores ſint, incitat, vt periculum adeant, præcipuè ciuitates, quia hæ res maximas concupiſcunt, videlicet libertatem & imperium, & ſinguli cum vniuerſis ciuibus coniunctis maiora imaginantur. Quare ſimpliciter impoſſibile & ſtultum eſt,metu legum aut pœnarum humanam naturam cupiditate ardentem deterrere. *Thucyd.lib.*3.

SVPPLICIORVM *vtilitas.*

Si ſceleratus dominus flagellatur, ſerui reſipiſcent:& vt ſubditi in illaudatis rebus principem imitari ſolent,ita etiam, ſi is flagelletur, & publicæ vtilitati ſeruire cogatur, hi eum vt matrem filius ſequentur. *Nicetas, Andronic.Comn. lib.*2.

SVSPICIO.

Nemo nobis ſuſpectus eſt,quem non læſerimus:neque ſuſpicari eſt animi recti ſincerique: ſed qui ſe ad inferēdam alicui iniuriam præparauerunt, ſtatim eorum conſcientia facit vt ſe haberi ab illis in ſuſpicione putent. *Dion, libro* 38.

Inclinatis ad ſuſpicionem mētibus, euenit vt qui timet timeatur. *Tacit.hiſt.l.*1.

Nihil immoderata ſuſpicione pernicioſius. *Fr.Guicciardin.hiſtor, lib.*11.

Omnia in ſiniſtram partem ſuſpicio interpretari ſolet. *Idem, libro* 15.

Natura id eſt comparatum, vt ex ſuſpicione odium naſcatur, ex odio iniuriæ,ex iniuriis ſocietas & neceſſitudo cum iis qui inimici ſunt ei quem læſerunt: ex his conſilia quibus non modò metu ſe liberent,verùm etiam vt ex eius ruina qui læſus eſt, ipſi emolumenta capiant.*Idem,lib.*16.

Vana ſuſpicio à falſo timore nata,ſupremos hæſitantium conatus & ſera cōſilia diſcutit atque infringit.*P.Iouius,hiſt.l.*15.

SVSPICIONES.

In perſonam ignotam omnes ſuſpiciones conueniunt. *G.Pachymer. hiſt.lib.*10.

SYCOPHANTÆ.

In vna qualibet populari Reipublicæ adminiſtratione ſycophantæ exiſtunt. *Plutarch. in Timoleonte.*

Syco-

Sycophantæ, pernicioſiſſimum ſocietati humanæ genus hominum. *Diodor. Sicul. Antiq. libro 12.*

Hic ſycophantis mos eſt,& conuitiis proſcindere aliquem, & arcani quippiam efferre ipſi incipiant,vt audiens alter,ipſe quoque ſimile aliquid enunciando,crimini obnoxius fiat: nam illis quidem hoc abſque periculo licet, nimirum ex compacto id facientibus, non quòd ita ſentiant, ſed vt aliorum ſenſum expiſcentur: at hi ſi vel minimum præter quàm licitum eſt verbulum omittant, pœnas dant. *Dion,lib.58.*

T.

Taciturnitas.

Perſæ magnam rem ſuſtineri poſſe non credunt ab eo cui tacere graue ſit, quod homini facillimum voluerit eſſe natura. *Curt. lib.4.*

Optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, taciturnitas. *Valer. Maxim. libr.2. cap.2.*

Mulieri taciturnitas conuenientior, oblocutio verò virum decet. *Heliodor.lib.1.*

Sermo in caſtris circumlatus,arcana conſeruare non nouit, quoniam velociter procurrens, vſque ad hoſtes diffunditur. *Procop.de bello Perſ.lib.2.*

Sunt ij æmuli obſeruandi,qui ingeniis apparent illiberalibus & moribus occultis prædit linguáque pollent ab animo diſſentiente: ac cuſtodia muniendum os, nec ſinēda eſt lingua temerè extra dētium ſeptum & labiorum munitionem euagari,quibus à natura, quaſi duplici vallo eſt incluſa. *Nice.Manuel. Comn.lib.1.*

Temerarii.

Temerarij longè facilius audētes vocantur, quam cauti & prudentes. Qui enim præter officium ſit quippiam auſus,ex aliorum beneuolentia, quibus fortè vir acer ſit viſus,honorem aſſequitur. Is verò qui prudenter & cautè periculum ſubterfugerit, nec tamen pro votis rem geſſerit,incidētium proculdubio rerum ſubiturus eſt noxam,& ſi quid eius ex animo ac ſētentia egerit, nihil prorſus feciſſe imperitis videbitur. *Procop. de bello Goth.lib.3.*

Temeritas.

Vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo,torpet. Et licet felicitas aſpirare videatur tamen ad vltimum temeritati non ſufficit. *Curtius,libro 4.*

Hoſtium temeritas commodam dimicandi facultatem præbet. *Caſ. lib.6.de bello Gall.*

Ego id verum eſſe exiſtimo quod diei ſolet,temeritatem ſæpenumero homines ad inſaniam & ad nihilum adducere ſolere. *Polyb. libro 4.*

Pericli contra ſexaginta armatorum Peloponneſiorum ac Bœotorum dimicandum nullo modo viſum eſt, etiam ſi de ipſis Athenis ea dimicatio fuiſſet futura:ideo ciues ſuos pugnam poſcentes indignéque hoſtium populationes ferentes,verbis mitigauit, docendo, arboribus quidem excīſis facilè alias enaſci, hominum iacturam reparatu haud ita procliuem eſſe.

Præterea populum nequaquam in concionem aduocauit, ne aliquid præter animi ſui ſententiam age re cogeretur. Ac quemadmodum nauis rector, vento mari incumbẽte, omnibus rectè curatis inſtructiſque armamentis, arte ſua vtitur, valere iuſſis eorum qui naui vehuntur, periculúmque & nauſeam non ferunt, lachrymis precibúſque, ita Pericles vrbe tum clauſa, omnibuſque locis præſidio firmatis, ſua conſilia ſecutus eſt, parui faciens obtrectationem indignationéſque ciuium. Enimuero & ex amicis multi precibus eum vrgebant, inimici minis ac criminationibus territabant, multi cantilenis ac dicteriis imperium eius exagitabãt, mollitiem & proditionem obiicientes: verùm his omnibus nihil motus Pericles, æquo animo & tacitus ignominiam odiaque tolerauit, miſſáque in Peloponeſum claſſe centum nauium, ipſe in vrbe remanſit, rémque domi adminiſtrauit, tantiſper dum hoſtes diſceſſerunt. *Plutarch. in Pericle.*

Dies ne deficiat, ſi reges imperatoréſque temerè in hoſtium terras tranſgreſſos cum maximis cladibus ſuis exercituúmque ſuorum enumerare velim. Athenienſes, prudentiſſima ciuitas, bello domi relicto, authore æque impigro ac nobili iuuene, magna claſſe in Siciliam tranſmiſſa, vna pugna nauali florentem rempublicam ſuam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Africa. & M. Attilius, in vtraque vtriuſque fortunæ exemplum, nobis documento ſint. *Liu. Decad. 3. lib. 8.*

Non ſemper temeritas eſt felix. *Idem, ibid.*

Impetus immodicus temerariúſque ab initio, facilè euaneſcit, parúmque temporis viget. *Dion, libro 38.*

Temeritatis ſubiti & vehementes ſunt impulſus: quorum ictibus hominum mentes concuſſæ, nec ſua pericula diſpicere, nec aliena facta iuſta æſtimatione proſequi valent. *Valer. Max. lib. 9. c. 8.*

Nonnullis quidem hominibus temere agere, ſimúlque perire contigit, quod ex nullo ante oculos exemplo coniicere poſſint quemnam finem eorum temeritas ſit habitura. *Procop. de bello Vandilico, lib. 3.*

Inſanæ demum eſt pertinaciæ, ac temeritatis potius, quàm veræ virtutis, copias apertum in locũ educere, & totius victoris exercitus vim periclitari, quando ſalus omnium atque imperium periniqua ſorte vnius prælij aleæ committi videtur. *P. Iouius, hiſtoriar. libro 3.*

Sicuti victoria à conſilio, ita pœnitendi atque irriti conatus ab inconſulta virtute proficiſcuntur: iique ſæpius, aduerſos præliorum exitus ſentire conſueuerunt, qui audacia atque impetu potius quàm vtili mora & ratione, hoſtem ſuperare confidunt. *P. Iouius, hiſtor. lib. 15.*

Errata quæ in bellis ſæpius ducum inſcitia temeritatéque proueniunt lugere, ac ſerò deteſtari optimi quique poſſunt, reſtituere autem atque corrigere nulla vis queat. *Idem, lib 17.*

TEMPERANTIA.

Cyrus quum ſuam ipſius temperantiam oſtẽderet, faciebat, vt eam magis omnes exercerent. Quum enim

enim vidẽt homines, eum cui maximè licet vti contumelia, hunc viuere temperanter, tanto magis ij qui ſunt imbecilliores nulla vti cõtumelia videri volunt. At pudorem, & temperantiam ita diſtinguebat, quòd pudentes quę turpia in propatulo eſſent fugerent, temperantes verò ac pudentes, etiam quę in obſcuro. Et continentiam quoque hoc pacto maximè arbitrabatur exercendam, ſi ſeſe ipſe oſtenderet minimè per præſentaneas voluptates abſtrahi à bonis actionibus, ſed potius laborem ſumere cum honeſtate coniunctum velle ſeſe prius quàm voluptates. *Xenop. de pædia Cyri, lib. 8.*

Ob temperantiam & iuſtitiam homines ſe minus mutuò lædentes, magis ſunt concordes, & felicitatem non fœdiſſimis voluptatibus ſed honeſtate metiuntur. *Dionyſ. Halic. lib. 2.*

Nullum eſt maius donum, quod acceptum bonitati muſarum homines ferre debeant, quàm quod doctrina & diſciplina emolliuntur & mitigantur ingenia, modúmque tenere, & nimia omnia vitare diſcunt. *Plutarch. in Coriolano.*

Animos eoſdem in omni fortuna, viri moderati ferunt, neque eos res ſecundæ extulerunt, nec aduerſæ minuerunt. *Liuius, Decad. 4. lib. 7.*

Ij penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè ſteterit, vbi minimum virium. Veneris pecuniæque cupido ſibi vindicauerit. Nam quò iſtæ generis humani certiſſimæ peſtes penetrauerint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat. *Valer. Max. lib. 4. c. 3.*

Temperantia nulli eſt inuiſa. *Tacit. Annal. lib. 11.*

Sanctius eſt inopem Rempubl. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per diſcriminũ atque dedecorum veſtigia peruenire. *Iul. Capitol. in Pertinace.*

Natura paucis cõtẽta eſt, & bona corporis habitudo quouis cibi genere æquè conſeruatur. *Nicet. Man. Comn lib. 4.*

Nihil eſt quod in animum adfectionum expertem ius habeat: non ignis, non fera, non flumen vorticoſum. Si rex eris adfectionum animi, peccatíque Dominus, ſuper baſiliſcos & truculentas feras incedes, leonem humiliabis, manſuefacies tigrim. *Conſtan. Manaſſ. annal. pag. 9.*

Quò iniuriæ maiores ſunt, quǿque magis nos commouent, eò magis proprium prudentiæ eſt, iuſtam indignationem iudicij maturitatẽ & vtilitatis ac publici commodi, conſideratione moderari: quoniam ſeipſum temperare & proprias cupiditates vincere, quo pauciores ſunt qui id poſſint, & quò iuſtiores ſunt cauſæ, quibus hominum indignatiò & appetitus concitatur, tãtò maiorem habẽt laudem. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 4.*

TEMPUS.

Tempus omnes res præclaras delet. *Dionyſ. Halic. l. 7.*

Ipſa tẽpora multas res innouant. *Idem, lib. 5.*

Meliores, prudentiores, conſtantiores, nos tempus diéſque facit. *Liu. Decad. 3. l. 2.*

Nemo eos lubens perdit quos habet belli ſocios: ſed iuxta temporum caſus princeps eò adigitur, vt multa pręter animi ſui ſententiam exequatur. *Polyb. hiſt. l. 17.*

Tempus omnium cōſiliariorum eſt optimum. *Plutarch. in Pericle.*

Aſſiduitate omnem ſuperat excinditque potentiam tempus quod plurimum auxilii fert iis, qui prudenter occaſionem captant: idémque tempus infeſtiſſimum eſt iis qui importuna feſtinatione vtuntur. *Idem, in Sertorio.*

Tempore nihil carius eſſe poteſt homini rem magnam affectāti. *Ibid.*

Tempori ſeruiunt etiam ij qui alioquin imperare videntur. *Idem, in Arato.*

Temporis iactura eſt damnoſiſſima. *Idem, in Antonio.*

Solet tempus omnia innouare, & perpetuò diſſimilitudines inducere. *Nicetas.*

Quidam quadrigas fecerunt quę ſub muſcæ ala poſſent abſcondi, & in ſeſamo diſtichon elegeium literis aureis inſcripſerunt. Quorum ſanè neutrum, mea ſententia, homo prudens, & virtutum ſtudioſus laudibus prædicabit. Quid enim hæc aliud ſunt quàm temporis vana perditio? *Ælian. var. hiſtor. lib. 1. cap. 17.*

Honeſtum laudabiléque eſt ſeruire tempori, cederéque fortunæ ad tempus. *Arn. Ferron. lib. 7.*

TEMPORA.

Ab euentu, tempora rerum cauſas aperiunt. *P. Iouius, hiſtor. libro 15.*

Ad præclara & generoſa virtutis facinora noſtris temporibus priſca longè magis propenſa fuerunt. *Fr. Guicciardin. hiſt lib. 6.*

TEMVLENTIA.

Cuncta, incuriâ diſiecta ſunt, neque eſt belli timor, ac ne pax quidem niſi languida & ſoluta inter temulentos. *Tacit. Annal. lib. 1.*

TERRITI.

Nec hoſtium paucitatem, nec multitudinem ſuam territi homines ſatis cernunt *Curtius, lib 5.*

TERROR.

Poſt prælium iam conſertum terror obiectus magis quàm præſens periculum homines perturbare ſolet. *Thucyd. lib. 5.*

TERROR.

Aliquoties vanus terror plus penè veris viribus profuit. *Liuius, Decad. 1. lib. 7.*

Maior ignotarum rerum eſt terror. *Decad. 3. lib. 8.*

Terror abſentium rerum ipſa nouitate falſò augetur: conſuetudo autem efficit, vt ea etiam quæ horrenda ſunt natura, terrendi vim amittunt. *Plutarch. in Mario.*

Terror hominibus mētem cōſiliúmque eripit, & membra debilitat. *Hirtius, libr. de bello Alexandr.*

THEOLOGIA.

Ea eſt diuinarum rerum ratio, vt tacitis animis magis venerandæ ſint, quàm verbis approbandæ & demonſtrandæ. *G. Pachymer. hiſt. lib. 6.*

Theologis inter ſe rixantibus, in periculo eſt populus. *Idem, libro 8.*

Ea eſt humani ingenij audacia, vt immenſum Theologiæ pelagus exigua ſcapha ſuæ imaginationis tranſmittere non dubitet. *Idem, eod. lib.*

THESAVRI *regum.*

Alexander magnus, vbi habēret theſauros, interrogatus, apud ami-

amicos, beneuolè reſpondit. *Amm. Marcell. lib.* 25.

Ciuium beneuolentia & diuitiæ, non nummi in ærarium illati, ſunt theſauri regum. *Io. Iou. Pontan. hiſt. lib.* 1.

TIMIDI.

Timidi ac ignaui ad deſperationem formidine properant. *Tacit. hiſt. lib.* 2.

Anxiis ſuſpenſiſque frequenter vanæ ac inanes remotiſſimarum rerum imagines deceptis ſenſibus offeruntur. *P. Iouij, hiſt. lib.* 3.

TIMIDITAS.

Nimia in republica timiditas viri ad omnem ſtrepitum expaueſcentis, nihil audentis, peſſimíſque ſeſe ſubmittentis, grauiſſimas meretur reprehenſiones. *Plutarch. in compar. Nicia & Craſſi.*

Principum timiditas, maxima eſt cauſa cædium: fiducia ſui placidos eos & manſuetos, & à ſuſpicionibus vacuos reddit. Ita ferarum quoque eæ quæ à cicuratione ſunt alieniſſimæ, timidæ ſunt, & omni ſtrepitu terrentur: generoſæ autem non aſpernantur huiuſmodi blandam tractationem, quia propter fiduciam ſui facilius aliis ſe committunt, *Idem, in Artoxerxe.*

Hæſitabunda & formidoloſa peritia egregiũ aliquid audere haud quaquam conſueuit. *Procop. de bello Goth. lib.* 2.

TIMIDVS.

Pro patriæ ſalute timidum eſſe, indecorum non eſt, propter hominum de ſe opinionem, calumnias, aut reprehenſiones perterrefieri, id iam non viro qui aliis imperet conuenire videtur, ſed qui eorum ſeruus eſſe velit, quibus malè ſentientibus eum imperare decet. *Plutarch. in Fabio Max.*

Canis timidus vehementius latrat quàm mordet. *Curtius, libro* 7.

Non ſine cauſa dicitur, matrem timidi flere non ſolere. *Æmil. Probus in Thraſybulo.*

Non minus ad temeraria conſilia timidus ex deſperatione, quàm temerarius ſua temeritate conuertitur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 1.

TIMOR.

Sine animi præſentia ars contra periculum nihil prodeſt. Timor enim memoriam excutit, & ars amittitur animo languefacto. *Thucyd. lib.* 2.

Externus timor, maximum concordiæ vinculum. *Liuius, Decad.* 1. *lib.* 2.

Ad id quod ne timeatur fortuna facit, minimè tuti ſunt homines: quia quod neglexeris, incautum habes atque apertum. *Liuius, Decad.* 3. *lib.* 5.

Nobis prius decedat timor quàm aliis vltro inferatur. *Idem, Decad.* 3, *lib.* 8.

Semper in prælio iis maximum eſt periculum, qui maximè timent. audacia pro muro habetur. *Salluſt. de coniurat. Catil.*

Quodcunque additur ſubſidio, id corrumpitur timore fugiẽtium. *Caſ. lib. d. bello ciuil.*

Plerunque in ſũmmo periculo Timor miſericordiam non recipit. *Idem, lib.* 7.

Hæc natura eſt magnis timoribus, vt quod euenit deterius credant. *Tacit. Annal. lib.* 15.

In periculis Reip. qui ſinguli itim pertimeſcũt, in timore potiusquàm in virtute opprimentur. *Iul. Capitol. in Max. & Balbino.*

Timor mentem agens attonitam non ſinit vtiliora decernere. *Procop. de bell. Perſ. l. 2.*

Miſericordiam haudquaquam recipit timor. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Montium vertices hoſtium ſpeciẽ præbent, animo ſemel timore oppreſſo. *G. Pachym. hiſt. lib. 3.*

In turba promiſcua non deſunt, qui etiam nulla de cauſa expauſcant. *G. Pachym. hiſt. lib. 4.*

Sæpe vanos timores, non minus quàm nimiam confidentiàm, nocere, eſt cogitandum. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 7.*

TIMOR *Dei.*

Dei metus longè timorem abigit à viris potentia præditis, & rerum potientibus incuſſum. *Conſtan. Ma*[illegible]*. Ann. pag. 142.*

Timere homines, Dei verò metum abiicere, illius eſt, qui quid ſit metuendum ignorat. Sed diuinas leges timere, maxima eſt ſecuritas, quicunque terror obiiciatur. *G. Pachymer. hiſtor. libro 3.*

TIMORIS *effectus.*

Sæpe accidit, vt conſilia, timore ſuſcepta, periculo inferiora ei qui timet videantur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 1.*

Accidit plerunque, vt homines ea conſilia, quæ alacri motu ſummóque animi vigore ante diſcrimen inierint, ea demum in præſenti periculo, quum facto maximè opus eſt, timidiſſimè reformident. *P. Iou. hiſt. lib 3.*

TOLERANTIA.

Exiſtimabat Ageſilaus imperatorem decere potius vt tolerantia quàm mollitie priuatis hominibus præſtet. *Xenoph. orat. de Ageſilao.*

Tolerantia, firmitudinéque animi & conſilio omnia edomantur. *P. Æmyl. lib. 4.*

TORMENTA *bellica.*

Vſus rerum edocuit nihil validum aduerſum vim atque impetum tormentorum humana ſolertis poſſe compari. *P. Iouius, hiſt. lib. 12.*

Tormentorum currulium copia & terribili præſidio cuncta peruincuntur. *Idem, lib. 14.*

TRANQVILLITATIS *amor.*

Tranquillitatis amantes non diu poſſunt eſſe ſalui, niſi ſimul, vbi opus eſt, ſint fortes & acres in repellendis hoſtibus: nec decet vrbem principem, ſed ſubditam, velle ſecuram ſeruitutem. *Thucyd. lib. 2.*

TREPIDATIO.

Minus trepidationis eſt, quum euẽtus timori hominum congruit. *Liu. Decad. 1. lib. 4.*

Tribuni & centuriones, læta ſæpius quàm comperta nunciant. *Tacit. Annal. lib. 2.*

TRIBVTA.

Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipẽdia ſine tributis haberi queũt. *Tacit. hiſt. lib. 4.*

TRISTITIA *ingens.*

Sol cùm moderatos radios emittit, multos ventos attrahit, & humores: ſin immodicos, conſumit illos priuſquam attrahantur. Eodem modo & modici animorum affectus, dolorem ſuum verbis teſtari & lachrymis non recuſant: qui verò modum excedũt, ac animum tumultuantem quaſi de gradu deiiciunt,

ciunt, efficere ſolent, vt aut nihil dicas, aut quiduis potius quàm quod oportet, aut nihil potius quàm quod oportet. *Nicet. Gregoras, hiſt. lib. 9.*

TVRBATORES.

Qui multis & validis propinquitatibus ſubnixus eſt, turbare gentiles nationes promptum habet. *Tacit. Annal. lib. 11.*

TVTISSIMVS *quis.*

Is eſt tutiſſimus, qui hoſtibus mi nimum gratificatur. *Thucydid. libro 1.*

TYRANNI.

Nullæ leges tyrannis ſecuritatẽ præſtant. *Xenoph. de reb geſt. Græc. lib. 7.*

Qui vi obtinere poſſunt quod volunt, non putant iudiciis certandum eſſe. *Thu. lib. 1.*

Iis qui tyrannicam adepti ſunt potentiam nihil abſurdum quod vtile eſt, nihil amicum quod me tuendum: & omnibus pro temporis opportunitate amicos aut hoſtes eſſe congruit. *Idem, libro 6.*

In tyrannis nulla eſt fides. *Dionyſ. Halic. lib. 11.*

Tyrannorum cupiditates ſunt infinitæ vt veriſimile eſt, quippe quæ metu non cohibentur. *Idem, libro 2.*

Quiuis tyrannus eos ſibi ducit inimiciſſimos, qui libertati patrocinantur. *Polyb. hiſt. lib 8.*

Atrocitas ipſorum vitæ piſcium commodè aſſimilatur, de quibus fertur, quòd cum eiuſdem generis ſint nihilominus tamen minorum perditio maiorum ſit cibus & vita. *Idem, hiſt. lib. 15.*

Immerito populum culpant tyranni, ſi vtilitatis cauſa is modò huic, modò alteri pareat: ipſos enim imitatur, infidelitatiſque & proditionis eoſdem habet magiſtros, qui plurimum lucrari exiſtimant eum, qui quàm minimè ius ſequatur. *Plutarch. in Pyrrho.*

Quemuis potius quàm tyrannum Plato fortem eſſe affirmabat, ac ſermonem ad iuſtitiam conuerſo, beatam iuſtorum, miſeram iniuſtorum & tyrãnorum eſſe vitam docebat. *Idem, in Dione.*

Qui immodicè ſua in omnibus rebus poteſtate abutitur, is neque beneuolentiam veram, neque ſecuritatem certam inuenit, quantumuis palam ficto ſtudio homines ei adulentur. ab omnibus enim iis qui in eos ſummam potentiam obtinet, iiſque præſertim quibus cum eo negotium eſt, in ſuſpicione habetur, timetúrque. *Dion, lib. 43.*

Tyrannis ſuos ſatellites commune maleficium communiſque metus conciliat. *Appian. lib. 2. de bell ciuil.*

Regibus (i. Tyrannis, vt ex contextu liquet eo loco) boni quàm mali ſuſpectiores ſunt ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt. *Salluſt de coniurat. Catil.*

Facinora atque flagitia ſua ipſi in ſupplicium vertunt. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Neç eos fortuna aut ſolitudines protegunt, quin tormenta pectoris ſuáſque ipſi pœnas lateantur. *Tacitus, Annal. libro 6.*

Voluptatibus plus aduerſus ſubiectos quàm armis valent. *Idem, hiſt. lib.* 4.

Prouinciarum ſanguine prouincias vincunt. *Ibid.*

Æquiore animo ferre ſolent plebeos homines liberè loquentes quàm præditos aliqua dignitate. *Xiphilin. Caligul.*

Similes mihi videri ſolent ſui Æſopicæ tyranni, qui ſemper in ſuſpicionibus & metu verſantur: cùm ſciant, ſicut ſues, ſuam vitam omnibus deberi. *Ælian. var. hiſt. lib.* 10. *cap.* 5.

O diabolicas cogitationes & inſpirationes! Si nonnullis principibus perſuaſum eſt, multa piorum millia, ob qualecunque in eos delictum, ſanguinariis gentibus ouium inſtar ad cædem & internecionem dedi. *Nicet. Iſaac. Angel. lib.* 3.

Omnes habentur & dicuntur Tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vſa eſt. *Æmyl. Probus in Miltiade.*

Inuiſa eſt ſingularis potentia & miſeranda vita eorum, qui ſe metui quàm amari malunt. *Idem, in Dione.*

TYRANNIS.

In tyrannide licet pro libidine agere omnia impunè. Hæc virum, etiamſi optimus omnium fuerit, tamen, quam in ea poſitus eſt, extra conſuetos abiicit ſenſus. Quippe quum præter inuidiã ab initio ingenitã homini, ingeneretur ex præſentibus bonis inſolentia. Hæc autẽ duo habens, omne vitium habet tum per inſolentiam, quòd expletus omnibus rebus eſt, tum per inuidiam multa facinora admittẽs. Atenim tyrannus, vt qui omnia bona obtineat, debet eſſe ſine liuore: verùm ità natura comparatum eſt vt is ſit aduerſarius popularib⁹ ſuis, ſiquidem eorum optimis quibúſque qui ſuperſtites ſunt atque viuũt, inuidet, deterrimis delectatur: &, quod indecentiſſimum eſt, criminationes admittere optimũ putat. Nam ſiue admireris eum modeſtè, offenditur quòd non effuſè hoc facias: ſiue effuſè facias, offenditur, quaſi tibi aſſenteris. Et vt exequar dicendo quæ maxima ſunt, iura patriæ labefactat, fœminis vim adfert, indemnatos interimit. *Herodot. lib.* 3.

Tyrannide nihil eſt in rebus humanis neque iniuſtius, neque magis mortiferum. *Idem, lib.* 3.

Qui tyrannidem ferunt, tribus maximis malis vexantur, nempe ſtultitia, animi mollitie & ignauia. *Thucyd. lib.* 1.

Tyrannis cùm multorum ſit malorum plena, nullum tamen in ſe tam graue malũ habet, quàm quòd nemo eorum qui amici nomen vſurpant, liberè cum tyranno loquitur. *Plutarch in Timoleonte.*

Tyrannis omnibus ſtudioſis libertatis eſt inuiſa. *Dionyſ. Halic. lib.* 4.

Animi inconſtantia, vel victus inopia, vel deſiderium licentiæ & commodorum tyrannidem comitari ſolent. *Idem, lib* 5.

Vnius viri dominatus ſi fuerit crudelis & inſolens, & tyrannica ſtudia inſectari cœperit, à pauis iiſque bonis viris euertitur: at paucorum dominatus qui ex optimis quibuſque viris conſtat, quum diuitiis & ſodalitiis elatus iuſtitiam cæteráque virtutes contemnit, à prudenti populo tollitur: populus

verò

verò quum à modeſtia recedere & ad iniuriam tranſire incipit, ab optimo viro ad ſuum officium vi retrahitur. *lib.7.*

In vulgo tyrannis naſci ſolet. *lib.9.*

Secordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentia credunt exſtingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam. Nam contrà, punitis ingeniis gliſcit auctoritas neque aliud externi reges, aut qui in ſcriptores ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi atque illis gloriam peperere. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Grauiorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes aſpiciuntur. *Idem, Annal lib. 14.*

Merces ab eo qui iubere poteſt, vim neceſſitatis adfert. *Idem, Anna. lib. 14.*

Pulcherrimè à diis immortalibus comparatum eſt, vt nullam tyrannidem vſque ad tertiam generationem propagent: ſed aut confeſtim tyrannos tanquam proceras piceas perdant & exſtirpent, aut liberos eorum viribus denudent, ac ſpolient. *Ælian. var. hiſt. lib. 6. cap. 13.*

Tyrannidem nemo, niſi celeriter maturatam ſecretò inuadit, & publicè armat. huius ſumma eſt, aſſumpto diademate & purpura, videri antequam ſciri. *P. Oroſius, hiſt. lib. 7. cap. 40.*

TYRANNIS *popularis.*

Qui è tyrannide ſunt elapſi, ſeſe (niſi retineantur) in effrænatam licentiam præcipitant, quæ quidem & ipſa iure tyrannis poteſt appellari: nam & populus, cùm indignis dat quod dignis adimit, cùm gradus & merita ciuium confundit, tyranno eſt ſimilis: cuius tyrannis eò fortè perniciòſior eſt, quo periculoſior ignorantia; quæ nec pondus nec menſuram, nec legem habet, quàm malitia, quæ tamen ipſa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo termino gubernatur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 2.*

TYRANNORVM *depulſores.*

Acceptius præſtantiúſque tyrannorum depulſoribus nihil eſt; quorum gratia eò demum auctior erit, ſi modeſti ipſi atque abſtinentes ſint. Quippe humanæ mentes, fruſtratæ boni ſpe, aſperius offenduntur, cùm mutato rectore flagitioſo ærumnarum vis manet. *Aurel. Vict. lib. de Cæſarib.*

TYRANNORVM *dignitas momentanea.*

Accidere plerunque ſolet, vt imperia non diu maneant apud illos qui ea rapuerunt: ſed auolent citò, quaſique aufugiant, tanquam ſi paulatim dominos ipſos incipiant agnoſcere. *Conſtant. Manaſſ. Annal. pag. 79.*

TYRANNVS.

Hoc nomen quaſi ſeminarium in ſe continet crudelitatis, & omnes hominum iniurias ſceleráque complectitur. *Polyb. l. 2.*

Tyrannum etiam tempore pacis capere & ſummis afficere cruciatibus, optimum ſimul atque honorificum eſt. *Id. eod. lib.*

Nullam ſpem ſalutis niſi in ſubditorum diſſidio inter ſe ac mutua diffidentia habet tyrannus. *Plutarc. in Dione.*

Nihil timidius eſt tyranno. *Idem, in Arato.*

Nullus eſt qui non videat manifeſtè ex plebis adulatione omnem tyrannum fieri: & compendioſiſ-

ſimam eſſe viam iis qui ciuitatis libertatem opprimere volunt, eam quæ per fauorem peſſimorum ciuium ducit ad potentiam. *Dionyſ. Halic.lib.6.*

Vt faciẽdis ſceleribus promptus, ita audiendi quæ facit inſolens eſt. *Tacit. Annal.lib.15.*

Tyrannum longa prædeceſſorum ſerie manentem non manus ſubditorum, ſed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depellunt. *Idem, hiſt.lib.1.*

Sub tyranno inertia pro ſapientia eſt. *Idem, in vita Agric.*

Optat mundi generale habere ſeruitium: cauſis prælij non requirit, ſed quicquid commiſerit hoc putat eſſe legitimum. Ambitum ſuum brachio metitur, ſuperbia licentiam ſatiat. Ius faſque contemnens hoſtem ſe exhibet naturæ cunctorum. Omnium meretur hic odium, qui in commune omnium ſe approbat inimicum. *Iornand.lib de reb. Getic.*

Ego felicem non exiſtimo eum qui populi ſui facultates diripit, & eam ad rem ſemper ſycophantas ſubornat: & ipſe eos accuſat, ſi alium non inuenerit: & aurum ex vniuerſo terrarum orbe coactum ſibi ſoli recondit: & vrbes ſpoliatas eo redigit, vt cõſtituta tributa haud facilè pendere poſſint. *Suidas in Leone Macelle.*

Modico is imperio non contentus erit, qui ampliſſimum audaciâ ac ſcelere parari poſſe confidit. *P.Iouius, hiſt.lib.13.*

TYRANNI & regis diſcrimen.

Tyranni opus eſt ſuis malefaciẽdo, cum terrore imperium exercere in inuitos, & mutuo odio cum ſubditis indeſinenter verſari: contrà, Regis proprium eſt, omnibus benefaciendo, cum liberalitate atque clementia ſponte ſubiectos gubernare, in mutua ſemper beneuolentia ac charitate viuere cum ciuibus. *Polyb.lib.5.*

V.

VACATIO à reipub. adminiſtratione.

MAgiſtratus, & imperia, poſtremò omnes cura rerũpublicarum, minimè mihi hac tempeſtate, cupiendavidentur: quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem ius fuit, vtique tuti, aut eo magis honeſti ſunt. Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quãquam & poſſis, & delicta corrigas: tamen importunum eſt: cum præſertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliáque hoſtilia portendant. *Salluſt. de bello Iugurth.*

VANITAS vitæ humanæ.

Id quidem virium credẽdum eſt habere fortunam bonos viros oppugnantem, vti pro merito honore & gratia quãdoque grauibus reprehenſionibus & calumniis eos onerans, virtuti fidei aliquantum deroget. *Plutar. in Phocione.*

Multi qui iuſtitia confiſi iniuſtos adorti ſunt, & contra alij freti viribus qui iniuſta ſe poſſe obtinere ſperabant, illi non ſolùm non depulerunt iniurias, ſed ſuccubuerunt. Hi verò non tantùm alienis haud ſunt potiti, ſed ſua etiam amiſerunt. Nã nec cauſa, nec virium excel-

excellentia habet exitus certos:ſed plerunque vincit incerta fortuna, quæ cùm ſit fallaciſſima, tamen eo eſt vtilis, quòd timorem & prouidentiam vtriſque adfert. *Thucyd. lib.4.*

Nullam magnam hominũ proſperitatem integram, moleſtiæque expertẽ eſſe patitur, ſed vitam humanam lætis aduerſa miſcendo temperat ſiue fortuna, ſiue rerum viciſſitudo,ſiue neceſſitas.*Plutarch. in Mario.*

Parum tuta per ſe ipſa probitas eſt.*Saluſt. de bello Iugurth.*

Parum fidei miſeris eſt. *Idem, ibidem.*

Hormiſda Perſa interrogatus quid de Roma florente & triumphante ſentiret?id tantùm ſibi placuiſſe aiebat, quod didiciſſet ibi quoque homines mori. *Amm.Marcell.lib.16.*

Homines in vlciſcẽdis vitiis,quibus ipſi vehementer indulgẽt, acres ſunt.*Aurel.Vict.hi.Auguſt.*

Prudentiſſimus quiſque fil um ſimilem fore ſui credit, quod longè ſecus euenit, quaſi natura lege. quæ crebro tanquam ex induſtria malos è bonis, agreſtes è doctioribus, & cæteros huiuſcemodi ſeu contra gignit.quo demum exẽplo, ſapientium plures caruiſſe liberis vtilius duxere. *Aurel.Vict.de Cæſarib.*

Haudquaquam nunc primùm id contigit,vt egregia virtutis probitatiſque opera per nequitiam & praua delerentur facinora. Iampridem enim humanis rebus id apertè inſitum eſt, & ſanè pleraque proborum hominum facta, deperdita peſſimorum quorundam prauitas intercidere ac corrumpere potuit.*Procop.de bello Goth.lib.3.*

Multa conuicia,multæ etiam laudationes præter æquitatem in vita verſantur:illa in eos,qui nihil com miſerint, hæ in eos qui nihil laude dignum geſſerint.*Niceph.Gregoras, hiſt.lib.6.*

Nihil eſt in vita durabile:non opes,non imperium, non potentia. *Conſt Manaſ. Ann pag.26.*

Nulla vitæ felicitas tempeſtatis ac doloris expers eſt,nec proſperitas eſſe poteſt vlla, cum qua non exiſtat etiam aliquid quod hominem mordeat.Etenim ipſa quoque roſa, licet fragrans ſit, crebris tamen ſpinis horret:itémque vultum ſolis nubes interdum caligine quadam obuelant.Conſimili modo inuidia comitatur eos qui virtutem colunt, omnémque ſancta proſperitas, & vita ſplendens in hominum oculis, admiſtam quandam infelicitatem ſecum trahit.*Id.pag.70.*

Fortuna vtraſque vires ſuas in longioris vitæ regibus oſtendere mortalibus præclarum ducit:& qui duces nullam niſi ſecũdam in ſummis conatibus ſemper experti dicũtur iuuenes ferè fato functi ſunt. Ita Numini credo viſum,ne res humanæ veram ſolidámque felicitatem dare poſſe videantur.*P.Æmyl. lib.2.*

Mare,cœlum,terra,caſus,natura, ius,iniuria,interitum adferunt. & vita nonnũquam morte ingratior, ac multos nõ natos præſtaret.*Id l.3.*

Alienum prorſus à decreto compoſiti animi,inanéque eſt, ea appetere, quæ ambientis animi deſiderium non finiunt,& multò meliora cunctis imperiis contemplanti animo virtus ardua, & præduleis diuinarum rerum cognitio polli-

centur. *P. Iouius, hiſt. lib.* 14.

Honeſtiora ſpecioſioráque conſilia eos, qui cadentibus rebus ſuis pertinacius cum irata fortuna colluctantur, plerunque duriſſimis caſibus reſeruant. *Idem, hiſt. lib.* 15.

VATES.

Nullum maius impedimentum quàm vates ſuperſtitione captus. *Curt. lib.* 9.

VECTIGALIA.

Imperium diſſoluitur, ſi fructus quibus ſuſtinetur Reſpublica deminuuntur. *Tacit. Ann. lib.* 13.

Sed ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter ſe congruere debent.

Temperandæ item planè publicanorum cupidines, ne vectigalia per tot annos ſine querela tolerata, nouis acerbitatibus vertant ad inuidiam. *Idem, ibid.*

VENATIO, *belli effigies.*

Venationis ſtudio dediti magnam ex eo vtilitatem capient. Nã corporibus bonam valetudinem comparãnt, vident audiúntque magis, ſeneſcunt minus.

Hæc ad bellum præcipuè inſtituit. Primò quidem ſi vias iniquas ſub armis ambulãt, minus laſſantur: nã labores ſuſtinebũt quibus feras capere conſueuerũt. Deinde poterunt humi iacẽtes quieſcere, & imperata in re cuſtodias egregiè obire. In adeũdis inuadere ſimul & imperata facere, quum feras ipſi hoc modo venentur. Nec verò in fronte locati deſerent acies, quia patiẽtiſſimi ſunt: at in hoſtium fuga vbique illos propter cõſuetudinem tutò rectéque perſequentur.

Quòd ſi exercitus ipſorum infeliciter pugnauerit in ſiluoſis, abruptis, iniquíſque aliis locis ſeipſos cum cæteris non indecorè ſeruare poterunt. Nam conſuetudo venãdi nonnihil eos peritiores reddet. Et tales aliquando, quum magna commilitonum turba fugiendo dilapſa eſſet, victores hoſtes propter locorum difficultatem errãtes, ſuo ipſi robore & audacia repugnãdo terga dare coegerũt. Nam qui tum à corporibus, tum animis egregiè comparati ſũt, haud procul abſunt ab eo, vt rem proſperè gerant.

Id quum maiores noſtri ſcirent, hinc rem aduerſus hoſtes bene geri, ſtudium hoc iuuenum inſtituerunt. Nam quum ab initio frugum penuria laborarẽt, venatores, tamẽ non prohibere ſanxerunt, quia videlicet nil eorum venantur quæ de terra gignuntur: quinetiam intra multa eos ſtadia nõ pernoctare, ne huius artis periti homines ſuis ipſos prædiis priuarent. Videbãt enim hãc vnam eorum voluptatem iunioribus bona multa comparare, quum temperãtes eos faciat & iuſtos, quod procul à dolo & fraude erudiantur, & res bellicas per hanc ſibi ſuccedere intelligebant: quæ ſi quid aliud honeſtum exercere velint, nihil impediat, ſicut prauæ aliæ voluptates quæ diſcendæ non ſunt.

Hinc igitur boni milites boni imperatores euadunt. Quorum enim labores ex animis & corporibus turpitudinem & contumeliam expellunt, cõtrà verò cupiditatẽ virtutis in eis augẽt, ij optimi ſũt: quippe qui nec patriæ iniuriam inferri, nec regionẽ ſuam adfligi ſinerent.

Dicunt verò nonnulli venationibus delectari non oportere, ne res familiaris negligatur, neſcientes qui

qui de Republica & amicis bene merentur, eos omnes circa rem familiarem eſſe diligentiores. Quod ſi ſtudioſi venationis ita ſe comparant, vt patriæ in maximis rebus vtiliſſimi ſint, hi certè nec priuata neglexerint. Nam ſua cuiuſque vna cum Republica ſeruantur & pereunt. Itaque priuatas res ſuas & aliorum pariter, tales viri conſeruant.

Sed eorum multi qui hęc ſine ratione dicunt, præ inuidia ſuo ipſorum vitio perire, quàm aliorum virtute ſeruari mallent. Nam voluptates pleręque prauæ ſunt, quibus victi peiora vt dicant vel faciant inducuntur: deinde ex inanibus dictis odia ſibi comparant: ex improbis facinoribus morbos, damna, mortes: nec ſibi ſolum, ſed liberis quoque & amicis. Hi ſenſu malorum ſuorum deſtituti, voluptates prius etiam quàm cæteri ſentiunt: quibus hominibus ſalutem reipublicæ quis committat?

Verùm ab eiuſmodi malis nemo non abhorrebit, iis delectatus ad quæ nos hortamur. Honeſta enim educatio docet vti legibus, dicere de rebus iuſtis & audire. Quo fit vt qui nunquam ad aliquod negotium laborando niti & inſtitui recuſant, ij & ſibiipſis doctrinam laborioſaque ſtudia vindicent, & ſuarum rerumpubl. ſalutem: qui verò non in labore doceri, ſed in voluptatibus importunis degere volunt, hi natura peſſimi ſunt: quippe qui nec legibus, nec rectè dictis obediant. Nam quia laborem fugiunt, qualem virum bonum eſſe oporteat, non inueniunt. Itaque nec religioſi eſſe poſſunt, nec ſapientes: & quia indoctis vtuntur, doctis plurimum cōuitiantur. Per hos igitur nihil bene cedit, per meliores verò commoda omnia hominibus inueniuntur.

Meliores autem ſunt qui laborem amplectuntur: quod ita eſſe magno probatur exemplo. Nam veteres apud Chironem, facto à venationibus initio, multa & honeſta didicerunt: ex quibus magna illis virtus acceſſit, propter quam nunc ſunt in admiratione. *Xen. lib. de venat.*

VENIA.

Id dignum eſt venia, quod non ſponte fit. *Thucyd. l. 3.*

VERBA.

Verba innocenti reperire facilè eſt: modum verborum miſero tenere difficile. *Curt. l. 6.*

Compertum habeo, verba virtutem non addere, neque ex ignauo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. *Sall. ſt. de coniur. Catil.*

VERBA *inutilia.*

Nihil ſtultius, quàm res claras atque euidentes putare verbis diu poſſe celari. *Polyb. l. 4.*

VERBIS *fides adhibita.*

Oratorum calliditas, auditorúmque imperitiā & ruſticitas, fidem verbis conciliat. *G. Pachymer. hiſtor. libr. 5.*

VERECVNDIA.

Non modò magiſtratum, ſed illos etiam quos non metuunt, magis reuerentur homines verecundi quàm inuerecundi: & mulieres, quas eſſe verecundas animaduertunt, homines intuentes viciſſim volunt revereri. *Xen. de inſtitut. Cyri, lib. 8.*

Adulationibus ad probandas iniuſtas preces Brutus nunquam ſe

adduci patiebatur: & importunitati impudenter potentium ſuccũbere, (id quod nonnulli verecundia vinci appellant) turpiſſimum magno viro iudicans eſſe, dicere ſolebat, Videri ſibi malè illos tempus ſuum collocaſſe, qui nihil negare didicerint. *Plutar. in Bruto.*

Verecundia iuſtiſſimis viris præcepit, vt priuatas facultates negli gerent, publicas quàm ampliſſimas eſſe cuperent. Digna cui perinde atque cæleſti Numini extruãtur templa atque aræ cõſecrentur: quia parens eſt omnis honeſti conſilij, tutela ſolennium officiorum: magiſtra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni locô, omni tempore, fauorabilem præ ſe ferens vultum. *Valer. Maxim. libr. 4. cap. 5.*

Verecundia dum militem prohibet fugere facit eſſe victorem. Quid enim prodeſt, ſi exerceatur ignauus? ſi pluribus ſtipendiis mereatur in caſtris. *Veget libr. 1. cap. 7.*

Profectò verecundia eſt genero ſos homines ſeipſis inferiores ac infra ſuam virtutem agere videri. *Procop. de bel. Vandil. l. 2.*

Veritas.

Veritas prudentiæ & ſapientiæ initium, in hiſtoriis eſt recondita. *Dionyſ. Hal. l. 1.*

Veritas viſu & mora, falſa feſtinatione & incertis valeſcunt. *Tacit. Ann. l. 2.*

Veritatis ſermo eſt ſimplex. *Am. Marcel. l. 14.*

Veritatis oratio ſoluta eſſe debet & libera. *lib. 17.*

Veritas, hiſtoriæ anima rectè dici poteſt, & ſacrarium, cui qui mẽdacium præfert, planè ſacrilegus eſt. *G. Pachym. hiſt. l. 1.*

Veritas *hiſtoriæ lux.*

Perinde ac ſi quis oculos animãti effoderit, quicquid ſupereſt corporis fit inutile: ita dempta ex hiſtoria veritate, narratio omnis inutilis eſt. Quamobrem neque à reprehenſione amicorum, neque ab inimicorum laudibus, cùm res ita feret, abſtinendum eſt: neque turpe putandum, ſi eoſdem aliquando reprehendamus, interim laudemus. Siquidem eos qui in rebus gerendis verſantur, neque ſemper rectè facere, neque continuò errare, veriſimile eſt. Oportet itaque vt abſtinentes perſonis, de geſtis illarum competenter in commentariis ſentiamus, ac pronuntiemus. *Polyb. l. 1.*

Antiquis ſcriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiuſquam, Punicas Romanáſve acies lætius extuleris: at multorum qui noſtro ſeculo pœnam vel infamiam ſubiere, poſteri manent. vtque familiæ ipſæ iam exſtinctæ ſint, reperies qui ob ſimilitudinem morum, aliena malefacta ſibi obiectari, putent: etiam gloria ac virtus infenſos habet, vt animus ex propinquo diuerſa arguens. *Tacit. Annal. libro quarto.*

Veritas pluribus modis infringitur. primùm inſcitia Reipubl. vt alienæ, mox libidine aſſentãdi, aut rurſus odio aduerſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis, inter infenſos vel obnoxios. *Tacit. hiſtor. libr. 1.*

Veritas *mendaciis premitur.*

Ita comparatum eſt, vt qui figmento-

mentorum portentis aures prębēt, & ipſi mox aliquid affingant: quo fit, vt mendaciorum quaſi colluuie veritas vitiata ſuam prorſus authoritatem perdat. *Pauſan. l. 8.*

VERITAS *neglecta.*

Vulgo negligitur veritatis inueſtigatio. Sed ad ea quæ fortè & temere oblata ſunt potius feruntur homines. *Thucyd. l. 1.*

VERITAS *rerum abdita.*

Maxima quæque ambigua ſunt, dum alij quoquo modo audita pro compertis habent, alij vera in contrarium vertunt: & gliſcit vtrunq; poſteritate. *Tacit. Ann. l. 3.*

VERITATIS *efficacia.*

Veritati maximæ vires additæ ſunt, quòd cùm ab omnibus impugnetur, nonnunquam & omnis generis ſuadelæ vna cum mendacio aduerſus eam armentur, neſcio quomodo ipſa per ſe animis mortalium illabatur, & nonnunquam confeſtim vires ſuas exerat: aliquando verò, vbi multum temporis in obſcuro delituit, tandem per ſeipſam emergat, & mendaciū manifeſtet. *Polyb. hiſt. l. 13.*

VETVSTAS.

Non opera ſolùm manu facta, ſed etiam ipſam naturā paulatim exedendo perimit vetuſtas. *Curt. libro.*

VEXATIO *dat intellectum.*

Eſt ita comparatum, vt omnes qui in periculo ſunt, quandiu ſpem ſubſidij in amicis ac ſociis habent, tandiu cum iis amicitiam putent ſeruandam. Vbi verò ſpes omnis ſublata eſt, tunc ipſi per ſe propriis rebus conſulere cogantur. *Polyb. libro 4.*

Eſt omnibus hoc commune vt malis conflictati, virtutis recordētur: ſed non omnium eſt ea quæ probant imitari, aut fugere quæ improbant, rebus afflictis: eo quòd nonnullorum animi præ imbecillitate concedunt ac franguntur. *Plutar. in Antonio.*

VICISSITVDO *rerum humanarum.*

Si tibi videris eſſe immortalis (*Crœſi ad Cyrum verba*) & eiuſmodi exercitui præeſſe, nihil opus eſt vt meam tibi dicam ſententiam: ſin verò te quoque agnoſcis hominē eſſe, & aliis mortalibus præeſſe, illud in primis diſcito, humanarum rerum circulum eſſe, qui rotatus, ſemper eoſdem fortunatos eſſe nō ſinit. *Herodot. l. 1.*

In diuturno tempore multa videntur quæ nemo videre velit, & tolerantur multa quæ nolit quiſpiam tolerare. *Idem.*

Accidit aliquando, vt caſus aliquis conatibus bonorum virorum reſiſtat: nonnunquam vſu venit, vt iuxta prouerbium, qui bonus eſt, à meliore ſuis votis fraudetur: quod Hannibali à Scipione ſuperati euenit. Quando verò ea quæ communem conſuetudinem & mores quorundam excedunt propter magnitudinem caſuum in ſe periclitantur, commiſerationem apud ſpectatores & auditores merentur, & vnumquemque noſtrûm rei nouitas & inſolentia commouet. Si verò tale, quod propter impoſturā & hypocriſin accidere videtur, nō commiſerationem, ſed iram excitat & odium. *Polybius, hiſtor. lib. decimoquinto.*

Eſt ita comparatum natura, vt rerū humanarum viciſſitudo huc illuc omnia transferat. *Pauſan. libro quarto.*

Si cui varias humanarum rerum vices incertámque fortunam mẽte contemplari libuerit, haud ſanè mediocri, ſingula quæque inſpiciendo, admiratione meritò capietur: cùm nullũ penitus ex his quæ à nobis bona putantur, purum cõpræhenderit atque ſine omni prorſus moleſtia ſincerum mortalibus vnquam obtigiſſe: contráque nullum vſquam tam extrema conditione malum, qui cum non aliqua quocũque modo præſidij ratio comes & voluptatis adueniat, *Diodor. Sic. Antiq. l.* 12.

Vtrum vobis videtur (*dictum Æmylij Pauli*) conuenire, vt homo reb. feliciter geſtis, gente, vrbe, aut regno ſubacto, criſtas erigat, animũque attollat, an potius fortunę vices ſecum expendat? quæ communis imbecillitatis exemplum victori proponens, docet ne quid ſtabile aut perpetuũ putemus. Quod enim tempus homini eſt confidendi rebus ſuis? quando victoria de aliis parta, maximæ fortunæ mutationem timere nos cogit, conſideratióque fati modo huc modo illuc decumbentis etiam gaudentibus ſummam adfert anxietatem. An vos, cùm Alexandri regnum, quod ad ſummam potentiam peruenerat, vnius horæ particula euerſum, regéſque modo multis equitum peditúmque millibus ſtipatos, nunc de manibus hoſtium quotidie cibum ac potum ſumere videatis, res noſtras ſtabilitate fortunæ in omne tempus firmatas putatis? quin vos, ô iuuenes, inanem potius animi elationem, iactantiámque victoriæ cauſa natam cõpeſcite, vóſque pauidi demittite, ac futuris ſemper animum intendite, exſpectãtes quonam vnicuique veſtrûm incommodo fortuna præſentem felicitatem ſit compenſatura. *Plutar. in Æmyl. Paulo.*

Nolite exiſtimare maiores noſtros armis rempubl. ex parua magnam feciſſe. Si ita res eſſet, multò pulcherrimã eam nos haberemus: quippe ſociorum atque ciuium, præterea armorum, atque equorũ maior nobis copia quàm illis eſt. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriã, atque auaritiam, publicè egeſtatẽ, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, ſequimur inertiam: inter bonos & malos nullum diſcrimẽ eſt: omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. *Sall. ſt. de coniur. Catil.*

Quæ acciderunt, accidere poſſunt. *Liu. Decad.* 3. *l.* 8.

Simul parta ac ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt. *Liu. Decad.* 3. *l.* 10.

Multum animis hominum, & fiduciæ adiicere, & ſolicitudinis detrahere, poteſt morum ac fortunæ in claris viris recognita mutatio, ſiue noſtros ſtatus, ſiue proximorum ingenia contemplemur. Nam cùm aliorum fortunas ſpectando, ex condicione abiecta atque contẽpta emerſiſſe claritatẽ videamus, quid oberit, quin & ipſi meliora de nobis ſemper cogitemus? memores ſtultum eſſe perpetuæ infelicitatis ſe prædamnare: ſpémque quæ etiam incerta rectè fouetur, interdum certam in deſperationem cõuertere. *Valerius Maximus libro* 6. *cap.* 9.

Quem-

Quemadmodum vrbium imperiorúmque, ita gentium nunc floret fortuna, nunc ſeneſcit, nunc interit. *Vell. Patere. l. 2.*

Cuncta mortalium incerta ſunt, quanto quis plus erit adeptus, tantò ſe magis in lubrico verſari profitebitur. *Tacit. Ann. l. 1.*

Breuibus momentis ſumma verti poſſunt. *Idem, l. 5.*

Quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, noua fuere. *Tacit. Annal. libro vndecimo.*

Nihil tam gratum eſt fortunæ quam vt ea quæ ſunt in publicis actibus euentuum varietate mutentur. *Fl. Vopiſc. in Caro.*

Omnium rerum ſemper quaſi naturali lege mutatio eſt. *Spartian. in Seuero.*

Cuncta in orbis modum vertuntur, nihilque accidit quod rurſum naturæ vis ferre nequeat æui ſpatio. *Aurel. Vict. l. de Cæſarib.*

Humana ſæpe contingit à Deo mutari. *Procop. de bel. Vandilic. libro primo.*

Fortunæ commutatio res etiam deſtruit bene conſtitutas. *Idem, eodem libr.*

Non omnia mortalibus ad vota ſuccedunt, ſed aliter ſæpius eueniunt, ac viſum his ſit. nam ex inſperato nonnunquam & temere fiunt nonnulla. *Idem, de bell. Goth. libr. 2.*

Tot mutationes me narrantem cogitatio ſubit, quonam modo humana hæc & præſentia fortuna ipſa variando eludat, cum haudquaquam eadem ſe ſemper mortalibus præbeat, nec æquis hos oculis conſpiectur, ſed pro tempore ſimul immutetur & cauſis, hiſque ludificari appareat calamitoſorum hominum dignitatem, hanc ſæpius commutando. *Idem, de bell. Goth. libr. 3.*

Longè falli humana nonnunquã conſueuere. quicunque enim mortalis quum ſit, & difficulter deinde appareat ad temerarios ſe habere fortunę caſus, is ſanè, vti par eſt, ruditatis & inſolentię arguatur neceſſe eſt, & nihilominus fortunæ vel nolens ſubibit neceſſitatem. *Idem, eod. l.*

Quæ in hac vita mirabiliter nõnunquam vel inſperatò contingũt, temporis proceſſu defluere ſolent & labi. *Idem, eod. l.*

Fieri non poteſt vt res humanæ non plerunque in contraria aduerſáque deuoluantur, vel eodem vt ſemper ſtatu procedant. *Agath. hiſtor. lib. 4.*

Rerum viciſſitudo, aliquoties dicto citiùs ingruit. *Nicet. in Alexio, Manuelis F.*

Multæ ſunt belli vices, teſſeræ inſtar voluuntur res mortalium: nunc his, nunc illis fauet victoria: ne Alexandro quidem ferunt omnia ſucceſſiſſe ex ſententia, nec Cæſaris fortuna caruit offenſionibus. *Idem, in Bald. Flandr.*

Nihil Deus in vita præſenti fecit ſtabile & immutabile. Vnde fit, vt omnia terrena mutationibus gaudere ac delectari videamus. *Nicephor. Greg. hiſt. l. 9.*

Vnius anni quatuor ſunt tempora, & paulo momento maximæ incidunt rerum mutationes. *Idem, hiſt. l. 10.*

Si quis eſt, qui ex ingenti gloria per caſum aliquem aduerſum ad conditionem obſcuram ignominioſámque peruenit: is cum animo ſuo perpendens, quo pacto ro-

ſtæ curules ſurſum deorſúmque feratur, ſeipſum conſoletur. Nam ea volutatio perquam illuſtri declarat imagine quàm inſtabilis ſit humana felicitas. *Mich. Glyca, Annal. pag.* 4.

Sicut per æſtatem in iis locis, quę ſunt ad Septentriones, Sol, vbi occidit, minimo poſt interuallo & ſpacio temporis oritur viciſſim ac denuo conſpicitur: ſic etiam illa quæ Gallis in Regni Neapolitani acquiſitione fortuna ſecunda, repẽtè euanuit, & triſtem ſui memoriã reliquit, magno certè Reipublicæ detrimento. *Ph. Comin. libr. 2. de bel. Neapol.*

Res quò ſanctiores ſunt, eo ſæpius ſæuiúſque iactantur: cæteræ, quòd temporibus magis ſeruiant, tutius agunt. *P. Æmyl. l.* 8.

Sunt omnium Rerumpublicarum omniúmque regnorum communes caſus. *Fr. Guicciardin. hiſt. libr.* 8.

Humana conditio ſic fert, vt cùm faſtigium ſuum longè ſupergreſſa videatur, continuò cõcidat. *Arn. Ferron. l.* 3.

VICTI.

Si deuictis miſericordiam veniámque negauerimus, diram vtique & amaram contra noſtrammet ſalutem in poſterum ſempiternis ſeculis legem ſtatuemus. Neque enim fieri poſſe vel debere videtur, vt qui inexorabili ſæuitia crudelitatem in alios exercuerint, ab aliis vnquam clementiam facilitatémque expectent, & qui dira immaniter intulerint, mitia læt àve recipiant. *Diodor. Sicul. hiſtor. libro* 13.

Victis conditiones accipiendæ ſunt, non ferendæ. *Liuius, Decad.* 1. *libro quarto.*

Periculum eſt, ne dum victores nimis facilè victis ignoſcunt, plures ob id ipſum ad experiendam aduerſum ſe fortunam belli incitent. *Idem, Decad.* 4. *l.* 1.

Capta vrbe, nihil reliqui ſit victis. *Salluſt. de coniur. Catil.*

Minor eſt apud victos animus. *Tacit. hiſt. l.* 3.

Nihil aliud exitio Lacedęmoniis & Athenienſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant. *Tacitus, Ann. l.* 11.

VICTORES.

Cum in aliorum victi bonorum poſſeſſionem victor venit, tum verò præſertim nominis eius ſplendorem in ſe transfert: quantóque potentiorem quis aduerſarium deiecerit, tanto altius ipſe ad faſtigium extollitur. *Dion. l.* 41.

Victoribus, decus coniungit & gloria, quæ domi cara, quæ in caſtris honeſta eſt. *Tacitus, Annal. libro* 1.

Plerunque plus ſocordiæ quàm fiduciæ accedit victoribus. *Idem, hiſtor. lib.* 3.

Stultum & ſuperuacaneum fuerit, cum victis ſentire, vbi conciliari victores poſſunt. *Agath. hiſtor. libr.* 5.

Qui numero ac viribus præualent, victores euadere vt plurimũ ſolent. *Procopius de bello Goth. libro tertio.*

VICTORIA.

Victoria præclaras res omnes atque optimas adipiſcitur & tuetur. *Xen. de pæd. Cyri l.* 2.

Illud ſciamus oportet, victoria nihil eſſe fructuoſius. Qui enim vig-

vincit, is omnia ſecum abripit, viros, mulieres, opes, regionem vniuerſam. Præter hæc videndum in primis, vt victoria etiam conſeruetur, quippe qua etiam raptor ipſe continetur. *Idem, de inſtitut. Cyri, lib. quarto.*

De hominibus ita naturæ neceſſitate comparatum eſt vt haud dubiè quiſque ſemper ei dominetur quem ſuperauerit. *Thucydides libro quinto.*

Plerunque fit, vt maior pars meliorem vincat. *Liuius, Decad. 3. libro primo.*

Ambitione imperatorum clades acceptæ ſunt, ſeueritate imperij victoriæ partæ. *Idem, Decad. 5. libr. 5.*

Res humanæ ita ſeſe habent: in victoria vel ignauis gloriari licet: aduerſę res etiam bonos detrectãt. *Salluſt. de bel. Iugurt.*

Ita fert natura vt omnis victor inexatiabili rerum ſecundarum deſiderio efferatur, neque finem vllum cupiditati ſtatuat. *Diõ, lib. 35.*

Victoria non numero hominũ, ſed diuino beneficio conceditur. *Appian. l. de bel. Hiſp.*

Spernenda eſt acies auro & argento fulgens, in qua plus prædæ quàm periculi eſt: cùm victoria non armorum decore, ſed ferri virtute quæratur. *Iuſtin. hiſtor. libro vndecimo.*

Inſperata interdum, ſperata victoria certior eſt. *Idem, l. 20.*

Modica, ſed crebra damna, famã victoriæ nuper partæ lacerant. *Tacit. hiſt. l. 4.*

Vera hæc eſt victoria, quæ ſalua fide & integra dignitatẽ paratur. *L. Flor. l. 1. c. 12.*

Si vis vincere, clementer te age, & de ciuium nece ne cogita. *Fl. Vopiſc. en Aureliano.*

Difficile vincitur, qui verè poteſt de ſuis & de aduerſarij copiis iudicare. *Veget. l. 3. c. 26.*

Amplius iuuat virtus quàm multitudo. Amplius prodeſt locus ſæpe, quàm virtus. *Ibid.*

Nunquam ad certamen publicum produxeris militem, niſi cùm eum videris ſperare victoriam. *Ibidem.*

Qui diſperſis ſuis inconſultè ſequitur, quam ipſe acceperat, aduerſario vult dare victoriam. *Ibid.*

Magna diſpoſitio eſt hoſtem fame magis vrgere, quàm ferro. *Ibidem.*

Non ille hoſtis vincitur ſolus qui cadit in acie, pondere armorũ oppreſſus & virium: ſed multò tutius, etiam tuba tacente, ſub iugo mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. *Amm. Marcel. hiſt. lib. 14.*

Scriptorum veterum mos eſt, ex ea parte quæ vicerit, occiſorum nõ commemorare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris: niſi fortè cùm adeo pauci cadunt, vt admirationem terrorémque virtutis augeat paucitas perditorum. *P. Oroſius, hiſtor. lib. 4. cap. 1.*

Æquitati ſemper ſolet iungi victoria. *Am. Marcel. l. 23.*

Longa mihi opus eſſet oratione (*dictum Beliſarij ad milites*) ad enarrandum quantam vim habeat ad victoriam iuſtitiæ obſeruatio. Huius diſciplinæ ſummam tum pugnæ finem atque fortunam impe-

riti tantùm in dextris conſiſtere exiſtimant. Vos autem qui ſæpe inimicos viciſtis neque corporibus neque viribus vobis inferiores,ſæpe etiam victi fuiſtis:non ignorare puto quod homines quidem vtrinque ex acie inter ſe dimicant, finem verò tantùm quem Deus voluerit conſequuntur. *Procop. de bel. Vandil.l.1.*

Victoria omnes opes in eā partem in quam inclinauerit, deferre eſt apta. *Idem,eod.l.*

Magnam vim habet ad victoriā obſeruatio iuſtitiæ. *Idem ibid.*

Victoria omnia damna tegit, præteritorúmque oblita malorum ſemper noua meditatur. *Eod.lib.*

Non in numero aut multitudine bellatorum,ſed in ordine atque fortitudine belli exitus ac robur conſiſtit. *Idem,l.2.*

Multa victoriam fortibus viris pollicentur: iuſtitia in primis (*inquit Beliſarius*) pro qua contra iniuſtos & iniquos venimus, noſtra quoque recuperaturi: præterea Vādilorum contra ſuum tyrannum odium atque maleuolentia. Deus nanque auxilium iuſta petentibus ſemper adeſſe ſolet. Miles quoque imperanti minimè beneuolus agere fortiter ignorat. Præter hoc nos cum Scythis & Perſis omne æquum res geſſimus. Vandili autem ex quo Africam ſunt adepti,neminem inimicum præter nudos Numidas habuerunt. Quis autem ignorat,quòd omnis diſciplinæ ratio exercitatione augetur,ocio verò debilitatur? Nam vallum videtis nobis eſſe,vnde aciem progredi oportet,munitiſſimum. Adſunt & arma, & alia quæcunque ferre non valemus,hîc preſtò parata, & demum huc reuertentibus nihil nobis neceſſariorum deeſt. *Idem, eod. lib.*

Vnam eſſe victoriam puram ac ſinceram homines arbitrantur,nihil ab inimicis graue pati. *Idem,de bel. Perſ.l.1.*

Nil maiori eſſe voluptati mortalibus poteſt,quàm hoſtem armis peruincere. *Idem, de bel. Goth. libro primo.*

Qui in ancipiti poſiti ſunt, neo in hoſtem vnum intenti,par erit omnino vt ab aduerſariis ſuperētur. *Idem,eod.l.*

Non armis adeo ac pietate paratur victoria. Nec enim reor bonitatis illius ſummæ præſidio frui prauos & nefariōs viros. *Agath.hiſtor.lib.3.*

Dei arbitrio expenditur victoria,neque ad inſolentiſſimos quoſque illa accedit, ſed ad eos duntaxat, ad quos conditor ille rerum & moderator accedere voluerit. *Idem,hiſt.l.1.rtio.*

Non reor corporis viribus potius quàm recto iudicio & prouida cogitatione poſſe hoſtes peruinci. *Idem,l.5.*

Sapienter,quiſquis ille eſt, qui ait,aut vince,aut vincenti pare: fortis námque animi eſt,ſi poſſis,vincere: ſi verò non poſſis,potentiori obtemperare,& fortunæ tempeſtatíque concedere. *B. Facius,hiſtor. libr.4.*

Ne tantum tuæ(*dictum Alphonſi regis ad Ferdinandum filium*) aut tuorum militum fortitudini fidas, vt arbitreris abſque diuina ope hoſtes à te ſuperandos. Victoria etenim non ex hominum conſiliis, ſed ex ſummi Dei voluntate ac poteſtate proficiſcitur. Tum denique tibi

tibi militares artes profuturas ſcito, cum Deum tibi pietate ac iuſtis factis reddideris propitium. Eum igitur, ſi vincere expetis, pura mente colito: ſpémque omnem victoriæ in eo reponito. Et ſi quãdo (quod ſolet in bello contingere) tibi quicquam aduerſi contigerit, quo exiſtimare poſſis ipſum Deum tibi ſubiratum eſſe: vide ne ab eo per impatientiam atque animi perturbationem diſcedas, ſed potius ſatisfaciendo ei reconciliari ſtude. Solet enim Deus quos diligit interdum malis afficere: & quos conſtantes in aduerſis videt, rurſus in meliorem fortunam reſtituere. Exiſtimationis tuæ tibi diligentiſſima tibi ratio habenda erit, putandámque nihil ea re in humanis rebus pluris eſſe aut fieri debere. Quippe cùm victoria nonnunquam magis exiſtimatione & fama, quàm militum robore ac virtute comparetur. Et victoria quidem ſæpe cladibus mutatur: at fama ſi cum probitate ac fide coniuncta fuerit, & permanet & cum omni æuo perdurat. *Idem, hiſtor. libro* 10.

Victoria ferox virago eſt. Illius modò dextram, modò aliam corporis partem prehenſamus. Nondum totum potuimus corpus. *P. Æmyl. l.* 2.

Anteuertendo ac diuertendo victoria ex bellis reportari ſolet. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 1.

Facilius eſt eos qui iam declinare inceperunt, quam qui adhuc exiſtimationis culmen tuentur, opprimere. *Idem, l.* 4.

Nulla victoria vtilior, præclarior, magíſve glorioſa eſt, quàm ea quæ abſque militum ſuorum

in detrimento & ſanguine comparatur. *Idem, l.* 15.

Omnis victoriæ fructus in eo conſiſtit, ſi ea bene vtaris: id verò prætermittere, tanto maius quam non viciſſe dedecus eſt, quanto maiore noſtra culpa in iis rebus quæ in poteſtate noſtra ſunt erramus, quam in iis quæ ex fortunæ pendent arbitrio. *Idem, l.* 16.

Potior eſt moderata ſine vulnere victoria, quàm eadem, ſi decertes & vincas, ſummè optima cruẽtáque. *P. Iou. hiſt. l.* 4.

Ea plena veráque victoria exiſtimanda eſt, quæ ducis ingenia atque artibus magis, quàm quæ aperta virtute atque audacia militum comparatur. Sic Romani quõdam omnium gentium victores, ferocia atque immania corpora, ſolis confiſa viribus atque lacertis, ſæpe prælio ſuperarunt, quum illi diſciplinam atque aſtus imperatorios antecapere locum caſtris, circumuallare exercitus, non ordine, non acie iniuſſu ducis excedere, ex iniquo loco nunquam dimicare, nihil ex prouocatione commoueri, plures ex inſidiis paucos circumuenire, dolum timorem, ignauiam proditionem appellare conſueuiſſent. *Idem, l.* 13.

Prudentiſſimi imperatores non in multa cæde hoſtium, ſed in ſalute atque incolumitate ſuorum militum victoriæ gloriam poſuerunt. *Idem, l.* 14.

Solet Deus his qui iuſta ac neceſſaria arma induerunt, & belli cauſa præſtiterunt, certam vincendi occaſionem proponere. *Idem, lib.* 17.

VICTORIA *preclara.*

Perpulchrum quidem videtur

eſſe muros ſuperari inexpugnabiles ab hoſtibus: ſed ego longè pulchrius iudico, ſuum animum ita comparare, vt & pecuniis, & voluptatibus, & metu ſit inexpugnabilis. *Xenophon Orator. de Ageſilai laudibus.*

Benignitate atque clementia hoſtem vincere, quàm armis præſtat. Hic enim neceſſitate, vt pareant homines, inducuntur, illic voluntate: & hic quidem cum graui ſæpe iactura errata coniunguntur, illic ſine aliquo detrimento emendantur delinquẽtes. Præterea quod maius, hic magnam laudis partem commilitones ſibi vendicant, illic omnis victoria tribuitur duci. *Polyb. l.5.*

Alexander ſeipſum vincere quã hoſtes magis regium eſſe exiſtimabat. *Plutar. in Alexandro.*

Veteres philoſophos, atque ſummos illis temporibus viros, cũ eam gloriã, quæ ex ſuiipſius gloria comparatur, veram, firmam, æternam, immortalémque eſſe affirmarunt, eámque ſupra omnia regna, trophæa, atque triumphos extulerunt, minimè erraſſe manifeſtum certiſſimumque eſt. hæc Scipioni maiori tot victoriis claro, maiorem ſplendorem quàm Africa deuicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donauit? quum Darius maximo prælio ab illo victus, deos immortales vt regnum ſuum ſtabilirent rogauit: quod ſi ſecus ſtatuiſſent, ſe non alium ſucceſſorem quàm tam benignum hoſtem, tam manſuetum victorem ab illis petere. Cæſar dictator concedendo, remittendo, condonando, qui in numerum heroum referretur dignus eſt iudicatus. Denique Senatus populúſque Romanus plures populos atque prouincias clementia, manſuetudine & æquitate quàm bello armiſque imperio ſuo ſubiecit. *Fr. Guicciardin hiſtor. libro octauo.*

VICTORIA *vera.*

Seipſum quàm hoſtem ſuperare multò operoſius eſt: nec aduerſa præpropera feſtinatione fugere, nec ſecunda effuſo gaudio apprehendere *Valerius Maximus libro 4. cap. 1.*

Si egregium eſt hoſtem abiicere, non minus tamen laudabile, infelicis ſcire miſereri. *Idem, libro 5. cap. 1.*

Cn. Pompeius Tigranem regem bello ſuperatum certis rebus imperatis in priſtinum fortunæ habitum reſtituit: æquè pulchrum eſſe iudicans, & vincere reges, & facere. *Idem, ibid.*

Hi maximè hominum vincunt, qui fas colendo ſponte cedentes vincuntur. *Procop. libro primo de bell. Perſ.*

VICTORIÆ *vſus.*

Rectè victoria vti præclarius eſt quàm ipſum vincere. Hermocratis dictum. *Plutar. in Nicia.*

Plus eſt prouinciam retinere, quàm facere. *L. Florus, libro 2. cap. 17.*

Viribus parantur, iure retinentur. *Idem, l. 4. cap. 12.*

VICTORIÆ *acquirendæ modus.*

Illis timidis & ignauis licet eſſe, qui

ſe, qui receptum habent, quos ſuus ager, ſua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipiunt: militibus ab hoſte circumſeptis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, & omnib. inter victoriam mortém ve certa deſperatione abruptis, aut vincere, aut (ſi fortuna dubitabit) in prelio potius quàm in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, deſtinatumque in animo eſt, dicam, viciſtis. nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius datũ eſt. *Liu. Decad. 3. l. 1.*

VICTORIÆ *ius.*

Eſt æterna lex inter omnes homines, capta eorum vrbe qui bellum aliis faciunt, tam corpora illorum qui in vrbe ſunt, quàm fortunas, eis deberi, qui vrbem capiunt, *Xenophon de inſtitut. Cyri, libro 7.*

VICTORIÆ *moderatio.*

Poſt victoriam præſtanti quadã opus eſt moderatione ac temperantia, ne quis proſpero curſu fortunę fiat inſolentior, & ea deinde conſilia ſequatur, quæ ad præcipitium deducunt, id quod non paucis florentiſſimis viris accidiſſe conſtat. *P. Comin. l. 2.*

VICTORIÆ *ſpem quæ faciant.*

* Spem non dubiam rei bene gerendæ pollicentur, cauſa in primis longè optima, fidus ac veteranus miles, tormenta plurima, locus æquiſſimus, & nullius demum rei, præterquam communis ſalutis. & gloriæ reſpectus. *P. Iouius, hiſtor. libro 2.*

VICTORIÆ *ſtimuli.*

Græcos ad certamen aduerſus Perſas incitans Xenophon, inter alia dicebat, Qui ſuos videre cupit, virum ſe ſtrenuum præbeat: neque enim aliter quiſquam ſperare poſſe ſe voti compotem fore. Qui viuendi cupiditate tenetur, is viuere contendat: eſt enim victori hoſtium cædes, victo mors propoſita. Qui pecuniam concupiſcit, in victoriæ ſtudium incumbat: quòd ſi vicerit, & ſua tueri, & quæ in hoſtium ſunt poteſtate ſibi vendicare facilè poteſt. *Xen. de expedit. Cyri, l. 3.*

In victoria eſt eorum bonorum, quę in hoſtium poteſtate antea fuerant, vendicatio. *Idem, l. 5.*

VICTORIÆ *rectus vſus.*

Quamuis magni ſit momenti res amplas perficere, & victoriam ab hoſtibus pugnando referre: multò tamen maiore peritia & cautio requiritur, vt rectè ac commodè applicentur quæ præclarè geſta ſunt. *Polyb. hiſt. l. 10.*

VICTVS.

Non turpe eſt ab eo vinci quem vincere eſt nefas, neque ei inhoneſtè aliquem ſummitti quem fortuna ſuper omnes extulit. *Vell. Pater. l. 2.*

VIGILANTIA.

Induſtria ac vigilantia, largitione & luxu haud minus noxiæ ſunt, quoties parando regno finguntur. *Tacit. Annl. 4.*

VIGILANTIA *principis.*

Princeps non debet incommodi ſui cauſa curam Reipublicæ omittere. *Xiphilin. Tiber.*

VINCERE.

Facilius eſt quædam vincere quàm tueri. *Curt.l.4.*

VINCTVS.

Vincti hominis non ſuperuacua ſolum ſed etiam inuiſa defenſio eſt, quæ iudicem non docere videtur, ſed arguere. *Curt.l.6.*

VINDICTA.

Nunquam mihi placuit in Imperatore vindicta ſui doloris: quæ etſi iuſtior fuerit, acrior videtur. *Vulc.Gallic.in Auidio Caßio.*

Populari ſuo, ſtricto enſe mortem minitãti, parcendum eſt. Quiſquis nocet, hoſtis habeatur: qui occiſum it, occidatur. *Nicet.in Alexio Manuelis F.*

VINDICTA *diuina.*

Si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandæ ſuperbiæ confugiam, & precabor vt iras ſuas conuertant in eos, quibus non ſuæ redditæ res, non alienæ accumulatæ ſatis ſint: quorum ſæuitiam non more noxiorum, non deditio examinatorum corporũ, non bona ſequentia domini deditionem exſatient, placari nequeant, niſi hauriendum ſanguinem, laniandáque viſcera noſtra præbuerimus. *Liu. Deca.1.l.9.*

Superbiæ crudelitatíque, etſi ſeræ, non leues tamen pœnæ tandem veniunt ab eo qui eſt & humana non negligit. *Idem, Decad.1. libr 3.*

Sui muneris non oblita Dei vindicta, tametſi lento gradu procedit, venit tandem. *Zonar.in Rom. La cap.tom.3.*

Etiamſi tardius inuadat iniurios, conceſſo pœnitentiæ ſpatio: tamẽ niſi à malitia diſceſſerint, lento gradu eos aſſequitur & pœnas exigit. *Idem, ibid.*

Non perpetuò ſtertit vindicta diuina, ſed ſeris gaudet mutationibus, & celeriter ingruens tacito eos pede conſectatur, qui nefaria facinora perpetrant. *Nicet. Alex. Angel.l.3.*

Diuinæ vindictæ oculus nõ perpetuò dormitat, ac tandem, experrectus iuſtas pœnas impiis irrogãt. *Niceph.Greg.l.9.hiſt.*

Solet vindicta diuina ceſſare & diutiſſimè dormitare. *G.Pachymer. hiſt.l.6.*

Captum oppidum Dinantum à Philippo & Carolo Burgundis ſolo fuit æquatum, & qui à cæde ſupererant circiter octingenti captiui, è regione, & in conſpectu Bouillorum, in flumen præcipitati ſubmergebantur. Atrox admodum fuit iſta vindicta: ſed credibile eſt diuinitus accidiſſe, propter anteactam ipſorum crudelitatem in vicinos. *P.Comin.l.2.*

VINDICTA *peßima.*

Qui non læſi iniuriam inferunt, hi alios perdere conantur, metuẽtes periculum, ſi hoſtes non prorſus deleantur. Nam iniuſtè læſus, cùm euaſit, fit vehementior hoſtis, quàm vbi mutuæ fuerunt iniuriæ. *Thucyd.l.3.*

VINDICTA *publica.*

Quædam vltionis & publicæ vindictæ iure defendi poſſunt. quippe tametſi atrox eſt facinus, propter iram homines cognatos ac populares inclementer tractare: tamen neceſſitate vrgente dulce eſt (vt ait Simonides) neque durum animo, tanquam æſtuanti præ dolore,

lore, remedium aliquod adhibere, eúmque exſatiare. *Plutarchus in Arato.*

Vindicta ſeu vltio publica ſum mopere eſt neceſſaria,non tam ob vltionis voluptatem, quàm vt eius qui læſit pœnitentia tale reliquis exemplum præbeat, vt te prouocare nemo audeat,ſicque gloria cũ vtilitate coniuncta ſequitur,& generoſa magnanimáque conſilia eõ moditate quoque & fructu plena oriuntur: ſic vna moleſtia multas tollit,& ſæpe vnicus ac breuis labor à multis iiſque longiſſimis liberat. *Fr. Guicciardin. histor. libro quarto.*

VIOLATIO.

Qui ſtare aliorum ſententiæ ſtudent, violari non ſine iniuria poſſunt. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

VIOLENTIA.

Longè periculoſius eſt violentię audaciæque confidere, quàm per uerſos animi impetus recta ratione moderantem opportuna temporum & rerum momenta expectare. *P. Iou. hiſt. l. 14.*

VIR.

Pro viro eum non habuerim, qui nec hoſtibus eſt infenſus, nec ſuæ ſalutis autores beneuolentia proſequitur. *Dionyſ. Halicarnaſ. libr. ſecundo.*

Equidem exiſtimo indignum viro, cui virtus quantulæcunque curæ eſt,ſi ſine vllo diſcrimine inimicos & amicos occidat, & grauem atque implacabilem iram gerat in eos à quibus aliqua iniuria fuerit affectus, præſertim verò ſi ſæpius pœnas de illis, eáſque acerbas ſumpſerit. *l. 8.*

Nullus vnquam è mortali & caduco ſemine vir abſolutè bonus naſcetur. *libr. eod.*

Vir viro præſtat. *Dion, l. 35.*

VIR *bonus.*

Si quis theſaurum reperiat, ditior quidem fuerit,non autem rei familiaris adminiſtrandæ peritior: &,ſi morbo affectis hoſtibus,victoria potiatur, fortunatior quidem ſit,at diſciplina rei militaris nihilo inſtructior. At qui tolerantia laborum antecellit, vbi laborandi ſit tẽpus,& roboris, vbi fortitudinis ſit certamen propoſitum, & mente, vbi res conſilium poſcit: hic profectò mihi videtur iure optimo vir bonus omnino putandus. *Xen. Orat. de Ageſilai laudib.*

Tam viri boni officium eſſe iudico,ſeipſum patriæ vſibus conſeruare,caueréque ne temerè pereat, quàm officio ſuo neque dicendo deeſſe,neque agendo,neque mortem etiam pro ſalute eius detractare. *Dion, l. 45.*

Turpe eſt quicquam mali perpetrare: bene autem agere nullo periculo propoſito,multorum: id verò proprium boni viri eſt, etiam cum periculo ſuo honeſtatem in agendo ſequi. *Plutar. in Mario.*

Non tantum in bacchanalibus, verum etiam in contentionibus & ira bonum honeſtéque inſtitutum ingenium ſibi conſtat, decorúmque tuetur. *Plutarch. in Tiber. Graccho.*

Viri boni exiſtimatio res eſt quæ innumerabilibus laudibus cõtinetur. *Valerius Maximus, libro 7. cap. 2.*

VIRI *boni authoritas.*

Vnum boni viri verbum, vnus nutus, ſexcentis argumentis ac

verborum continuationibus parē fidem meretur. *Plutarchus in Phocione.*

Viri *boni cogitatio.*

Mihi videntur boni viri àtque præſtantes nihil pluris facere debere, quàm vt necubi officiū prætermittatur. *Polyb l.4.*

Vir *egregius.*

Sub tyranno egregiis viris gloriæ & pericula gliſcunt. *Tacit. Ann. libr.* 15.

Vir *verè magnus.*

Ciuis, ſenator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opū contemptor, recti peruicax, conſtans adu. metus. *Tacit. hiſt.l.4.*

Vir *malus.*

Abſurdum eſt putare eum qui ab aliquibus ex bono malus fuerit factus, eundem ab illis iterum ex malo bonum fieri poſſe. *Dionyſ. Hal.l.*11.

Vir *prudens.*

Minutius à Fabio Maximo, quē antea ob cunctationem in bello ſpreuerat, ex manibus Annibalis feliciter ereptus, cùm in caſtra reditum eſſet, conuocatis militibus, Sæpe ego, inquit, audiui (milites) eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit: ſecundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Nobis quoniam prima animi ingeniíque negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus: & cū imperare neſcimus, parere prudenti in animum inducamus. *Liu. Decad.*3.*l.*2.

Vir *ſapiens.*

Is demum vir erit, cuius animum nec proſpera fortuna flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet. *Liu. Decad.*5.*l.*5.

Sapienti viro non decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere. *Tacit. Ann.l.*14.

Vires.

Qui viribus pollet, hunc cuncti ſequuntur lubenti animo. *Xen. de reb. geſt. Græc.l.*7.

Indomitæ vires, quæ vel graui impetu ſine multo ſanguine detrimentoque perrumpi nequeunt, plerunque mora vtili, & tuta cunctatione diffringuntur. *P. Iouius hiſtor. libr.* 11.

Impunitate, ac mora valeſcunt malorum vires. *Idem, hiſtor. libro* 14.

Vires *animi & corporis.*

Haud facilè euenit, vt quiſpiam ingentes corporis vires & ingenium ſubtile habeat. *Diodor. Sicul. hiſt.l.*17.

Vires *corporis.*

Natura ipſa qua gignimur, quibus hominibus corporis attribuendis viribus maximè conſuluit, eiſdem animorū conferendis viribus æquè vix vnquam proſpexiſſe videtur. *Io. Iouian. Pontan. hiſtor. libro tertio.*

Vires *militares.*

Ambiguæ ſunt, ſi deliberant: acies, ſi deſperant. *Tacit. hiſtor. libr. tertio.*

Viri *boni.*

Principes atque optimi mortalium, vitæ decore potius quàm quæſitis nominibus atque compoſitis cælum adeunt, ſeu fama hominum

minum Dei celebrantur modo. *Aurel. Vict. l. de Caeſarib.*

VIRI *magni.*

Sciant quibus moris eſt illicita mirari, poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe: obſequiúmque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta, ſed in nullum rei poſt vſum, ambitioſa morte inclaruerunt. *Tacit. in vita Agric.*

Magni homines, virtute, non fortuna à prudentibus metiuntur. *Æmyl. Probus in Eumene.*

VIRORVM *illuſtrium ſors.*

Omnes iuſtos bonóſque viros maior poſt mortem laus ſequitur, inuidia non multum poſt illos temporis ſuperuiuente, nonnunquam etiam ante exitum eorum moriente. *Plutar. in Numa.*

VIRTVS.

Virtutem quidem omnes planè amant: ſed quia per labores comparatur, multi quaſi reſiliunt. námque adipiſcendi ſpes dubia eſt; in adipiſcẽdo labores manifeſti ſunt. Quòd ſi virtus quaſi corpus perſpici poſſet, homines eam fortaſſe minus negligerent: quia ſicut à ſe illam, ita ſe ab illa videri intelligerent. Quilibet enim quum ab amato videtur, ſeipſo meliore exiſtit. Nam nec turpia nec indecora dicit aut facit, ne ab illo videatur. Nunc verò probra multa & flagitia palam admittunt, quòd ſe à virtute videri non putent: quippe quum eam ipſi minimè perſpiciãt. Illa verò vbique adeſt, nam immortalis eſt: &, vt quiſque erga ſe fuerit, honore bonos, ignominia malos afficit. Quod ſi ab ea ſe conſpici noſſent, labores atque doctrinam quibus illa, quamuis ægrè, capitur, adirent, & ipſam acquirerẽt. *Xen. l. de venat.*

Non ex rerum euentu, ſed quo conſilio, quóve delectu quid fiat, virtutem perpendere fortéſque & illuſtres inde viros ſpectare oportet. *Diodor. Sicul. Antiq. libro vndecimo.*

Quæ armis præclara facinora victoriæque parantur, plerunque fortunæ vel ipſi tempori adiudicari ſolent. Verum ſecundas res modeſtè, temperanter, humanè perferre, id certum propriumque virtutis exiſtit documentum, in animis fortunatorum ſitæ. *Idem, l. 13.*

Res præclaras aggredi arduum paucíſque datum. *Dionyſ. Halic. libro 9.*

Nulla non virtute ſuperatur humanarum virium modus. *Liu. Decad. 1. l. 4.*

Quod pulcherrimum idem tutiſſimum eſt, in virtute ſpem poſitam habere. *Idem, Decad. 4. libro quarto.*

Nihil inexpertum enititt. *Curt. libr. 5.*

Nihil tam altè natura conſtituit quò virtus non poſſit eniti. *libro ſeptimo.*

Diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis eſt: virtus clara æternáque habetur. *Salluſt. de coniur. Catil.*

Ea ſola neque datur dono, neque accipitur. *Idem, de bel. Iugurt.*

Virtus eſt proprium hominis bonum. *Tacit. hiſt. l. 4.*

In electione eorũ qui Rempub.

ſunt gubernaturi. Nerua cenſebat virtutem cuiuſque non patriam exiſtimari & ponderari oportere. *Dion in Nerua.*

Virtuti ingenium vſuſque bonę militiæ pæne ſat eſt. *Sex. Aur. Vict. in Diocletiano.*

Nemo vnquam peruenit ad virtutum ſummum iam maturus, niſi qui puer ſeminario virtutum generoſiore concretus aliquid inclytũ deſignauit. *Fl. Vopiſ. in Probo.*

Virtus & ars multitudini antecellit. *Xiphilin. in Pomp.*

Virtutem cuiuſque, non patriã, exiſtimare & ponderare oportet. *Idem, in Nerua.*

Non faſtidioſo aditu virtus excitata ingenia viuida ad ſe penetrare patitur, neque hauſtum ſui cum aliquo perſonarum diſcrimine largum malignùmve præbet: ſed omnibus æqualiter expoſita, quid cupiditatis potius, quàm quid dignitatis attuleris, æſtimat Inque captu bonorum ſuorum tibi ipſi pondus examinandum relinquit, vt quantum ſubire animo ſuſtinueris, tantum tecum auferas. *Valer. Max. l. 3. c. 3.*

Magno vbique pretio virtus æſtimatur. *Idem, l. 5. c. 4.*

Nihil eſt excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortale quæri poſſit. *Idem, libro quinto, capit. 6.*

Æuum impedimento virtuti non eſt. ea facilè mutatur, corrupto per licentiam ingenio. *Aurel. Vict. de Cæſarib.*

Vt in periculis virtutem impigram eſſe conuenit & audacem, ita (quum res poſtulat) regibilem & conſultam. *Ammon. Marcell. libro 16.*

Virtus etiam in calamitate multum vel apud hoſtes momenti habet. Ignauiam verò, etiam ſecundis in rebus extremo contemptu Romani dignam iudicant. *Zonar. Ann. tom. 12.*

Nemini non virtus eſt venerabilis, ſiue ſit peregrinus, ſiue incola, ſiue Græcus, ſiue diuerſæ à Græcis linguæ, ſiue Scytha. Nam hæc ſola ſui ſtudioſos ornare ſeruaréq; poteſt. *Conſtant. Man. ſſ. An. p. 77.*

Virtus ſeipſa freta, & ſui fiducia ferè imperterrita, ſe ipſa contenta eſt, ſemper ſibi conſtat. *P. Æmyl. l. 7.*

Longè plurimum præſidij mortalibus repoſitum eſt in virtute. *Eodem l.*

Vbique virtus inuidos vrit, à calumniatoribúſque oppugnatur. *Idem, l. 10.*

Aliena virtus vel falſo etiam fulgore hoſtibus ſæpe timorem præbet, animuſque vel aduerſo ſucceſſu conſternatus plerunque ad alieni metus imaginem vel falſò conceptam erigit. *P. Iouius, hiſtor. libro tertio.*

VIRTVS *bellica.*

Nihil intereſt virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicet. *L. Flor. l. 2. c. 2.*

VIRTVS, *etiam in hoſte, probanda.*

Vir prudens etiam hoſtis virtutem reuereretur. vt & Demoſthenẽ acerrimum inimicum Philippus beatum iudicabat, cùm diceret: Si quis Athenienſis, Athenis degens, ſe patriæ me præferre dicit, eum ego argento emerim, amicitia verò mea non dignabor. Si quis verò propter patriam me odit, eũ ego quidem vt arcem, & murum,

& na-

& nauale,& vallum oppugno: ſed tamẽ virtutem eius admiror,& vrbem propter eam poſſeſſionẽ fortunatam iudico. *Nicephor. Gregor. hiſt.l.9.*

VIRTVS *maiorum generoſa populi vtilis.*

Cui generoſa indoles à maioribus innata eſt, ei ſi ad pulcherrimum exemplum domeſticorum vitam ſuam componere inſtituerit, in felicitatis parte ponendum eſt, ſi maiorum ſuorum qui virtute aliis antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuo aliquid de iis vel audiat, vel loquatur. non enim propriorum bonorum penuria ſuã exiſtimationem ab aliorum gloria ille ſuſpendit: ſed maiorum ſuorum virtutibus ſuas actiones annectens, vt generis, ita etiam vitæ factorúmque ſuorum autores & duces eos prædicat. *Plutarchus in Arato.*

VIRTVTES.

Videtur verum eſſe quod ab antiquis philoſophis dictum eſt, morales virtutes eſſe mediocritates, non autem extremitates: præcipuè verò iuſtitiam. *Dionyſ. Halicarnaſſ. libr.8.*

Virtutes iiſdem temporibus optimè æſtimantur, quibus facillimè gignuntur. *Tacitus in vita Agricolæ.*

VIRTVTES *primariæ principum.*

Duo ſunt quæ ab egregiis principibus exſpectantur: ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia. *P. Diacon. hiſtor. libr. 10. in Nerua.*

VIRTVTES *priuati & viri principis.*

Homini priuato ſatis eſt moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu & victu modus. Imperatori verò præter hæc & iuſtitia eſt colenda, & ratio ciuium habenda, & vetera inſtituta ſunt tuenda. *Zonaras in Alex. Comn. tom.3.*

VIRTVTIS *actiones.*

Virtus actiones eo modo afficiunt contemplantem, vt confeſtim & miretur eas, & autorem imitari cupiat. Quippe bonorum quæ fortuna nobis tribuit, poſſeſſionem ac perceptionem fructuũ, virtutis vero actiones diligimus: & vt illa nobis ab aliis præberi, ita his alios impertire volumus. Ipſa enim honeſtas ad ſe allicit, cupiditatémque agendi continuò iniicit, ſpectatoriſque animum non imitationi, ſed cognitioni ipſius facti intentum, virtutis ſtudio informat. *Plutar. in Pericle.*

VIRTVTIS *admiratio.*

Ita comparatum eſt, vt virtutem non ſuſpiciamus, neque eius imitandæ ſtudio corripiamur, niſi eũ in quo ea conſpicitur, ſummo honore atque amore proſequamur. qui verò bonum aliquem laudant, quem non amant, non virtutem eius admirantur, neque imitari cupiunt, ſed gloriam reuerentur. *Plutar. in Catone Vticenſi.*

VIRTVTIS *comes inuidia.*

Omne id quod communem ſortem excellit, æmulationi inuidiæque aliorum obnoxium eſt: hinc illud eorum quorum conditio eſt inferior, contra ſe ſuperiores bellum perpetuum exiſtit. *Dion, l.38.*

VIRTVTIS *& vitij indicia quomodo diſcernuntur.*

Non ſemper clariſſimis factis virtutis aut vitij inſũt indicia: quinimo ſæpe exigua quædam res, di-

ctúmve aut iocus plus de ingenio alicuius documenti præbet, quàm immenſa hoſtium ſtrages edita, maximæ pugnæ vrbiúmve oppugnationes. *Plutar. in Alexandr.*

VIRTVTIS *præſtantia.*

Virtus cuilibet arti ac ſtudio præſtat. *Plutar. in Theſeo.*

VITA.

Vita affert multa, eáque contra exſpectationem noſtram. *Dionyſ. Hal. l.3.*

Qualia ſunt publica ciuitatum ſtudia, talis eſt etiam priuatorum vita. *lib.5.*

Spes vitæ plerumque magnos animos infringit. *Tacit hiſt. l.5.*

Hominis ſalus beneficio nullo penſatur. *Am. Marcel. l.14.*

De vita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, laturum ſententiam diu multúmque cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio, vbi irreuocabile factum eſt, agitari. *l.29.*

Nihil eſt maioris apud homines pretij quàm vita: non regia poteſtas, non maria quædam diuitiarũ & opum. *Conſtant. Manaſſ. Ann. pag. 79.*

VITA *aulica.*

Incertæ ſunt potentium res. *Tacit. Annal. l.12.*

VITA *contemplans & agens.*

Non eadem ratio eſt vitæ eius qui in contemplando ſolùm, & eius qui in Republ. verſatur. Alter enim mentis agitationem nullius inſtrumenti rerumque extra ſe poſitarum adminiculo indigentem pulchris rebus adhibet: ei autem qui virtutem hominum vſibus applicat, non in rebus modò neceſſariis ſed etiam bonis diuitiæ quoque ſunt habendæ: & ita res habebat in Pericle qui multis pauperibus opem ferebat. *Plutarchus in Pericle.*

VITA *æterna.*

Hæreditatem æternam manſueti acceptíque Deo conſequentur. *Nicet. in Ioanne Comneno.*

VITA *& mors glorioſa.*

Oratio in laudem hominis olim virtute præditi & vita functi, non eſt lugubris, ſed potius encomiũ. Nam primùm de ipſo commemorantur ea, quæ de viuo prædicabantur. Deinde, quid à lamentatione longius abeſt, quàm glorioſa vita & mors præclara? Quid encomiis item conuenientius, quàm victoriæ pulcherrimæ, maximique momenti facinora? *Xenoph. Orat. de Ageſilao.*

VITA *humana.*

Humanæ vitę conditionem pręcipuè primus & vltimus dies continet: quia plurimùm intereſt, quibus auſpiciis inchoetur, & quo fine claudatur. Ideóque eum deinũ felicem fuiſſe iudicamus, cui & accipere lucem proſperè, & reddere placidè contigit. Medij temporis curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aſpero, modò tranquillo motu peragitur: & ſpe ſemper minor, dum & cupidè votis extenditur, & ferè ſine ratione conſumitur. Nam & ſi eo bene vti velis, etiam paruum ampliſſimum efficies, numerum annorum multitudine operum ſuperando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, ſi magis vitam exigis quàm approbas? *Val. Max. l.9. c.12.*

Omnes homines, qui ſeſe ſtudẽt pręſtare cęteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant, veluti pecora: quæ na-

natura prona atque ventri obedię̃tia finxit. *Salluſt. de con:ur. Catil.*

Is mihi viuere demum atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. *Idẽ, ibidem.*

Nullus mortalium vniuerſam vitam peccati expertem degit. *P. Æmyl. l. 2.*

Vitam hominis quendã in theatro actum arbitremini. Quicquid homo cogitat molitúrque, id non modò poſteritatis (quę incorruptè iudicabit) oculis pateſcet, ſed iam perſpicitur ab ipſo cælo ad ſpectaculum circumfuſo, cuius oculis vos ita componite, vt vitę breuitatem tanquam vnius diei ludos, ſi ſpectatoribus probaueritis, maiora quàm concipi animo in pręſentia poſſint pręmia perceptum iri ſciatis. *Idem, l. 3.*

Non corpore vita conſtat, re mille quotidie caſibus obnoxia. Spiritu, animo, mente, quę numine afflatur, impletúrque, æuum degunt. *Idem, l. 4.*

VITA *hominis in manu Dei.*

Andronicus Palęologus imperator Deo fretus & fiducia plenus vſque adeo fuit, vt maxima ex parte ſine cuſtodia ageret, & ſine imperatoriis ſatellitibus. Sæpe etiam eos quos retia & laqueos contra ſe inſtruere ſciret, in eaſdem ędes admittere & menſę adhibere ſolitus eſt. Dicebat enim, vitam hominis in manu Dei eſſe poſitam: à quo vbi eius deſtructio permittitur, tũc omnibus periculis patere fores. *Niceph. Greg. hiſt. l. 11.*

VITA *indignus.*

Vita indignus eſt, qui omnem clementię ſpem, vltro ipſe ſibi pręcidit. *Zonar. in Heracl.*

VITA *longa.*

Virtute in longiorem ętatem quàm vitio peruenitur: eã námque & facilior eſt & iucundior, & expeditior, & fortior. *Xen. de rep. & leg. Laced.*

VITA *miſera.*

Multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſegere. quibus profectò contra naturã corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortémque iuxta ęſtimo: quoniam de vtraque ſiletur. *Saluſt. de coniur. Catil.*

Fractis ac deſperatis rebus, miſerrimum eſt apud hoſtem meliorem vitę conditionem quęrere. *P. Iou. hiſt. l. 15.*

VITA *ſuauis & acerba.*

Victoribus vita felix & ſuauis eſt: victis autem nihil acerbius eſt, quàm toto tẽpore ſpem in hoſtiũ miſericordia collocare. *Procop. de bel. Vandil. l. 2.*

VITA *tuta & felix.*

Qui paribus non cedunt, & erga ſuperiores honeſtè ſe gerunt, erga inferiores verò moderatè, hi plerunque habent felices rerũ ſucceſſus. *Thucyd. l. 5.*

VITÆ *breuitas.*

Supremus dies ſuo cuique tempore, alij ſerius, alij ocyus aderit: ſi quid ſerum eſt in hac vitæ breuitate. *P. Æmyl. l. 3.*

VITÆ *malorum & bonorum conditio.*

Turpiter agenti tenebræ cõue-

niunt, ſed honeſtæ vitæ plus ornamenti lux adfert. *Xenoph. orat. de Ageſilai laudib.*

VITÆ *conditio.*

Sui cuique mores plerunque fortunam conciliant. *Corn. Nepos in vita Pomp. Attici.*

VITÆ *ciuilis & religioſæ in principe coniunctio.*

Diuinarum rerum contemplatio & Reipublicæ adminiſtratio, haud ferè coniungi ſolent: atque adeo optandum eſt, ne magna inter eas pugna, vt inter carnem & ſpiritum, & ſenſum atque mentem appareat. Mihi verò placet eum qui ad principatũ adſpirat, ex vtraque cõtemperatũ eſſe: ſed aliæ ad grauiorẽ, aliæ ad acutiorẽ ſonũ, aliæ plus minuſve adſtrictæ, variam & cõcinnam harmoniam efficiunt. Qui enim ſoli diuinarum rerum ſpeculationi eſt intentus, in montibus & ſpeluncis debet viuere: vt euius mores à ciuili conſuetudine prorſus abhorreant. Qui verò morum ciuilitatem cum virtute coniunxit, & vſu variarum rerum perpolitus eſt: is populum ad res optimas & ſalutares facilè deduxerit. *Niceph. Gregoras, hiſt. lib. 3.*

VITÆ *conſeruatio.*

Qui vitam ſuam proiiciunt, eos tanquam ex inſania quadam rem aliquam magnam tentaturos, reliqui omnes ſuſpectos, odióque habent: quos autem plurimam ſalutis propriæ rationem habere vident, eos laudant, & prædicant, tãquam nihil morti dignum commiſſuros, *Dion, lib. 46.*

VITÆ *cupiditas.*

Mala res eſt vitæ cupiditas, cùm non omnia diuinæ prouidentiæ mandantur, ſed terrenis rebus quaſi aliquid firmi habeant, inhiatur. Inde enim ſcatent examina vitiorum. *G. Pachym. hiſt. lib. 12.*

VITÆ *emendatio.*

Omnis actio ab hominibus ex ipſorum commutatione appellari debet: peccatum ſemel admiſſum nullo vnquam tempore efficies vt ſit infectum: quod autem bonis actionibus corrigitur, illis autoribus maximè fauet, priſtinámque famam erroris obliuione ſempiterna reſtituit. *Procop. de bello Vandalic. lib. 2.*

Qui in his quæ admiſerũt retractando probantur, honeſtiſſimam præteritorum excuſationem præ ſe ferunt, *Id. eod. lib.*

VITÆ *exitus.*

In lucem prodeuntibus vniuerſis haudquaquam ſimilis eſt vitæ finis, & mortis genere ipſo, vt in aliis multis inter ſe differunt homines. Si quidem vel ignaui imbelléſque cõtumeliis primum affecti, & riſum de ſe hoſtibus exhibendo, ad præſtituta per ſuperos tempora, fatum nihilominus complẽt: quod tamen generoſis & fortibus viris, cum virtute & optima abundantiáque gloria, ipſum vt id patiantur, contingit. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

VITÆ *inconſtantia.*

Apud mortales eodem ſtatu permanere diu nihil poteſt. *Procop. de bello Goth lib. 3.*

VITÆ *humanæ miſeria & vanitas.*

Quum Xerxes innumerum illum exercitum ſuum intueretur & lachrymas funderet, ab Artabano, rogatus quid fletus iſte ſibi vellet, reſpondit, Reputantem me quàm bre-

breuis ſit omnis humana vita, ſubiit horum miſeratio: quorum, quum tot ſint, nemo ad centeſimum annum ſupererit. Excipiens Artabanus, Atqui, inquit, alia, quàm iſtud eſt, viuẽdo miſerabiliora patimur. Nam in tam breui vita nullus hominum adeo felix extitit, neque horum, neque aliorum, cui nõ crebro, nedum ſemel, ſubita ſit animo moriẽdi voluntas potius quàm viuendi. Incidentes enim calamitates & morbi vitam perturbant, efficiúntque vt quum breuis ſit, tamẽ perlonga videatur. Ita mors optatiſſimum eſt perfugium ærumnoſæ vitę, quam Deus dulci geſtu aſpergens, ob id homines iuſtè plectere deprehenditur. *Herodot. libro 7.*

Verſatur in incerto vita mortalium, rerúmque humanarum rota ſurſum ac deorſum currens omnia volutat, & confuſè inuertit. *Conſtan. Manaſſ. Annal. pag.* 162.

Quis enumeret ea incommoda, quæ velut in ſcena vitę miſerorum mortalium ærumnoſa natura non ſecus ac nauigium lumbos ſecum trahit? *G. Pachym. hiſt. lib.* 8.

Omnis ſplendor, vnius horæ momento in ludibrium conuertitur. *Idem, eod. lib.*

Si quis intueatur omnia propius, comperiet miſerabilem eſſe vitæ noſtræ conditionem, qui tantis laboribus, vigiliis, curis, & acerbis cogitationibus nos defatigamus ipſi & affligimus. *Ph. Cominæus lib.* 5.

Leuiſſimo momento ſalus peſtíſque ſummorum ſępe hominũ pendet. *P. Æmyl. lib.* 10.

Plærunque res paruæ non minores habent difficultates, nec minus inexplicabiles, quàm maximæ. *Fr. Guicciardin. hiſt. l.* 10.

VITÆ *mutatio.*

Is melior habendus eſt, cui mutatio vitæ in melius accidit. Eſt enim ea natura præſtantior, in qua deteriora conſeneſcũt, meliora vigent atque adoleſcunt. *Plutarch. in compar. Cimonis & Luculli.*

VITÆ *inſtituendæ recta ratio.*

Nihil eſt in hac ærumnoſa vita potius, quàm vt metuamus diuinum iudicium, & ſtudeamus in rebus omnibus æquitati, & contenti ſimus mediocri vitæ genere, neque defatigemur iis curis, quales ferè ſuſcipiuntur à multis, nimia quadam cupiditate & ambitione augeſcendi. Hanc viam ſi poſſemus ingredi atque tenere, & tranquillius viueremus, & minus affligeremur valetudine aduerſa, & mortem non adeo formidaremus. Etenim quanta ſit vitę noſtræ miſeria, facilè poteſt ex eo colligi, quòd ſimul atque mortuus eſt aliquis, quicunque ſit ille, ſtatim omnes abominantur & exhorreſcunt ipſum cadauer, & euolat anima, ſiſtitúrque mox iudicio ineuitabili. *Ph. Comin. lib.* 10.

VITÆ *regula.*

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Lamprid. in Al. Seuero.*

VITÆ *hominum quomodo deſcribendæ.*

Vt eos qui pulcherrimas & elegantiſſimas formas depingunt, ſi quid illis adſit minus venuſtum, neque omittere planè volumus, neque exprimere exactius: quòd hoc turpem, illud propoſitę formæ diſſimilem aſpectum eſſet præbitu-

rum: ita quando difficile eſt, imò planè fieri nequit, vt hominis vita inculpata prorſus atque ab omni parte pura ſit, in iis quæ laudē merentur, eſt veritas, tanquam ſimilitudo, planè exprimenda: ſi quæ aut vitia & næui, ſeu ex affectu aliquo, ſeu ciuili neceſſitate incurrerunt in ipſas actiones, exiſtimare debemus, defectus potius virtutis eſſe, quàm nequitiæ vitia, atque ideo nequaquam nimio ſtudio in hiſtoria exagitare: ſed quaſi pudore humanæ naturæ moueri, quæ nullum præclarum ingenium ſincerum, & perfectæ virtuti deditum protulerit. *Plutarch. in Cimone.*

VITÆ *illuſtrium virorum.*

Rectè dictum eſt à Xenophonte, præſtantium virorum iocos etiam, & quæ inter potandum animi cauſa agunt, memorabile aliquid in ſe habere: at verò etiam magis eſt operæ preciū animaduertere, quàm in aduerſa fortuna in agendo loquendóque modeſtiam ſeruent. *Idem, in Ageſilao.*

Clarorum virorum facta moréſque poſteris tradere antiquitus vſitatum, ne noſtris quidem temporibus quanquam incurioſa ſuorum ætas omiſit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac ſupergreſſa eſt vitium, paruis magníſque ciuitatibus commune, ignorantiam recti & inuidiam. Sed apud priores, vt agere memoratu digna pronum, magíſque in aperto erat: ita celeberrimus quiſq; ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, ſine gratia aut ambitione bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur. Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam arbitrati ſunt, nec id Rutilio & Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. adeo virtutes iiſdem temporibus optimè æſtimantur, quibus facillimè gignuntur. *Tacitus, in vita Agric.*

VITIA.

Vitia ſemper facultatibus, licentiáque & aſſentationibus aluntur. *Velleius Paterc lib. 2.*

In ſummo ingenio atque optimis Reipub. moribus quanuis parua vitia, elucent magis, eóque notantur facilè: quinetiam acrius ſæpe officiunt: eum ob auctoris decus in virtutes potiſſimum accipiuntur, atque ad imitandum inuitamento ſunt. *Aurel. Victor. libr. de Cæſarib.*

Auaritia, crudelitas, atque libido, aliquando vel Dei reſpectu, vel metu hominum, vel ipſa ſatietate finiuntur. *P. Iou. hiſt. l. 3.*

VITIORVM *licentia.*

Vix artibus honeſtis pudor retinetur: quanto minus inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quidquam probi moris reſeruatur? *Tacitus, Annal. lib. 14.*

VITIVM.

Facilior eſt virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem tranſitus. *Valer. Maxim. libr. 2. cap. 6.*

VLTIO.

Vltionis quemamodum acres, ita iuſti aculei ſunt: qui laceſſiti concitantur, acceptum dolorem penſare cupientes. *Valer. Max. libr. 9. cap. 10.*

Quid forti ſuauius, quàm vindictam manu ſumere? Magnum mu-

munus à natura animum vltioue ſatiare. *Iernand. libro de reb. Getic.*

Vltionis deſiderio res proprias in tantum diſcrimen coniicere, minimè prudentium eſt: neque dedecet caſus & occaſiones quas reſpublica ſperare poteſt, ad vlciſcẽdum exſpectare; imò admodum turpe eſt indignatione vinci, & in rebus ad imperia ſpectantibus, ſumma infamia eſt, quum imprudentiam detrimentum comitatur. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib.* 4.

VOCATIO.

Vnuſquiſque hoc agere debet quod nouit. *Lamprid. in Al. Seuero.*

VOLVNTAS.

Hominum voluntates eodem ſemper quo fortuna inclinant. *Io. Iou. Pontan. hiſt. lib.* 1.

VOLVNTAS *Dei.*

Quicquid ex Deo fieri oportet, id homini ineuitabile eſt. *Herodot. lib.* 9.

Quæ Dei voluntate ſuſcipiũtur, ea par eſt ſemper Reipublicæ rectius feliciúſque cedere. *Xenop. lib. de Vectigalib.*

Arſenius patriarcha ſede eiectus ſuis dicebat, Vt mecum actum ſit, filij, Deo conniuente ſcitis, cuius voluntati, vtvt illi viſum fuerit, obtemperandum eſt. *G. Pachymer. hiſt. lib.* 4.

VOLVNTAS *multorum.*

Vſu compertum eſt, & id ipſum ratio docet, ea quæ ex multorum voluntate pendent, nunquam felicem exitum habere. *Fr. Guicciard. hiſt. lib.* 16.

VOLVPTAS.

Otium, & requies, ſtudiúmque literarum voluptatem contemplationémque rerum afferens, conuenientiſſima eſt ſeni laboribúſque domi & militiæ defũcto recreatio. At voluptati, tanquam is finis rerum præclarè geſtarum eſſet, ſe dare, & poſt bellicos ciuiléſque magiſtrat' Veneris ſacris vacare. ludẽdo luxuriandóque, id verò indignum præclara Academia eſt, neque eius qui Xenocratem imitetur, ſed qui ad Epicurum inclinet. *Plutarch. in compar. Cimonis & Luculli.*

VOLVPTATES.

Non eſt, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum ab circunfuſis vndique voluptatibus. qui eas ſua temperantia frenauit ac domuit, multo maius decus maiorémque victoriam ſibi peperit, quàm nos hoſte victo habemus. *Liuius, Decad.* 3. *lib.* 10.

Vince animum: caue deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa, quàm cauſa culpæ eſt, corrumpas. *Ibid.*

Peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum mul tum poſſunt, tantum contagio diſciplinæ moríſque accolarum valet. *Decad.* 4. *lib.* 8.

Turpe eſt, modò ea voluptate duci cuius poſt pœniteat: indignúmque eſt, eos qui hoſtibus ſuis ſuperiores euaſerint, voluptatibus ſuccumbere. *Dion, lib.* 41.

VOLVPTVOSI.

Imminentium periculorum remedium ipſa pericula putant. *Taci. Annal. lib.* 11.

VOTA *illicita.*

Qui optant quæ ſit nefas, dicebas conſentaneum eſſe hos æquè à diis optata non conſequi, atque

ab hominibus non adipiſci qui ea quæ legibus licita non ſint rogant. *Xenoph.de pædia Cyri,lib.1.*

VOTVM.

Præſtat non facere votum,quàm votum non reddere. *Nicet. Iſaac. Angel.lib.1.*

VRBES.

Non ab aſpectu, ſed à pote ntia vrbes æſtimari debent. *Thucydid. lib.1.*

In bellis profundæ altæque foſſæ non ſunt munimenta ſatis idonea ad certam ſecuræ ſalutis ſpem hominibus incluſis afferendam:ſed hoc tantùm pollicentur, oppidanos repentina hoſtium incurſione obſeſſos cladem nullam accepturos.*Dionyſ.Hal.lib.2.*

Vrbes exiguæ & infrequentes,ac propterea infirmæ, neque alias neque ſeipſas regere poſſunt.

Vrbē in periculis deſerere,omnibus publicæ ſalutis ſtudioſis id eſt metuendum.*lib.5.*

Vrbes ſunt humanarum cladium conſepta miſeranda.*Valer.Maxim. lib.7.c.2.*

Agreſtem incultámque hominū in initio ſæculi vitam, à communione brutorum animalium, vel ferarum, vrbium conſtitutio prima diſcreuit. In his nomen reipublicæ peperit communis vtilitas. Ideo potētiſſimæ nationes ac principes conſecrati, nullam maiorem gloriam putauerunt,quàm aut fundare nouas ciuitates, aut ab aliis conditas,in nomen ſuum, ſub quadam amplificatione, transferre. *Veget.lib.4.in præfat.*

Maximæ vrbes bello magnæ fiūt ſolitudines, ſi virtutem præſtes, ſi celeritatem adhibeas,ſi cunctationem tollas.*P.Æmyl.l.6.*

VRBIVM *calamitates vnde.*

Multas vrbes magnis affecit calamitatibus ciuium ſuorum ſcelus. Sed funditus quidem perierunt, Ilium ob Alexandri in Menelaum contumeliam. Mileſij etiam vrbis ſuæ excidio libidinem & fœdos amores Heſtiæi luerunt. Sic Philomelus ſacrilegij ſui piaculum Ledontiorum Reipublicæ inflixit. *Pauſ.lib.10.*

VRBS *deditione recepta.*

Corbulo donum à legatis Tigranocertæ cum honore accepit, nec quidquam vrbi detractum eſt,quo promptius obſequium integri retinerent.*Tacit.annal.l.14.*

VRBS *primaria.*

In bellis ciuilibus eſt grāde momentum in nomine vrbis, ac prætextu ſenatus.*Tacit hiſt.lib.1.*

VRBIS *primariæ expugnatio quanti momenti.*

Sic eſt rerum humanarum natura, vt capite ſublato, cætera breui tempore corruant. *Procop. de bello Vandil.lib.1.*

VSVS *rerum.*

Omnia honeſta & vtilia videntur vtentibus,quando quis rectè illis vtitur: turpia verò & detrimentoſa,quando malos patronos & defenſores ſunt nacta. Huius autem rei cauſa eſt ipſa natura, quæ addit omnibus bonis quaſdam etiam inſitas peſtes.*Dionyſ.Halic.l.5.*

Vſus longo tempore vnus eſt legum corrector. *Liuius,Decad.5. lib.5.*

Vſus, eſt omnium rerum magiſter. *Cæſar, libro 2. de bello ciuili.*

Perinde omnes res laudantur atque appetuntur, vt earum vſus eſt. *Salluſt. in Fragm.*

Vſus eſt humanarum actionum magiſter optimus ac ſapientiſſimus. *Io. Iouianus, Pontan. hiſtor. libro 1.*

VTILIA.

Res honeſtæ & vtiles ſemper apud homines potius quàm nuſquã opportunè dici poſſunt. *Dionyſ. Hal. lib. 11.*

VTILITAS.

Præcipua vtilitas eſt non iniuſtè agere. *Thuc. lib. 1.*

Vtile iudicamus, commune bonum tueri, & cum his qui periclitantur ex æquo & bono agere. *Idem, lib. 3.*

In bellis ſola ſpectari ſolet vtilitas. *Appian. libro de bellis Pun.*

Communis vtilitas, ſocietatis maximum vinculum eſt. *Liu. Decad. 4. lib. 6.*

VTILITAS *publica.*

Facilè omnes appetunt, quæ pro cunctorum vtilitate tentantur. *Iornand. lib. de reb. Getic.*

VULGUS *eiuſdémque ingenium.*

Cleon Athenienſis ſuos populares increpans quod contentionibus Reipublicæ pernicioſiſſimis Oratorum inter ſe certantium nimium delectarentur, vulgi ingenium graphice depingẽs, inter cætera. Quiſpiam (inquit) eloquentia confiſus contendet manifeſtam veritatem obruere, aut lucro motus fucata oratione vos ſeducere volet. Dat enim hæc ciuitas multis præmia ex talibus certaminibus, ipſa interea in diſcrimen adducitur, cuius rei culpa eſt penes vos (*Athenienſes, qui comitiis intererant, alloquitur*) qui talia certamina proponitis, & conuenitis, vt ſitis verborum ſpectatores, & alienorum operum auditores, & coniicitis tales futuros eſſe euentus, vt quiſquam facundiſſimè dixerit: nec tam ex factis id quod occurrit certius eſſe. Ducitis quàm quæ auditis, & facilimè ſinitis vos decipi nouitate orationis, nec decreta facilè exequimini, ac ſemper ſerui eſtis abſurdarum opinionum, & faſtiditis vſitata, ac ſinguli volunt excellere dicendo, aut ne videantur inferiores ingenio certant cũ oratoribus. Acute dicta laudatis, & videri vultis ipſi quoque eas cogitationes præuidiſſe, cùm tardi ſitis ad ea perſpicienda quæ reipſa proſunt: ſempérque alia quæritis, vt ſic dicam, quam quę vitæ noſtræ accommodata ſunt, cùm ne præſentia quidem conſideretis aurium voluptate impediti, ac ſedetis, non vt conſilium daturi patriæ ſed vt ocioſi ſpectatores eloquentiæ. *Thucyd. lib. 3.*

Talis eſt quælibet plebs ac turba, vt facilè fallatur, & ad quiduis inducatur. Vnde illi frequenter idem quod mari accidit. Quemadmodum enim mare natura ſua innoxium eſt rectè vrentibus, & tutum, ſi veró violenti flatus in illud irruerint, tale redditur vrentibus quales ſunt venti, à quibus circumquaque impellitur: ita & vulgus tale reditur vrentibus quales habet duces & conſiliarios. *Polyb. hiſtor. lib. 11.*

Multitudo ſibi inſeruiri cupit. *Plutarch. in Dione.*

Plebs ocio laſciuit. *Liuius, Decad.1.lib.2.*

Vt ſunt mutabiles vulgi animi, ex fauore non inuidia modò, ſed ſuſpicio etiam cum atroci crimine magnis viris oritur. *Idem, ibid.*

Natura hoc ita comparatum eſt, vt qui apud multitudinem ſua cauſa loquitur, gratior eo ſit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt. *Idem, Decad.1. lib.3.*

Multitudo ex incertiſſimo ſumit animos. *Decad.1.lib.6.*

Defenſores ſuos in præcipitem ſemper locum fauore tollit, deinde in ipſo diſcrimine periculi deſtituit. *Idem, eod.lib.*

Multitudo omnis, ſicut natura maris, per ſe immobilis eſt: vt venti & auræ cient, aut tranquilli, aut procelloſi. *Idem, Decad.3. libro 8.*

Hæc natura multitudinis eſt, aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur, libertatem quę media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt. & non fermè deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad ſanguinem & cædes irritent. *Idem, Decad. 3. libro 4.*

Nihil tam incertum, nec tam inæſtimabile eſt, quàm animi multitudinis. *Id. Decad.4.lib.1.*

Nihil in vulgo modicum: terret, ni paueat: vbi pertimuerit, impunè contemnitur. *Tacitus, Annal. lib.1.*

Vulgus, duro imperio habitum: principi calamitate euerſo probra ac verbera intentat. *Idem, libro 12.*

Vulgus eſt voluptatum cupiens, &, ſi eò princeps trahit lætum. *lib.14.*

Vulgus eſt ad deteriora promptum. *lib.15.*

Facilis eſt ciuitas ad accipienda credendáque omnia noua, cùm triſtia ſunt. *Idem, hiſt.lib.1.*

Publica exſpectatio eſt magni ſecreti impatiens. *Eod.lib.*

Vulgus, vt mos eſt, cuiuſque motus noui cupidum. *Eodem, libro.*

Mos vulgi eſt, imperatores forma ac decore corporis comparare. *Eod.lib.*

Vulgus ignauum eſt, & nihil vltra verba audet. *lib.3.*

Eſt vulgus ſine rectore præceps, pauidus, ſecors, arma temerè rapiens, ac ſtatim omittens. *lib.4.*

Vulgo alimenta in dies mercari ſolito, vna annonæ cura. *Idem, eod.lib.*

Eſt multitudo leui ſententia, & facilè huc atque illuc impellitur. *Zonar. Annal.tom.1.*

In Republica bene conſtituta plebi non concedenda eſt quiduis temere & impudenter audendi licentia. *Zonar. in Theodoſio.*

In Republica bene cõſtituta plebi non concedenda eſt quiduis temere & impudenter audendi licẽtia. *Idem in Grat.tom.3.*

Vulgus, per ſe, nouis rebus non ſtudebit. *Idem in Baſilio, tom.3.*

Iam pridem ſat calleo Vulgus rem eſſe incõſultiſſimam, nec præſentem ferre fortunam ſcire, nec aliàs de futuris conſulere, ſed rebus vel difficillimis perquam leuiter & enixè incumbere, ac præcipitanter ſuam in perniciem ire dunta-

dũtaxat noſſe. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

Id omni multitudini natura inſitum eſt, vt rerum nouitate & immutatione lætetur. *Agath. libro 3.*

Vulgus de religione rixatur, ignarum quid ſit hæreſis. *G. Pachymer, hiſt. lib. 5.*

Quò victoria, eodem quoque popularium fauor inclinat, *Io. Iou. Pontan. hiſt. lib. 4.*

Verenda eſt hominum inconſtantia, præſertim in magna annonæ difficultate. *Idem, eod. lib.*

Parum eſt præſidij poſitum in promiſcua multitudine, niſi contineatur aliqua neceſſitate & imperio: tametſi tempus incidat, quum ipſorum furor & repentinus impetus valde eſt extimeſcendus. *Ph. Comineus, lib. 3.*

Ad portenta accipienda imperitum vulgus blandiente mendacio inclinat. *P. Æmyl. lib. 1.*

Vt ab iudice rudi & imperito recta iudicia expectari nequeunt, ſic à multitudine confuſa & imperita, conſilium ſententiáve, prudentia & ratione munita, niſi fortè caſu, ſperari nullo modo poteſt. *Fr. Guicciardin. hiſt. lib. 2.*

Populus, vbi minus eſt opus, ſæpenumero profuſus apparet: vbi autem res ipſa largitatem poſcit, vſque adeo tenax, vt dum minimis parcere vult, in maximos ſumptus grauiſſimáque pericula incurrat. *Ibidem.*

Eſt vulgi natura, ad plus quàm par ſit ſperãdum, minúſque quàm neceſſe ſit patiendum propenſa, rerum verò præſentium ſemper pertæſa. *Eod. lib.*

Populi, leui ſpe & vanis conſiliis nixi, cùm periculum procul eſt feroces ſunt, ſed mox periculo imminente animo fracti, nullam moderationem retinent. *Idem, libro 7.*

Variæ ſunt hominum, præſertim multitudinis, cui magis ſpecioſa quàm matura conſilia placere ſolent, quæque ſæpius eos qui res minimè prudenter metiuntur, magnanimos exiſtimat, cupiditates & cenſuræ. *Idem, lib. 16.*

Plebs ſuapte natura ſemper rerum nouarum cupida, cùm facilè vanis erroribus & falſis perſuaſionibus repleatur, ad concitantis arbitrium, vt maris fluctus à ventis impellitur. *Idem, lib. 17.*

Sunt ad quæque rerum initia ardentiſſimi plebis animi. *P. Iouius, hiſt. lib. 11.*

VVLNERA.

Vulnera quæ quiſque excipit, indicia virtutis ſunt. *Curtius, lib. 4.*

VXOR.

In bona vxore tantò maior laus quanto in mala plus culpæ eſt. *Tacit. in vita Agric.*

Dignitatis nomen eſt, non voluptatis. *Spartian. in Æl. Vero.*

VXOR *honeſta ducenda.*

Qui in ducenda vxore honeſtatis nullam habet rationem, ſatis oſtendit non liberorum ſed libidinis cauſa id ſe facere: itaque & mercedem ſuam habet, & ius in natos nullum ſibi reliquum fecit, quibus vt natum eſſe ſit opprobrio, effecit. *Plutarch. in Solone.*

VXORIS *officium.*

Non æquum eſt vt vxor mari-

tum in aduerſis deſerat, cui rerum ſecundarum ſocia & particeps fuit. *Zonar. Annal. tom. 1.*

Vxores *nobiles.*

Cato vxorem duxit nobiliorem quàm locupletiorem, Ita cenſens, cũ vtraque nonnihil habeat grauitatis atque ſpirituũ, tamen nobiles turpitudinis verecundia maritis ad honeſtas res libétius obſequi. *Plu. in Catone maiore.*

PHILOSOPHIÆ HISTORICÆ APPENDIX.

ACCVSATIO.

INIQVVM videtur, inſimulare eum qui abſit: maximè quum fieri poſſit, vt ſi qua crimi noſè obiecta fiunt, præſenti refutatione diluantur. *Dictys de bello Troiano, lib.1.*

ADMONITIO.

Non facilè efficitur vitioſus, cui admonitor inſiſtit aſſiduus. *Caſſiod. lib.11. epiſt.2.*

ADVERSA.

Vtile eſt ad vſum ſecundorum per aduerſa veniſſe. *Plinius, Panegyr.*

ADVERSITATIS indicium.

Cum humanitate quadam coniunctum eſt, feſtinum aduerſæ fortunæ indicium, vt quod animum ad reſiſtendum magnitudini mali præparet & ſatietatem doloris citò adferat. *Heliodor. lib.6.*

ADVLATORES *conſiliarij.*

Cum fortuna principis potius loquuntur, quàm cum ipſo. *Tacit. 1.hiſtor.*

Ita compoſiti, vt ex euentu rerum aduerſa abnuant, vel proſpera agnoſcant. *Idem, 3.hiſt.*

Veri copiam non faciunt, ſed ſuſpenſa, & quò ducantur inclinatura, reſpondent. *Idem, 11. Annal.*

Ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt. vti eorum qui dominantur ſimultas atque arrogantia fert, ita bonum malúmve publicum exiſtimant. *Salluſt. ad Cæſ.*

ÆMVLATIO.

Nihil eſt tam pronum ad ſimultates quàm æmulatio. In fœminis præſertim: ea porro maximè naſcitur ex coniunctione, alitur æqualitate, exardeſcit inuidia, cuius finis eſt odium. *Plinius Panegyr.*

ÆQVITAS.

Faſtigia dignitatis non reſpicit æquitas: ſed is regnat in iudicio, qui probabilioribus vincit rationibus. *Helidor. lib.10.*

Non vultu tantùm & extrinſeca ſpecie, iuſta apud moderatos ponderantur, ſed pótius iuſtitia. *Ibidem.*

Iſta duo mutua ſe amplexatione conſociant: qui æquitatem coluerit, fructum victoriæ poſſidebit. *Caſſiod. li.8. epiſt.26.*

ÆRARIVM.

Si ærarium ambitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum erit. *Tacit. Annal. lib.2.*

AFFECTVS.

Ab affectibus omnes qui de rebus dubiis conſultant vacuos eſſe decet. *Salluſt. Catil.*

Haud facilè animus verum peruidet, vbi illi officiunt. *Ibidem.*

AFFECTVS *humanus.*

Quæ expetit animus, libenter credit. *Heliodor. lib.* 8.

AFFECTVS *maternus.*

Notio, cui contradici non poteſt, materna natura eſt: qua fit, vt id quod genuit, erga ſobolem, primo congreſſu, amoris & commiſerationis affectum induat, arcana quadam naturæ conuenientia permotum. *Heliodor. lib.* 9.

AMBITIO.

O praua & inſcia veræ maieſtatis ambitio, concupiſcere honorem quem dedigneris: dedignari quem concupiſcas. *Plinius Panegyr.*

Ambitio inimica ſemper iuſtitię. *Caſſiod. lib.* 10, *epiſt.* 28.

Imperij libido ingens nullis finibus terminatur. *P. Iouius, hiſtor, lib.* 40.

AMBITIOSI.

Imperium cupientibus nihil medium inter præcipitia aut ſumma. *Tacit.* 2. *hiſt.*

Nemo alteri imperium volens concedit: & quamuis bonus atque clemens ſit, qui plus poteſt, tamen quia malo eſſe licet formidatur. *Salluſt. ad Ceſ.*

Homines qui temere cuiquam rei idcirco incumbunt, vt vitam deinceps per delicias ducant, haud quaquam animos ſiſtere poſſunt, ſed maiora quædam operiuntur, ac bene ſperando continenter & tandiu procedunt, quoad vſque tandem vel ex priuentur felicitate, quam conſecuti antehac fuerãt. *Procop. de bello Goth, lib.* 3.

AMICI.

Amicos tu princeps ſimiles habebis ſi intelligent te multa meditari in ſubiectorum populorum commodum: & tu id facias conſiderans quemadmodum & Deus genus humanum bonis afficiat, valetudinem illis, & vitæ alimenta, atque alia cuncta oportunis tẽporibus præbens. *Ariſt. in quæſt.*

Præcipuum eſt principis opus, amicos parare. *Plinius, Panegyr.*

AMICITIA.

In domo principum, nomen tãtum amicitię inane irritúmque remanet. *Plinius, Panegyr.*

Indecorum eſt & agreſte eos qui eiuſdem libationis & menſæ fuerint participes, & ſacrum ſalem ignitium amicitię fecerint, nõ etiam cognitis mutuo ſuis rationibus diſcedere. *Heliodor. lib.* 4.

Nullum tempus in amantium animabus amatorias notiones obſcurare poteſt. *Idem, lib.* 5.

Notitias & familiaritates cum ſimilibus inire conuenit. *Idem, lib.* 7.

Amicitia res inter homines pulcherrima. *Idem, lib.* 9.

AMICVS.

Haud aliter amicus diſcerni ab hoſte poteſt, niſi ex incidentium rerum euentu, & virum rectè an aliter affectus animo ſit. *Agath. lib.* 4.

AMOR.

Nil vnquam perſuadeatur humile eſſe principi, niſi odiſſe. Iucundiſſimum eſt in rebus humanis amari, ſed non minus amare. *Plinius, Panegyr.*

Velox eſt amans ad videndum id cuius deſiderio tenetur. *Heliodor. lib.* 4.

An neſcis quod amorem etiam alatum fingunt pictores: agilitatem illorũ qui eo detinentur, qua-

ſi ænigmate quodam, ſignificantes. *Eod. lib.*

Amor nullã ſatietatem admittit, neq; cùm re appetita fruitur, quiſpiã, neq; cùm auditu percipit. *Ibid*

Amantium mutuus aſpectus amoris recordatio ac redintegratio eſt: & inflammat mẽtem conſpectus, perinde atque ignis materiæ admotus. *Eodem, lib.*

AMOR.

Expertem amoris eſſe initio, beatitudo quædam eſt: at vbi captus ſis, ad moderationem reuocare animũ, ſingularis ſapiẽtia. *Ib.*

Mens amantis perinde atque ebrij, flexibilis eſt, & quę nulla certa ſede manere queat, tanquam animo vtriſque in humido affectu fluctuante. Proinde, & in ebrietatem amans, & in amorem ebrius, procliuis eſt. *Idem. lib. 3.*

Omnino deſiderium vehemens, & ſincerus amor, omnia quæ extrinſecus adueniunt moleſta, aut iucunda, deſpicit: in vnum verò id quod egregiè animo charum eſt, intueri, & in eo totum animum atque omnem curam ponere cogit. *Heliodor. lib. 1.*

Ea quæ nihil habent periculi, formidoloſæ amantibus exiſtunt: ſoliſque oculis, in iis quæ iucundiſſima & gratiſſima ſunt fidem habent. Illorum verò abſentia, metum iam & ſollicitudinẽ in animabus amore captis efficit. *Idem, li. 6.*

Acris eſt amans in deprehendẽdo eo, qui ſimili affectui ſuccubuit. *Eod. lib.*

Cùm ſint meticuloſi & ſolliciti animi de iis quæ clariſſima ſunt, facilè etiam acerbiora augurãtur. *Eod. lib.*

Acris eſt in cognoſcendo amãtium aſpectus, ſæpiúſque motus tantum & habitus, quamuis è longinquo, aut etiam à tergo, ſimilitudinis opinionem præbuit. *Idem, lib. 7.*

Dolor eius qui amatur, magis amantem quàm ſuus excruciat. *Idem, lib. 8.*

Amore perciti cùm occultas eſſe ſuas rationes putant, erubeſcunt: cùm ſunt deprehẽſi omnem pudorem amittunt. Qui latet, cunctantior eſt: qui deprehenſus eſt, audacior efficitur. *Idem, eod. lib.*

AMOR *erga principes.*

Ibi intemperantius amamus bonos principes vbi liberius malos odimus. *Plinius Panegyr.*

ANIMVS.

Animus dux atque imperator vitæ mortalium. *Salluſt. Iugurth.*

Rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur. *Ibid.*

Vincit inſcitiam animi promptitudo. *Heliodor. lib. 2.*

ANIMVS *excelſus.*

Vlla imperia quantumuis ampla aut vllæ vel perilluſtres victoriæ, nec excelſi animi magnitudinem implent nec gloriæ ſatietatem adferre poſſunt. *P. Iou. hiſt. lib. 33.*

ANIMVS *militaris.*

Hoc eſt, in quo totius reipub. ſalus vertitur, vt tirones non tantum corporibus, ſed etiam animis præſtantiſſimi deligantur. *Veget. lib. 1. cap. 7.*

APPETITIO.

Facilè omnes appetunt quæ pro cunctorum vtilitate tentantur. *Iornand. de reb. Getic.*

ARCANA *principis.*

Fieri quid debeat, cum multis

tracta: quid facturus ſis, cum pauciſſimis, vel potius ipſe tecum. *Veget. lib.* 3.

ASSENTATIO.

Regum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis euertit. *Curtius, lib.* 8.

AVARI.

Famæ, fidei, poſtremò omnibus rebus commodum ſuum anteferunt. *Salluſt. Iurgut.*

Cùm omnia rapiant, & rapta retineant, vt ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent, omnia deſunt. *Plinius, Panegyr.*

AVARITIA.

Auaritia bellua fera, immanis, intoleranda. *Salluſt. ad Caeſ.*

Multos in præceps dedit ambitio per auaritiam aliena poſſidendi. *Diodor. Sicul. lib.* 4. *cap.* 3.

AVARITIÆ *cenſura.*

Negligatur aurum, vbi electum eſt conſcientiæ præmium: patiatur aliquãdo repulſam quod ſemper auaris regibus imperabat. Eat nunc actus iſte per gentes earum parentem non excuſaſſe culpam, & ipſos animos reſpuiſſe pecuniam. Ita quod per bella ſolebat quæri, auaris ſtudio declaratum eſt, potuiſſe contemni. *Caſſiod. lib* 5. *epiſt.* 44.

AVCTORITAS *ducis belli.*

Res aduerſæ auctoritatem imperatoris imminuunt. *Caeſ. lib.* 7.

AVDACES.

Cum ſupina audacia ſententiam dicunt, in reipſa trepidantes deficiunt. *Thucyd lib.* 1.

Audaciores ſunt ſemper qui inferunt bellum. *Iornand. de reb. Getic.*

Audentes facit homines fiducia ſus: quia ſe non patitur occulere, quàm præcipit natura prodire *Caſſiod lib.* 2. *epiſt.* 2.

Natura fit, vt homines tum maximè audeant, cum repentè commutata fortuna timere deſierint. *P. Iouius hiſt. lib.* 38.

Plerunque accidit vt qui ante periculum fortem operam pollicentur, in ipſo demum diſcrimine turpiſſimam præſtent. *P. Iouius, hiſt. lib.* 41.

AVDACIA *deſperata.*

Nonnunquam accidit, vt mortalium animus ſcelere ſemel occupatus, quum in præſenti periculo timor arguit, facilè vel inuſitati ſceleris infamiam contemnat. *P. Iouius, hiſt. lib.* 40.

AVDITVS.

Auditus ad commouendum dolorem a pectu minus eſt efficax. *Heliodor. lib.* 8.

AVLA.

Illic ad reprehendenda aliena dicta & facta, ardet omnibus animus. vix ſatis apertum os, aut lingua prompta videtur. *Salluſt. ad Caeſ.*

Secretis criminationibus infamant ignarum, & (quo incautior decipiare) palam laudatum. *Tacit.* 1. *hiſt.*

AVLICI *conſeruatio.*

Bene Agrippa duorum admonebat virum in aula ſaluum futurum: vnius, vt difficultatem rerum ipſe amoliretur & ſuſciperet: alterius, vt gloriam impoſitæ ſummæ manus illis relinqueret. *Dion, lib.* 49.

AVLICI.

Speciem magis in amicitia principis, quàm vim retinent. *Tacit.* 3. *Annal.*

Iis

ſis omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt. *Ibid.*

Sub Ferdinando Rege, aulicorum mos erat, obtrectare alienæ virtuti, improbè ſuſpicari mentirí que, & neminem in aula pati, qui certa virtute ad regis gratiam niteretur. Hiſdem artibus nulló que pudore omnibus ærarij fiſcique opibus immaniter direptis, ſummæ benignitatis & clementię regem, auitoque ingenio bellicæ laudis appetêtem, militari exiſtimatione ſpoliarant. Nunquam enim eorum adulatione circumuento hoſtilem aciem videre licuerat, quum per legatos gerenda bella, & regij nominis maieſtatem nequaquam manu ſed conſilio procul à periculis tuenda ſuaſiſſent. *P. Iouius, hiſt. lib. 42.*

Regiis ignauiſque hominibus, aliena virtus oneri & calumnia virtutis odia genita magno quæſtui ſemper fuit. *Idem, eod. lib.*

AVRVM.

Sanè ipſa nos palam docet natura, aurum inuentione laborioſum, cuſtodia difficile, quæſtu anxium eſſe, vſu inter voluptatem ac dolorem conſtitutum. *Diodor. Sicul. lib 4. cap. 2.*

AVTHORITAS *principis.*

Maieſtas imperij, ſalutis eſt tutela. *Curt. lib 8.*

AVXILIVM *Dei.*

Non votis neque ſupplicijs muliebribus auxilia diuina parantur vigilando, agendo, proſperè omnia cedunt. *Salluſt. Catil.*

Dij fortioribus adſunt. *Tacitus, lib. 4. hiſt.*

Dij prohibebunt hæc, inquies, ſed nunquam propter te de cœlo deſcendent: tibi dent mentem oportet, vt prohibeas. *Liu. lib. 6.*

AVXILIA *externa in bello.*

Id cauendum ſemper ducibus, exempláque pro documentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, vt non plus ſui roboris ſuarúmque propriè virium in caſtris habeant. *Liu. lib. 25.*

B.

BARBARI.

Haud facilè inde, quo contendit, reuocari aut deflecti poteſt barbaricum ingenium. *Heliodor. libro 1.*

BEATI.

Iuſtitiæ & pietatis via euntes nuſquam fefellit fortuna. *P. Iouius hiſt. lib. 33.*

BELLA.

Arma armis irritantur. *Plinius Panegyr.*

Non magis corporis robore, quàm conſilio & prudentia bella geruntur. *Agath lib. 2.*

Bellorum initia ſapientibus maximè ſunt pertimeſcenda, quæ cum ab imperitis plerumque temere atque imprudenter ſerantur, vbi demum creuerint, niſi grauiſſimo conatu pericúlóque vix à maximis & prudentiſſimis regibus tolli vel opprimi poſſint. *P. Iouius hiſt. lib. 3.*

BELLA *ciuilia.*

Ego ſic exiſtimo, quoniam orta omnia intereunt; quâ tempeſtate vrbi Romæ fatū excidij aduentârit, ciues cum ciuibus manus conferturos, ita defeſſos & exſangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter, non orbis terrarum, neque cunctæ gentes con-

globatæ, mouere aut contundere queant hoc imperium. *Salluſt. ad Cæſ.*

In bellis ciuilibus non ætas, non dignitas, quemquam protegit, quo minùs ſtupra cædibus, & cædes ſtupris miſceantur. *Tacitus, 3. hiſtor.*

Vbi magni eſſe videntur, & non impares aut dubij potentatus, ibidem & neceſſarium eſt omnino & multis de cauſis vt animi fiant inflatiores, honorúmque & primatus cupiditates, aliíque infiniti affectus animorum, vt perturbationis ita & ſeditionum pleniſſimi ſuboriantur. *Agath. lib. 1.*

BELLATOR.

Nihil forti ſuauius, quàm vindictam manu quærere. *Iornand. de reb. Get.*

BELLATOR *imprudens.*

Quis eum prouidentiam habuiſſe putet, ſi tunc cæperit fabricis operam dare, aut penum condere, cum oporteat bella tractare? *Caßiod. lib. 1. epiſt. 17.*

BELLATORES.

Viri nati militiæ, factis magni, ad verborum linguæque certamina ſunt rudes. *Liu. lib. 10.*

BELLORVM *cauſa.*

Vna & vetus cauſa bellandi eſt, profunda cupido imperij & diuitiarum. *Salluſt. in fragm.*

Libidinum dominandi cauſam belli habēt, & maximam gloriam in maximo imperio putant. *Idem, Catil.*

Penes aliquos aurum & opes præcipuè bellorum cauſæ. *Tacit. 4. hiſt.*

BELLORVM *ciuilium origo.*

Longiora & diuturniora imperia multos attollunt, & ad res nouandas impellent. *Dion, libro 52.*

BELLI *apparatus.*

Ex præparato copiæ, bella magis ſuſtinent, quàm violentæ collationes. *Thucyd. lib. 1.*

Bellum non eſt in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia & vtilia fiunt arma. *Idem, eod. lib.*

Pleræque res bellicæ conficiuntur conſilio & vi pecuniarum. *Idem, lib. 2.*

Antequam inchoetur bellum, de copiis expenſíſque ſolicitus debet eſſe tractatus. *Veget. libr. 3. cap. 3.*

Reliquis caſibus poteſt in tempore ſubueniri: pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi ante condita. *Ibidem.*

Qui frumentum neceſſariúmque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro. *Eodem libro cap. 36.*

BELLI *euentus.*

Euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius ſtabat, ei victoriam dedit. *Liuius, lib. 11.*

BELLI *iura.*

Sunt & belli, ſicut pacis, iura: iuſtéque ea non minus, quàm fortiter debes gerere. *Liu. lib. 5.*

BELLVM.

Ad belli vſum nihil hominum multitudine vtilius. *Xenoph. lib. de vectigalib.*

Quicquid præter opinionem euenire in bello poteſt, priuſquam ingrediare, conſidera. *Thucyd. lib. 1.*

Cùm tuas vires, tum vim fortunæ; martémque belli communem

nem propone animo. *Liuius, libro* 30.

Vtrinque ferrum & corpora humana erunt. Nuſquam minus, quàm in bello, euentus reſpondent. *Ibid.*

Simul parta ac ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt. *Ibid.*

Bello inſtituto, neceſſum eſt principes malè audire & culpari, ob damna. *Thucyd. lib.* 5.

Iniquiſſima bellorum conditio hæc eſt: proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa vni imputantur. *Tacit in Agric.*

Nemo prouocare audet, aut facere iniuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindicandum. *Liuius, lib.* 4.

Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & laborem ſpe otij ſuſtentant. *Salluſt. ad Ceſ.*

In bello conſilium ab omnibus datur, ſed periculũ pauci ſumunt. *Tacit. hiſt. lib.* 3.

Nec prouoces bella, nec timeas. *Plinius, Panegyr.*

Id beatius, quàm ſuas alienáſque fortunas ſpe metúque verſare. *Tacit. German.*

Rei bellicæ ars ipſa depoſcit, vt qui militum numero præſtat, ex aperto & interdiu gerat bellum. *Procop. de bello Goth. lib.* 3.

Bellum res eſt ſanè dubia & incerti euentus, & quod momenta recipit in vtramque partem repentina, alternáſque vices, & quod omnium maximè pendet à diuina quadam & ſuperna neceſſitate. *Agath lib.* 3.

Nullum bellum dixerim graue, niſi quod cauſa debilitat, quando nihil triſte pauet cui maieſtas principis arriſerit. *Iornand. de reb. Getic.*

Sæpe multas occaſiones bellum ad rem bene gerendam ſubminiſtrat. *Heliodor. lib.* 9.

BENEFICIA.

Omnium beneficiorum quæ merentibus tribuuntur, non ad ipſos gaudium magis quàm ad ſimiles redundat. *Plinius, Panegyr.*

In lucrum cedunt quæ benemeritis conferuntur & de ipſo munere magis acquiritur, cum optimis digna præſtantur. *Caßiod. lib.* 4. *epiſt.* 24.

Magnorum beneficia ſemper ſe extollunt: vt & quibus imperare nequeunt, iura venerationis imponant. Diligunt omnes ſui prouectus ſemper auctorem: & mortalitatis iura neſciunt, qui beneficiis non tenentur. *Idem, lib.* 8. *epiſt.* 9.

BENEFICIVM.

Par eſt, vt qui priores beneficia contulere, vel gratiam parem vt referant, benefactorum vieiſſitudinem. *Procop. de bello Goth libro.* 2.

Non eſt beneficium quod præſtatur inuitis: nec cuiquam videtur vtile, quod aduerſa voluntate conceditur. *Caßiod. libr.* 1. *epiſt.* 38.

BONVM.

Aptum eſt omne bonum locis ſuis: & laudabilia quoque ſordeſcunt, niſi congrua ſede potiuntur. *Caßiod. lib.* 5. *epiſt.* 22.

Bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmiſſa triſtitia. *Idem, lib.* 8. *epiſt.* 2.

(Bonum amiſſum dum quæri-

tur, plus amatur.) *Eodem libro epiſt.*14.

Natura ipſa boni adhibita perſeuerantia pretiatur quia minus eſt laudanda incipere, quam bonorum propoſitum cuſtodire. *eod. lib. epiſt.*22.

C.

CÆDES.

Conſpectus ſanguinis incitatio & excitatio fit animi. *Heliod. l.*5.

CALAMITAS.

Propria cuique & ſua calamitas, ſi nondum vniuerſa gente deperdita ſit occurſura, apud ſanæ mentis homines haudquaquam conſolatione priuatur. *Procop. de bello Goth. lib.*1.

CALAMITATES.

Calamitates qui inopinatò adueniunt, ſunt intolerabiles: at præuiſæ æquiore animo perferuntur. Illas enim animus metu occupatus reformidat, & ægrè fert: has autem conſuetudo rationi familiares reddit. *Heliodor. lib.*2.

Grauiſſimis calamitatibus affligi, ſine vlla intermiſſione, ac tormentis cruciari variis, ac ſupra modum, horum eſſe videtur, qui affligũtur à Deo, & in eius odium incurrerint. Niſi fortè ſit aliquod conſilium Dei ſecretius, qui in extrema pericula conijcere, & vbi nihil ſpei ſit reliquum ſeruare decreuerit. *Heliodor. lib* 8.

Conſuetudo verſandi in calamitatibus efficit, vt omnia in deteriorem partem calamitoſos accipiat, & coniectura interpretetur. Solent enim ferè homines, ad rationem eorũ quæ accidunt, animum accommodare. *Eod. lib.*

CAVSA.

Omnis cauſa quæ in iudicium venit, duobus maximis & præcipuis argumentis niti conſueuit: ſcilicet probationibus quæ ſcriptis continentur, & teſtium confirmationibus. *Heliodor. lib.*10.

CELERITAS.

Duo aduerſiſſima rectæ menti, celeritas & ira. *Thuc. lib.*3.

CENSVRA.

Corrigere ea, quæ pœna nondum digna ſunt, neglecta tamen aut inſuper habita, multorum magnorúmque malorũ cauſam præbeant. *Dion, lib.*52.

CLEMENTIA.

Clementia erit, retinuiſſe ab ſtultitia & falſis voluptatibus: nõ ſi flagitiis obſecutus, delicta perpeſſus, præſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris. *Salluſt. ad Cæſ.*

Nouum impetum inchoantibus vtilis eſt Clementiæ fama. *Tacit. hiſt. lib.*4.

Indicit quodammodo & imperat præſtantibus viris clementiam, ſubiectus hoſtis. *Heliodor. lib.*9.

Vna profectò clementia morales ſuperis æquat, eiuſque muneris memoria nunquam apud conſeruatos obſoleſcit. *P. Iouius hiſt. lib.*25.

COLONIÆ.

Coloniæ, ſedes ſeruitutis. *Tacit. in Agric.*

CONFIDENTIA.

Iis teipſum credere oportet qui tibi beneuolentia ita afficiantur vt neque timore neq; cupiditate vlla lucróve tangantur. Amoris verò ſignum, difficulter apparet, & temporis obſeruatione indiget. Nã qui diuitiis intendit: natura proditor exiſtit. *Ariſt. in quæſt.*

CON-

CONIVGIVM.

Etiamſi fœminarum genus, ſui confidens ſit, aſperum, & ſuorum affectuum ſequax, atque in lapſum procliue propter imprudentiam, & eius naturam imbecillem: verum ad valetudinem & commoda noſtra vtendæ ſunt, neque illis contraria ſententia aduerſandum. Eſt enim dirigenda vita ad certum aliquem finem: ac veluti nauium gubernatores ſignum aliquod intendere, quæ profectò omnia & extera cuncta Dei inſtitutione reguntur. *Ariſt. in quæſt.*

CONSCIENTIÆ *vis.*

Perfecto demum ſcelere magnitudo eius intelligitur. *Tacitus, Annal. lib* 14.

Suus cuique animus ex conſcientia ſpem præbet. *Salluſt. ad Cæſar.*

Animus impurus, diis hominibúſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poteſt. Ita conſcientia mentem excitam vaſtat. *Idem de coniurat. Catil.*

Eſſe quam videri probus malis. *Idem, ibid.*

Nunquam rectè feceris, vt feciſſe videaris. *Velleius, lib.* 2.

CONSERVATIO *rerum.*

Illa quæ potiora credimus, ad conſeruãdum melioribus damus: & in quibus ſuſtinere damna non patimur, fidelioribus profectò mentibus applicamus. *Caſſiod. lib.* 1. *epiſt.* 42.

CONSILIA.

Plura in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geruntur. *Tacitus, Annal. lib.* 13.

Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt. *Tacit. l. hiſt. lib.* 1.

CONSILIA *praua.*

Conſilia praua duri rerum exitus e veſtigio conſequuntur. *P. Iouius, hiſt. lib* 18.

CONSILIA *temeraria.*

Conſilia calida & audacia, prima ſpecie læta ſunt, tractatu dura, euentu triſtia. *Liu. lib.* 35.

CONSILIA *tuta.*

Nulla ſunt meliora conſilia, quàm quæ ignorauerit aduerſarius antequam fierent. *Vegetius, lib* 3.

CONSILIARII.

Hebetiores, quàm acutiores, vt plurimùm, melius rempublicam adminiſtrant. *Thuc. lib.* 3.

Iis conſultoribus princeps vtatur qui multis in rebus verſati, ſúmmam erga ſe beneuolentiam ſeruent: atque moribus ſint ei ſimiles. Sed Dei claritas oſtendit, qui ſint huiuſmodi digni. *Ariſt. in quæſt.*

CONSILIARII *mali.*

Tantùm ſententiis aliorũ contradicunt. *Tacit.* 1. *hiſt.*

Conſilij quamuis egregij, quod non ipſi afferunt, inimici. *Eodem, libro.*

Aduerſus peritos peruicaces. *Ibid.*

Si quid auctoritatis in ipſis eſt, crebris contradictionibus deſtruunt. *Idem, Annal. lib.* 14.

CONSILIARII *neceſſarij.*

Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes vſque eò proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. vbicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupêre, poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtemò ſeruitus im

poſita eſt.*Salluſt.ad Caeſ.*

CONSILIARII *prudentes.*

Specie obſequij regunt,ad omniáque quæ agenda ſunt, quieta cum induſtriâ adſunt. *Tacit.* 4. *hiſtor.*

CONSILIARIVS *ſapiens.*

Vir ea ratione eſt optimus,ſi in deliberando quidem eunctetur & prætimeat quidquid poteſt contingere: in agendo autem confidat.*Herodot.lib.*3.

CONSILIORVM *euentus.*

Sæpe praua magis quàm bona conſilia proſperè eueniunt: quia plæraſque res fortuna ex libidine ſua agitat.*Salluſt.ad Caeſ.*

Conſilia,quibus impar es, fato permitte.*Tacit.6.Annal.*

CONSILIORVM *publicorum labes.*

Priuatæ res ſemper offecere officiéntque publicis cõſiliis.*Liuius, lib.*22.

Peſſimum veri affectus(& conſilij)venenum,ſua cuique vtilitas, *Tacit.hiſt.l.*1.

CONSILIVM.

Sæpe audiui eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quod in rem ſit:ſecundum, eum qui bene monenti obediat:qui nec ipſe cõſulere,nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij *Liu.lib.*22.

Supera mens cuiuſque fortunã mutare conſtituit cõſilia eorrumpit.*Velleius,lib* 2.

Bene conſulere eſt, recta cuncta ex rationis diſcurſu agere, ad propoſitum aliquem finem, reiicere quo inutilia & rationi contraria:vt mente per ſingula diſcurſante bene conſulendo propoſitum adipiſcamur.Sed omne conſilium eſt Dei virtute firmiſſimũ. *Ariſt.in quæſt.*

Nihil in rebus humanis belliſque præſertim vtilius atque præſtãtius dari poteſt,conſilio fide & rerum experientia pleniſſimo. *P.Iouius,hiſt.lib.*33.

CONSILIVM *intempeſtiuum.*

Timet,atque eum deficere omnia videntur, qui in ipſo negotio cogitur.*Cæſar,comment.lib.*5.

CONSILIVM *regis.*

Regis conſilium ſolos decet ſcire grauiſſimos.Imitari debent armaria,quæ continent monumenta chartarum. Vt quando ab ipſis aliqua inſtructio quæritur, tunc loquantur.totum autem diſſimulare debent quaſi neſciant ſcientes. Nam ſolicitis inquiſitoribus ſæpe & vultu proditur, quod tacetur.Adſit innocentia, quæ cuncta commendat: quia in placida mente regi decenter debent verba deponit.*Caſſiod.lib.*2.*epiſt.*16.

CONSCIENTIA.

Quamuis ſufficit fortaſſe,nullius ſceleris ſibi conſcium, beneuolentia numinis confidere:tamẽ honeſtum eſt, idipſum de ſe hominibus,eum quibus verſaris,per ſuadentem,tranquillè vitam hanc quæ ad tempus tantum durat,trãſigere.*Heliodor.lib.*7.

CONSOLATIO.

Maximam ducimus eſſe conſolationem,ſi ſimilia noſtrorum caſuum audiamus.*Heliodor.lib.*1.

CONSPECTVS.

Nouus & inuſitatus conſpectus, facilius quàm conſuetus, poteſt animum percellere.*Heliodo.lib.*5.

CONSVETVDO.

Peſſima conſuetudo eſt, deſpicere veritatem. *Caßiod. libr. 3. epiſt. 3.*

CONSVLVM *inſignia & nomen.*

Faſces atque ſecures conſulum poteſtati præceptæ ſunt illigari: vt cum tardius ſoluerentur, moram deliberationis acciperent, ſi de cęde aut nece hominis aliquid cenſuiſſent ita vt cum omnia eius traderentur arbitrio, ne inſoleſceret animo, conſul dictus eſt, à conſulendo. *Caßiod. lib. 6. epiſt. 1.*

CONTROVERSIARVM *tollendarum ratio.*

Nihil abſurdius, quam vnum in locum atque conſenſum totius Chriſtianæ profeſſionis antiſtites euocare, qui de ſacris dogmatibus morumque, cenſura conſtituant, prinſquam inter reges, poſitis odiis, humanarum rerum controuerſiæ finiantur. Expetendam enim prius atque parandam pacem maturè demum ſalutarem ſynodum felici fœtura parituram. Propterea non temerè veteris ſeculi partes regéſque illuſtri pietate ad cæleſtia bona poti⁹ quàm terrena ingentibus animis anhelantes, pacemque optimam optimæ & iuſtiſſimæ ſynodi parentem appellauiſſe, quum tranquillæ & ſecuræ pacis beneficio coeuntibus regibus, plures ſublatas hæreſes infinitáque Reipub. vulnera conciliis vbique terrarum celebratis, obducta atque ſanata meminiſſent. *P. Iou. hiſt. lib. 40.*

CONVICIA.

Conuicia ſi iraſcare, agnita videntur: ſpreta exoleſcunt. *Tacit. Annal. lib. 4.*

CONVIVIA.

Magnificus apparatus conuiuiorum, & ſumptuoſa largitio, nónne ab opulentiâ pariturâ mox egeſtatem? *Flor. 3. cap. 12.*

Mihi quidem videtur rerum vim & naturam optimè intelligere, qui Mercurium iuxta Bacchum collocat, & ſermonum oblectatio nem potationi admiſcet. *Heliodor. lib. 5.*

CVNCTATIO.

Multum ſæpe intermiſſus dies vnus aut alter momenti ad ſalutē attulit, & proſperos caſus præbuit, quos nullis conſiliis homines conſequi potuiſſent. *Heliodor. lib. 1.*

CVPIDITAS.

Cupiditate pauca rectè cōſiunt, circunſpectione plurima. *Thucyd. lib. 6.*

CRIMINA.

Criminum magnitudo miſericordiam ab his adimit qui iniuria ſunt affecti. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

CVPIDITAS.

Multis primo experimento extinctum eſt cupiditatis incēdium. Amoris enim, quo res proſequimur, finis eſt ſatietas. *Heliodor. lib. 1.*

Vim vehementis cupiditatis tergiuerſatio nixu contrario intendit. Oratio verò cedens, & ad nutum voluntatis appoſita, primùm ardentémque impetum ſedauit, & cōcitatam appetitionem ſuauitate pollicitationis conſopiuit. Primo ſi quidem conatu, qui agreſtius amant, in promiſſionem efflagitandam ſibi incumbendum eſſe exiſtimāt, & ſe potituros poſt promiſſa putantes, tranquilliori

ſunt animo, vacillantes in ſpe. *Idem, eod. lib.*

CVRIOSITAS *noxia.*

Principis ſenſus, & ſi qui 1 occultius parat exquirere illicitum, anceps, nec ideo aſſequare. *Tacit. 4. Annal.*

CVRIOSITAS *vitanda.*

Sanctius ac reuerentius eſt, de actis deorum credere quàm ſcire. *Tacit in German.*

D

DECEPTI.

Deceptis, & circumuentis experiendi conſilij ratio omnis & virtutis vſus excutitur. *P. Iouius, hiſt. lib. 43.*

DECEPTIO.

Melius omnibus quàm ſingulis creditur, ſinguli enim decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes feſellerunt. *Plinius Panegyr.*

DECEPTIO.

Non decipieris, ſi ſingula ratione proſequutus detractoribus aurem non præbeas, itē ſi dicta quæque diſcernens & facta conſilia tua certo iudicio directa perfeceris. *Ariſt. in quaeſt.*

DEFECTIONES.

Non aſſuetæ frænis ſeruitutis tumidæ gentium inflatæque ceruices, facilè aliàs ab impoſito iugo reſiliunt. *Flor. lib. 4. cap. vlt.*

DELIBERATIO.

Nihil in ipſo imminentis periculi lumine perniciofius eſt longa deliberatione, quæ exiguo temporis ſpatio circumſcriptam rectè ſentiēdi atque opportunè agendi facultatem eripiat. Quandoquidem magno ſit vſui celeriter explicare, & terminare conſilia quum neceſſitas vrget, & in medio diſcrimine ſalutis vltima remedia depoſcit. *P. Iouius, hiſtor. lib 28*

DEPRECATIONES.

Fœminarum ac imbellium deprecationes fortium virorū conſiliis officiunt. *P. Iouius, hiſtor. libro 41.*

DESPERABVNDI.

Non procul eſſe ab optimis & modeſtiſſimis moribus hi videntur, qui paulò ante etſi ſæpe ac multum proſperis fuere fortunæ caſibus communiti, vbi paululum deliquere, prorſus animis concidunt: quod ſanè nihil aliud præfert quàm dedignari ac planè negare ſe homines eſſe. nam nullo vnquam tempore quempiam falli, diuinitatis eſt proprium. *Procop. de bello Goth lib. 3.*

DESPERATIO.

Mendicitas ad omnem deſperationem vocat armatos. *Lamprid. in Alex.*

Homines qui de ſuis rationibus deſperarunt, ſemper quod ſupereſt temporis ad dilationem mortis in lucro ponunt. *Heliodor. libro 9.*

Ægra mortalium mens cùm de ſalute ſolicità parum ſperet nulla nunquam vel ancipitia ideóque ſæpe nocitura remedia repudiat. *P. Iouius, hiſt. lib. 28.*

DEVS.

Vnus eſt regnator omniū Deus. *Tacit. hiſt lib. 5.*

Iis qui actiones ſuas ad illius voluntatem ſuam accommodant, auxiliatur etiam non inuocatus, beneuolentia ſæpius preces antecertens. *Heliodor lib. 4.*

DIGNITAS.

Conſtat eum de ſe præſumere, qui

qui ad ſacri ordinis cupiſ faſtigia peruenire. Merita enim ſuggerũt bonę appetentiæ viſus,& in qualitate deſiderij poteſt mens honeſta cognoſci. Quis enim paleſtricæ artis ignarus in ſtudium luctaturus intro eat? aut quis certamini miſceatur,quod virtutis conſcientia non ſuadet? In ipſis conatibus ęgra langueſcunt,quę meritorum præſumptionibus non iuuantur. Præconiorum ergo profeſſio eſt, collegium deſideraſſe ſummorũ: bonúmque de ſe iudicium trahit, qui celſæ gradus expetit dignitatis. *Caſſiod.lib.4.epiſt.25.*

Talis eſt vnaquæque dignitas, qualis adminiſtrantium eſt voluntas. Nihil abiectum eſt, quod in republica geritur, niſi malis fuerit moribus fortè initiatum. *Idem, lib.6.epiſt.15.*

DIGNITATES.

Periclitarentur grauiter boni mores, ſi aut ſolis diuitibus, aut corpore valentibus præſtarentur tantummodo dignitates. *Idem,lib. 6.epiſt* 10.

Iuſtum eſt bono principi iure muneratũ nihil relinquere, quod facit natura laudabile? ſapientia eſt,quæ honores meretur, totum aliud extrinſecus venit. Sola eſt prudentia, quæ rebus omnibus prępónitur quando in homine feliciter inuenitur. *Idem,ibid.*

DILIGENTIA.

Deus maturantibus vbique aderit:nam facile noti compoteseuadunt, qui præoccupant. *P. Iouius, hiſt.lib.3.*

DISCIPLINA.

Diſciplinam in pace inexorabilem,diſcordiæ ciuiũ reſoluunt, paratis vtrinque corruptoribus, & perfidia impunita.r *hiſt.*

DISCIPLINA militaris.

Præcipuum decus & ſtabilimẽtum imperij, militaris diſciplinæ tenaciſſimum vinculum:ex cuius ſinu omnes triumphi manarunt, *Valer.Max.lib.2.cap.7.*

Acriter retenta Principatum terrarum Romano imperio peperit. *Zod.lib.cap.8.*

Diſciplina maiorum rempub. tenet, quæ ſi dilabatur & nomen & imperium amittemus. *Lamprid. in Alex.*

DISCIPLINÆ militaris corruptio.

Hodiernam militiam triſti oculo intueor,pudendam lugendámque nobis, hoſti ridendam aut ſpernendam. Cogor imaginem eius proponere,non vt cõuicium æuo faciam, ſed vt medicinam. Nam principio, *delectus* quæ forma apud nos?nulla. Emunt duces militem, non legunt. Pecuniola proponitur, tympanum ſtrepit:& ecce coeunt aliquot ignoti inter ſe ignorantéſque,purgamenta vrbiũ ſuarũ,quibus ob egeſtatem & maxima flagitia peccãdi neceſſitudo eſt, aſſueti latrociniis, bellorũ inſolẽtes, quorũ lingua vana,manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces,quæ honeſtè nominari non poſſunt inhoneſtiſſima: nullam diſciplinæ formam, nec extrema quidem eius lineamenta ſeruantes, laſciuientes certatim, inter quos omnia apparent indiſpoſita,temulenta,peruigiliis veneris ac Bacchi quam diſciplinæ caſtrẽſi propiora. Hi nec in prælio ſtatu & caſtris habentur, ſed per municipia deſides,hoſpitibus tãtùm metuendi, offundunt ſe in luxum, epulas & nocturnos cæ-

tus ibi circumferri merum largius iubent,debellaturi ſuper mēſa Alexandrum : ſuas vires extollere docti,hoſtium paucitatē contemnere:cæterum galeati lepores, & quibus vt ad populandos finitimorum agros, tectáque vrenda & capienda pecora aliqua vis ſit, ita & in acie & ſignis collatis nulla vis eſt , nec in victoria eis decus,nec in fuga flagitium.Vt omnia paucis:Exercitu lingua quàm manu promptior, prædator è ſociis,& ipſe hoſtium præda. *I. Lipſius , politic.libr.* 5. *cap.* 8. *ex variis hiſtor.*

DISCORDIA.

Arduum ſemper eodem loci potentiam & concordiam eſſe.*Taci. Annal.lib*.4.

DOLOSI.

Doloſos agnoſcet princeps , ſi obſeruauerit qua quiſque erga te libertate vtatur : an eoſdem ſemper mores habuerit in ſalutando conſultandóque ac reliquæ vitæ conſeruatione,nec quicquam eorum quæ amicitia poſtulat prætermiſerit ab affectibus & aliis vitæ rationibus.*Ariſt in quæſt*.

DIVITES.

In qua domo non tantum patrimoniis,ſed & virtutibus aditur hereditas, hoc eſt profecto, quod verè diuites facit. Quando nullum melius poteſt eſſe compendium , quàm laudibus ſucceſſiſſe maiorum.*Caſſiod.lib.*1.*epiſt*.23.

DIVITIÆ.

Auri vis atque opes principibus infenſæ.*Tacit.Annal*.11.

Ii demum penates,ea ciuitas,id regnum , æterno in gradu facilè ſteterit,vbi minimum virium Veneris pecuniæque cupido ſibi vindicauerit. *Valer. Maxim. libr.* 4. *cap*.3.

Sæpe iam audiui,qui reges,quæ ciuitates, per opulentiam magna regna amiſerint , quæ per virtutem inopes cœperant. *Salluſt. ad Cæſ.*

Vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes ſatis pollent. Omnia bona vilia ſunt:fides,probitas,pudor,pudicitia.*Ibid.*

Nec quiſquam extollere ſe, aut diuina mortalis attingere poteſt,niſi omiſſis pecuniæ & corporis gaudiis.*Ibid.*

Opes atque Diuitiæ afflixêre ſæculi mores , merſámque vitiis ſuis quaſi ſentinâ , rempublicam peſſundedêre.*Flor.*3.*cap*.12.

Rex diuitias conſeruat: ſi nihil indignum regno ſuo,neque flagitioſè agit,neque in vanis rebus & incommodis,ſumptus facit,& erga populum ſuum ſe beneficum benignúmque præbuerit. etenim Deus bonorum omnium , quem ſequi oportet,largitor eſt,hoc collaudato,ſequentem ediſcere hortatur.*Ariſt.in quæſt.*

DIVITIARVM *vanitas.*

Opes quas multi labores & frugales cumularunt,profuſi conuiuij petulantiæ ſæpius tradit fortuna.*Heliodor.lib*.5.

DVCES *belli.*

Duces eligendi ſunt, qui fortitudine & iuſtitia excellant , quíque hominum ſalutem cruentæ victoriæ anteponant. *Ariſt. in quæſt.*

DVCES *belli imprudentes.*

Fit plerunque militiæ vt duces nouiſſimo iudicij genere deteriora,quæ

ra, quæ ſua ſint, conſilia ſequi malint, quàm probare meliora, quæ videant: quòd alienis ingeniis credere turpiſſimum putent. *P. Iouius, hiſt. lib.* 41.

DVCIS *æquitas.*

Eius qui præclarè velit imperare munus eſt, vt ipſe plurimas res gerat, partorum cum aliis æqualiter ſit particeps. *Heliodor. lib.* 1.

DVX *belli.*

Neque fortis, vel eximius imperator eſſe poteſt, qui non omne vel iniquæ ſortis periculum contemnit vt publicæ dignitatis & priuati nominis decus defendat. *P. Iouius, hiſt. lib.* 42.

Nequaquam cauti boníque imperatoris fuerit, ſeſe ex bidui mora, ad maximè perículoſi certaminis diſcrimen ferociſſimis & inuictis gentibus obieciſſe. Alienius à diſciplina, quàm propter inane oſtentationis decus, non neceſſarium cum ſæpe victoribus, æquato etiam virium numero, pugnæ caſum ſubiiſſe. *Idem, hiſtor. lib.* 44.

E

ELECTIO *principis aut magiſtratus.*

Optimum quemque Electio inuenit. Nam naſci & generari à principibus, fortuitum, nec vltra æſtimatur: cooptandi iudicium integrum: &, ſi eligere velis, conſenſu monſtratur. *Tacit. lib.* 1. *hiſt.*

EQVITES.

Equeſtrium virium proprium, citò parare, citò cedere victoriam. *Tacit. German.*

ERVDITIO.

Eruditum vtilia honeſtis miſcere. *Tacit. Agric.*

ERVDITIONIS *vſus.*

Fugiat doctrina delictum indocilis eſt animi, ad vitia trahi. Ædificatus libris, locum non relinquit iniuriis: vbi in teneris annis acquiritur, quod matura ætate ſeruetur. *Caſſiod. libro* 3. *epiſt.* 11.

EXCVSATIO.

Vel culpa vacantibus excuſare ſeſe licet. *P. Iouius, hiſtor. libro* 43.

EXEMPLA.

Plures aliorum exemplis docentur. *Tacit. lib.* 4. *hiſt.*

EXERCITIA *militaria.*

Miſerum eſt, cùm exerceantur athletæ venatores, & gladiatores, non exerceri milites. quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet. *Vulcat. Gall. in Auid. Caſſio.*

In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. *Veget. lib.* 1. *cap.* 1.

Exercitus labore proficit, otio conſeneſcit. *Idem, lib.* 3. *cap.* 26.

EXERCITVS.

Ordinatus exercitus, iucundiſſimus adſpici amicis, moleſtiſſimus hoſtibus. *Xenoph. Oeconom.*

Melius eſt ad belli vſus, dimidiã partem peditum habere, & præualere numero equitum, quàm omnia paria hoſtibus nactum in aciẽ deſcendere. *Polyb lib.* 3.

Diſciplinam non poteſt ſeruare ieiunus exercitus. *Caſſiod.* 4. *l. ep.* 13.

EXERCITVS *bene compoſitus.*

Militibus arma & animus ſint, ducibus conſilium & virtutis ſuæ regimen relinquant. *Tacit.* 1. *hiſt.*

Parendo potius, quàm imperia ducum ſciſcitando res militaris continetur. *Ibid.*

EXERCITVS *bene compoſitus.*

Fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus. *Tacit. I. hiſt.*

Ei pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in diſcrimen ipſum certaminis differt. *Liuius, lib. 7.*

In decoris armis & militaribus equis, non in ſcortis atque conuiuiis, libidinem habet. *Salluſt. Catil.*

Horridus miles eſſe debet, non cælatus auro argentóque, ſed ferro & animis fretus. Quippe illa, præda verius quàm arma ſunt: nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem & vulnera. *Liuius, libro 9.*

Non teneat te aut terreat vanus adſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. *Tacit. Agric.*

Neceſſe eſt vt dimicandi acriorem ſumat audaciam, qui munito capite & pectore nõ timet vulnus. *Veget. lib. I. cap. 20.*

EXERCITVVM *clades.*

Vniuerſos imperatoris exercitus vnum corpus eſſe exiſtimato, *inquit Beliſarius ad Narſetem*: quos ſi fortè vt hominis membra non vnum ſentire contigerit, ſed ſeorſum ab inuicémque diſiunctos gerere aliquid velle, nobis procul dubio id relinquetur, vt eorum quæ deceant quum nihil egerimus, vtrique ſimul diſpereamus. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

EXILIVM.

Nimis durum videtur, ablegari in ſolo barbarico, vbi omnia hoſtilia occurrunt, nec vllus deſertos & errabundos omnino pacatus locus excipit. *P. Iouius, hiſt. lib. 3.*

F.

FACTIONES.

Factiones fuêre, erúntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbíve, quæque alia in Deûm iras, velut vltima publicorum malorum vertunt. *Liu. lib. 3.*

FACVLTATES *abſentium.*

Peruiæ ſunt ſemper iniuriis facultates abſentium, & quodammodo videtur occaſio homines in delictum trahere, quæ non poteſt animum peruadentis de reſultatione terrere. *Caſſiod. libro I. epiſt. 15.*

FACVNDIA.

Multum facundior eſt, qui ſententiam dictat, quàm ille qui ſupplicat. Libertas verba nutrit, metus autem copiam frequenter intercipit. *Caſſiod. lib. 5. epiſt. 22.*

FAMA.

Tales nos crede, qualis fama cuiuſque eſt. *Plinius, Panegyr.*

Quiſquis factus eſt princeps, exemplo fama eius, incertum bona an mala, cæterùm æterna eſt. Non ergo perpetua principi fama, quæ inuitum manet: ſed bona concupiſcẽda eſt. Ea porro non imaginibus & ſtatuis, ſed virtute ac meritis prorogatur. *Plinius, Panegyr. ad Traian.*

Princeps in negotiis ac iudiciis peragendis delictiſque puniendis, bonam aſſequetur famam: Si omnibus ſe æquum ratione præbuerit, & nihil ſuperbè nihilque pro poten-

potentiæ ſuæ viribus contra delinquentes ages. Id autem aſſequetur, ſi Dei diſpoſitionem inſpiciat, qui dignis ſua vota perficit, peccantibus verò vel per inſomnia vel opere demonſtrat, quid illis nocuum ſit: neque ſecundum eorum peccata, neque pro magnitudine virium ſuarum homines cædit, ſed manſuetudine vſus corrigit rectè. *Ariſt. in quæſt.*

Bonam & malam famam æquo animo feret princeps. Ac ea ille, ſi ſibi ipſi propoſuerit inquit: cũctos mortales ſic à Deo eſſe creatos, vt maximis malis iactati: bonis rurſus afficiantur: neque quiſquam omnium ſit, qui huiuſmodi alternationem effugere valeat: Deus enim implorandus eſt, qui tranquillitatem tribuat. *Ariſt. in quæſt.*

FAMÆ *Studium.*

Cæteris mortalium in eo ſtant conſilia quid ſibi conducere arbitrētur. Principum diuerſa ſors eſt, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. *Tacit. Annal. lib. 4.*

Cætera Principibus ſtatim adſunt: vnum inſatiabiliter parãdum, proſpera ſui memoria. Nam contemtu famæ, contemnuntur virtutes. *idem, eod. lib.*

FAMES.

Vbi fames comparet, cum cæterorum malorum obliuione homines inuadit, & præter mortem hanc ex ſe prodeuntem quoduis aliud mortis genus voluptati vt ſit mortalibus facit. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

Grande commodum eſt cum indigentibus paciſci: quando fames torum ſolet contemnere, vt ſuam neceſſitatem poſſit expellere. *Caſſiod. lib. 4. epiſt. 5.*

FASCINATIO.

Aer vndiquaque nobis circumfuſus, per oculos, nares, anhelitum, & alios poros intus penetrans, & vna ſecum exteriores qualitates, quibus imbutus eſt, inferens, qualis influxerit, talem quoque affectum iis qui illum exceperunt, inſeminat. Quamobrem quoties aliquis cum inuidia res præclaras eſt intuitus, ſimul & circumſtantem aerem infeſta qualitate impleuit, & ſpiritum à ſe amarulentia plenum in id quod propinquum eſt tranſmiſit: ille vt tenuis & ſubtilis vſque ad oſſa ipſa & medullas penetrat: atque ita pleriſque fuit inuidia morbi cauſa, qui proprium nomen faſcinationis accepit. *Heliodor. lib. 3.*

FATVM.

Quod diuinitus contingere debet, homo à ſe nulla arte diſpellet: ac ne veriſimilia quidem dicentī fidem habebit. *Herodotus.*

Quæ fato manent, quamuis ſignificata, non mutantur. *Tacit. lib. 1. hiſt.*

Inuictæ leges neceſſitatis, pectus etiam ab amentia remotum, prodigia iuſta æſtimatione perpendere non patiuntur. *Valer. Max. lib. 1. cap. 6.*

Morituros & in ocio fato præcipitant. *Iornand. de reb. Getic.*

Meliora conſilia præuertit fatũ. *P. Iouius, hiſt. lib. 26.*

FAVOR.

Sæpe experti ſumus hanc eſſe rerum conditionem, vt ſenatus fauor apud principem aut proſit, aut noceat. *Plinius, Panegyr.*

FELICITAS.

Eſt demum vera felicitas feli-

citare dignum videri. *Ibid.*

FESTINATIO.

Omnia non properanti clara certáque ſunt, feſtinatio improuida eſt & cæca. *Liu. lib.* 22.

Nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, quàm celeritas. *Idem. lib.* 31.

FIDES *militum.*

Fluxa per diſcordias militum fides. *Tacit* 2. *hiſt.*

FILII.

Nemo enim crediturimpendiſſe veteribus puritatem innocuã niſi qui eorum ſtirpem habere probatur acceptam, claudãtur odia cũ ſepultis. Ita perire noueris cum proteruis gratia non debet eccum berē eum dilectis: ſed magis affectuoſius tractandus eſt, qui ad regni cauſas innocens inuenitur. Perpendere quid à vobis mereatur ſucceſſor bonorum. *Caßiod. lib.* 8. *epiſt.* 1.

FISCVS.

Huius mala cauſa nunquam eſt, niſi ſub bono principe. *Plinius, Panegyr. ad Traian.*

FLAGITIA.

Flagitia & facinora ſine modo ſunt. *Tacit. Annal. lib.* 3.

FOEDERA.

Fœdera paribus commodis, ex æquatiſque ſumptibus & mutuis periculis confirmantur. Quod ſi ſtudia atque officia negligendo nihil rependeris, celeriter abſoleſcunt. *P. Iouius, hiſtor. libro* 41.

FOENVS.

Vrbibus vetus, fænebre malum. *Tacit.* 6. *Annal.*

FORMA *principis.*

Formam principis figurámque, non aurum melius vel argentum, quàm fauor hominum exprimat tenеátque. *Plin. Panegyr. ad Traian.*

FORTES.

Paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria. *Veget. lib.* 3. *cap.* 26.

Viri fortes ſemper in pace modeſti ſunt: & iuſtitiam nimis diligunt, qui frequenter prælia tractauerunt. *Caßiod. lib.* 12. *epiſt.* 3.

Viri fortes & pro libertate pugnantes, nullo vel difficillimarum rerum periculo terreri debere quominus fortiter audeant, & tentata ſæpe dubij martis fortuna non conſtantiæ modo, ſed viuidæ virtutis famam ardentiſſimæ defendendam demonſtrant. *P. Iouius, hiſt. lib.* 28.

Fortibus viris, aut egregiè pugnando cadendum eſt, aut poſtquàm ſuprema neceſſitas id feret, honeſtiſſimè patiendum. *Idem. hiſt. lib.* 43.

Quid acerbius quàm in ipſa felici temeritate, ſi etiam fortuna votis annuat, nullam omnino laudem ferre, & contra etiam militari iudicio pœnam promereri? Porro quid calamitoſius, quàm in aduerſo euentu cum ignominia leuitatis atque ſtultitiæ in veſtigio pœnitere ſimul & perire? mollities enim ea eſt animorum non magnitudo, vti falſo nomine appellant. Non enim ij ſunt viri fortes qui dolore fatiſcunt, & inani metu franguntur, adeo vt ſalutem proiicere, decoróque vitæ exitu miſeriis finem afferre, quàm ſtatum cœlo fatum expectare malunt. *P. Iou. hiſt. lib.* 32.

Imminēre periculo dux milites hortatur vt priſtinę virtutis ſuę memores eſſe velint, & quod tũ iniqua

rerum ſors diſcrimen affert, vna animi fortitudine ſuperandum exiſtiment: viris quidem fortibus de honeſta morte, non de turpiſſima fuga, quæ etiam futura eſſet incerta, eſſe cogitandum. *Idem hiſt. lib.*37.

FORTITVDO.

Fortitudinis finis eſt, ſi quando periculoſa imminent (ait) in rebus aggrediendis recte quis conſuluerit, & conſulendo propoſitum aſſequatur. Tibi enim rectè vtilitérq; conſulenti Deus cuncta perficiet. *Ariſt. in quæſt.*

FORTVNA.

Omnia ſumma ratione geſta etiam fortuna ſequetur. *Liuius lib.*5.

Solet quos plurimis beneficiis ornauit ad duriorem caſum reſeruare. *Cæſar.*

Incertitudo fortunæ hominibus ignota eſt. *Heliodor. lib.*4.

Multa atque ab opinione hominum aliena ſæpius fortunæ humanæ varietas efficit. *Idem lib.*7.

Fortuna non iniqua plerumque libidine bona pariter & mala inter mortales diſpenſare ſolet. *P. Iouius hiſt. lib.*34.

Fortuna extremis mortalium caſibus illudere ſolet. *Idem hiſt. lib.* 40.

Fortuna non ſera vnquam temeritatis vltrix. *Idem lib.*44.

Fortuna impotens bellicarum rerum pro libidine gubernatrix. *Idem eodem lib.*

FRAGILITAS HVMANA.

Humana fragilitas dum ſuſpicionibus incurrit, magna plerunque agendo occaſionem rerum intercipit. *Iornand. de reb. Geticis.*

FRAVS.

Iis qui in dignitate ſunt, turpius fraude circumuenire, aut lædere, quàm vi aperta. *Thucyd. lib.*4.

Fraus in paruis fidem ſibi præſtruit, vt cùm operæpretium ſit, cum mercede magnâ fallat. *Liuius, lib.*28.

Arma aperta palam vites: fraus & dolus occulta, eóque ineuitabilia. *Tacit.* 2. *hiſt.*

Hoſtem aduerſum homini ſtrenuo opprimere haud difficile eſt: ſi occulta pericula neq; facere, neque vitare bonis in promptu eſt. *Salluſt. ad Cæſar.*

FRVGALITAS.

Tantas habet vires frugalitas, vt tot impendiis, tot erogationibus, ſola ſufficiat. *Plinius, Panegyr.*

FVTVRA.

Solent mortales, dum rerum præſentium admiratione capiuntur, & plerunque ſimul inſcitia, futura quædam præſagire, & dum moleſtiis opprimuntur, temere contemplando futura prædicere. *Procop. de bello Goth. lib.*3.

G

GAVDIVM.

Summum gaudium etiam fletum interdum gignere ſolet. *Heliodor. lib.*10.

Offunditur caligo etiam ſapientiſſimis viris, præ nimia voluptate. *Idem, eod. lib.*

GENEROSI.

Apud generoſos veræ clementiæ locus nunquam ſordeſcit, quum cætera ex bellicis operibus atque periculis quæſita virtutum præconia, quod multis ſæpe communicentur, celeriter euaneſcunt. *P. Iouius hiſt. lib.*25.

Elata generoſáque ingenia certam fidem præſtant nec ab æquitate diſcedunt, at ſi contempſeris fa-

ciliè coniurant. *Idem lib.* 42.

GENEROSVS.

Generoſus, grauem etiam rerum ſuarum iacturam facilè contemnit, quum ampliſſima veræ laudis ac ingentis famæ commoda latè proſpiciat. *Idem lib.* 39.

GLORIA.

Eximia gloria ſæpius fortunæ quàm virtutis eſt beneficium. *Curtius, lib.* 8.

Niſi hominibus officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus ſedem ſtabilem non habebit. *Valer. Max. lib.* 2. *cap.* 9.

GLORIA.

In gloria id potiſſimū eſt Deum venerari, non ſacris inquam, neque muneribus: verum animi puritate ac fide candida, eius voluntatem ſequi. *Ariſt. in quæſt.*

Amiſſa gloria inſtauratur. Quādo Princeps clemens omnibus gratúſque exiſtit, quæ res beneuolentiam comparant: fieri non poteſt vt excidat: & magni prætereā armorum apparatus, maximam ſecuritatem præſtant. *Idem, ibid.*

GLORIA PRINCIPVM.

Optabant Itali, vt Carolus quintus nequaquam ſimilis euaderet quibuſdam ſuperiorum temporum Cæſaribus Germanis, qui non in amore atque beneuolentia ſubiectarum gentium, ſed præcipuum potentiæ ſuæ robur in veterano milite prædæ alito reponere conſueuiſſent, ob idque Henrici, atque vtriuſque Federici, & Ludouici Bauari, & Caroli quarti exemplis, miſeras Italis ciuitates, quæ liberæ atque opulentiſſimæ dicerentur, ſibi prædæ deſtinaſſent, poſtquàm illud vetus inclytæ laudis & famæ ſtudium, quo generoſiſſimi olim principes præclaras res bello geſſerant apud huius ſeculi principes vigere deſierit. Pauci ſiquidem poſt Carolum Magnum ad veræ pietatis & gloriæ decus rapi viſi ſunt, quum nemo fermè arma tractarit, vt bona pace parta frueretur & admirandis iuſtę virtutis monumentis ſeculum ſuum florentius & luculentius efficeret, ſed vt victoriis & bellis nunquam modum imponendo, inſatiabilem animi libidinem poſteris teſtaretur. Id enim hodie præclarum atque magnificum videtur ad mutuas clades inteſtinis graſſari bellis, vt immanem illam belluam ab oriente noſtris diſſidiis excitatam prouocemus, vaſtaturam proculdubio cuncta, quum nos valido & concitato impetu affectos viribus miſereque diſſidentes inuaſerit. *P. Iouius hiſt. li.* 37.

GRATIAE CONSERVATIO.

Virtute gratia conſeruatur, ea enim pulcherrimorum operū perfectrix, malum conculcat. *Ariſt. in quæſt.*

GRATIFICATIO.

Parentibus ante omnes gratificandum eſt: etenim Deus in honorandis parentibus præceptum maximum poſuit, cenſens amicos ſecundo loco habendos: quos animo pares nominauit. *Ariſt. in quæſt.*

GRATITVDO.

Viro ſapienti gratitudo pulcherrimum munus. *Heliodor. lib* 2.

GRATIARVM ACTIO.

Sciamus nullum eſſe nec ſincerius nec acceptius genus gratiarū, quàm quod illas acclamationes æmulemur, quæ fingendi non habent tempus. *Plinius Panegyr.*

Merenti gratias agere facile eſt. *ibid.*

H

Hellvones.

Iis mos, veſcendi cauſa, terra marique omnia exquirere. *Salluſt. Catil.*

Historia.

Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitę humanæ varias mutationes, & rerum in eâ conuerſiones mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus: & vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in diuinę iuſtitiæ manus incidas: hæc amplectêris, vt præmiis quæ ea comitantur potiaris. *Baſil. Imp in præcept. monit.*

Scio me aliquando liberius quã deceret totius præſertim orbis geſta perſcribentem in explicandis principum conſiliis, quibus haud dubiè perituri ſumus, ab inſtituta breuitate diſceſſiſſe, ſed certè boni mortales in hac publici doloris, & iam propinqui luctus cauſa lõgius profectò, facilem omnino veniam dabunt, quum intelligent, quanta inſania ſummi reges præclaram occaſionem non propulſandi modò verùm ingenti victoria delendi eius hoſtis amiſerint, qui accerſitus vltrò in ceruices noſtras cruentum gladium ſecurus exercet, exercebítque tandiu inſolenter atque feliciter, quandiu vigebunt reges, qui nulla pietate & ſumma vecordia perdendo orbi nefariis inter ſe armis depugnent: ſcilicet vt poſtquàm mutuas vires attriuerint, occidentis quoque imperium cuncta iam ex tuto fidenter inuadenti barbaro fœdè relinquant. *P. Iouius hiſt. lib. 39.*

Historiae *vtilitas.*

Eorum quæ prius facta ſunt hiſtoria memoriam tranſmittit ad poſteros, & reſiſtit tempori egregia facinora obſcurare ac in obliuionem perducere conanti. *Procop. de ædif. Iuſtiniani, orat 1.*

Hominis *officium.*

Cum homo diuinum ſit opus, quod quidem & totius mundi fabrica monſtrat: rectè ſequitur, vt omnem virtutis & ſermonis ſui pulchritudinem principiúmque à Deo deducat. *Ariſt in quæſt.*

Hominvm *ingenium.*

Nati omnes peccare & labi ſunt, qua priuatim, qua publicè, neque lex eſt quæ ſatis validè vetet aut capiat modum. *Thucyd lib. 3.*

Nec totam ſeruitutem pati poſſunt, nec totam libertatem. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

Domantur vt pareant, non vt ſeruiant. *Idem Agric.*

Natura humana meram & non temperatam lætitiam capere non poteſt. *Heliodor. lib. 5.*

Honor.

Eo impenditur labor ac periculum, vnde honos atque emolumentum ſperatur. *Liuius, lib. 4.*

Honos *quibus deferendus.*

Honorem potiſſimum omnes tribuendum putant his quos amicè diligamus: ego verò opinor erga æmulos habendam eſſe honoris munificentiam quam maximè gratam, quo illos hoc præſertim modo ad ea quæ honeſta ſibi ſunt & vtilia inducamus. Oportet au-

tem Deum qui mentibus dominatur precatiõe hæc perficiat. *Ariſt. in quæſt.*

HONORES.

Onera eſſent potius, non honores, ſi ſupra vires aliquid imponeremus inuitis. *Caſſiod. lib. 6. epiſt. 1.*

Conſtat felicem eſſe rempublicam, quæ multis ciuibus reſplēdet ornata. Nam ſicut cœlum ſtellis redditur clarum, ſic relucent vrbes lumine dignitatum. Non quia fiat homo alter honoribus, ſed quia modeſtior efficitur, à quo conuerſationis ordo melior poſtulatur. Quis enim opinionem ſuam vituperabiliter tractare velit, quam ſpecialiter ad laudes electam eſſe cognoſcit? Illum ſiquidem honores glorificant, quem commendat & vita. Nam malo inſtituto viuere nec principi fas eſt: quando & de illo populus occultè poteſt dicere, cui mores ſuos publicè nullus auſus eſt imputare. *Eod. lib. 6. epiſt. 11.*

HOSPITALITAS.

Hoſpitalitatis remuneratio ea eſt. Si omnibus æquus exiſtens quę acceperis maiori etiam fœnore accumulata reddideris: ita vt in hoſpitalitate excellere videaris. Nā & Deus plurimum humiles erigit: & ſubiectos homines diligit. *Ariſt in queſt.*

HOSTIS *occultus.*

Nihil enim obtrectare ſocio, & occulto hoſte periculoſius, quem præſertim in tergo ſis habiturus. Nam quum ex occaſione animi libidinem nudauerit, inſidioſius demum atque lethalius nocebit. *P. Iouius hiſt. lib. 32.*

HVMILITAS.

Ab vllo periculo fortuna Principis non longius abeſt, quàm ab humilitate. *Plinius, Panegyr.*

An contemnatur qui imperium qui faſces habet? niſi qui humilis & ſordidus, & qui ſe prius ipſe contempſit. *Idem lib. 8. epiſt. vlt.*

Poteſt ſupplicando adulandóq; facilè impetrari ab homine generoſo, & ab inſita Barbarorum animis vanitate, ineptè ſæpe gloriam affectanti, quod vi atque armis minimè poſſet extorqueri. *P. Iouius Hiſt. lib. 39.*

I.

IGNAVIA.

Ignauus forte audacibus iubere nil poſſit: nemo plus præſumentibus imperat, quàm quem ſua facta commendant. *Caſsiod. lib. 4. epiſt. 17.*

IMBELLES.

Vernacula multitudo, laſciuiæ ſueta, laborum eſt intolerans. *Taci. 1. Annal.*

Quanto pecuniā dites, & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles. *Idem, 3. Annal.*

Imbelle genus omni vexatione indignum cenſetur. *P. Iouius hiſt. lib. 41.*

IMPERATOR *iuſtus.*

Aſſueſcat imperator, cum imperio calculum ponere, ſic exeat, ſi redeat, tanquam rationem redditurus: edicat quid abſumpſerit. Ita fiet vt non abſumat quod pudeat dicere: præterea futuri principes, velint nolint, ſciāt. *Plinius, panegyr. ad Traian.*

IMPERII *cupido.*

Natura mortalium auida imperij eſt. *Salluſt. Iugur.*

Vetus ac pridem inſita mortalibus potentiæ cupido. *Tacit. lib. 2. hiſt.*

Ea cunctis affectibus flagrãtior. *Idem, Annal.lib* 15.

IMPERII *formæ.*

Cunctas nationes & vrbes populus, aut Primores, aut ſinguli regũt. *Tacit. Annal.lib.*12.

Delecta ex his & conſtituta Reipub. forma facilius laudari quàm euenire: aut ſi euẽnit, haud diuturna eſſe poteſt. *Ibid.*

IMPERIORVM *conſeruatio.*

Non ignauia magna imperia continentur, ſed virorum armorúmque faciendum certamen. *Tacit.*15. *Annal.*

IMPERIVM.

Firmiſſimum id imperium, quo obedientes gaudent. *T. Liuius.lib.* 8.

Qui benignitate ac clementia imperium temperauere, his candida omnia & læta fuerunt: etiam hoſtes æquiores, quàm aliis ciues. *Saluſt.ad Cæſar.*

In terris nomen imperij primum fuit. *Salluſt. Catilin.*

Principio rerum, gentium natiońumque imperium penes reges erat. *Iuſtin.lib.*1.

Vnum imperij corpus vnius animo regendum videtur. *Tacit. Annal.lib.*1.

Imperium, ſi in paruo contemnitur, in omni parte violatur. *Caſſiod.lib.*2.*epiſt.*12.

IMPRVDENTIA.

Pleraque. & ſe, imprudentia pręcipitat. *Salluſt.ad Cæſar.*

Stultum eſt, propter vnius amentiam, multitudinem internecione delere. *Heliodor.lib.*9.

INCLINATIO *Principum.*

Fato quodam ac ſorte naſcendi, vt cætera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt. *Tacit.*4. *Annal.*

INDIGNA *agere.*

Nihil indignum, Princeps, ages, ſi quid te doceat quidve poſſis omni in re, proſpexeris, ne tua dignitate indecorum quidquam dicendo, agendóve te excidat, intelliges omnes quibus imperas de te ſemper & cogitare & loqui, neque enim minimum hypocritis partes qui ex vultus varietate mentem coniectant, ex cuius conſideratione indecenter cuncta peragunt. *Ariſt.in quæſt.*

INFELICITAS.

Haud fieri poteſt, quin ſemel infelices non ſemper aduerſa fortuna laborarent. *Heliodor.lib.*5.

INGENIVM.

Ingenij præclara facinora, ſicut anima, immortalia ſunt. *Saluſt. Iugurth.*

INGLORIVS.

Si quando ſuperbia quis ductus exaſperetur: vituperationes tunc ſubeunt & gloriæ priuatio. Nam Deus totius gloriæ dominator, eam quò vult declinat. *Ariſt. in quæſt.*

INIMICITIAE *vit.*

Omnino ſuaue quibuſdam eſt, vel perire, dummodo inimicorum internecione pereundum ſit. *Heliodor.lib.*8.

INIMICORVM *contemptus.*

Inimicos ſpernet Princeps ſi placidus erga omnes benignitatem exercuerit: nullius amicitię ratione habita. Gratum verò ſe omnibus præbere: id pulchro Dei munere, quod optimum eſt conceditur. *Ariſt.in quæſt.*

INIVRIA.

Grauiter dolet iniuria, quę con-

tigerit inſperata, & ſi inde proueniat dolus, vnde credebatur auxilium. *Caſsiod.lib.5.epiſt.43.*

INNOCENTIA.

Diſcimus experimento fideliſſimam eſſe cuſtodiam, principis ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non eiicere. fruſtra ſe terrore ſuccinxerit qui ſeptus charitate non fuerit, armis enim arma irritantur. *Plinius, Panegyr.*

Vt nec fraus aſtutis machinationibus occulitur, nec innocentia falſis criminationibus ingrauatur. *Caſsiod lib.5.epiſt.29.*

INNOCENTIA
iuuenilis.

Conſulto prouida decreuit antiquitas, minores contra vetus liberos non habere: vt & inſidiantium laquei fruſtrarentur, & lapſis ætas lubrica ſubueniret. Obrueretur quippe innocentia, ſi relaxaretur audacia, eſſétque cunctis fallendi ſtudium, ſi fraus ſubrepticium lucraretur effectum. *Idem lib.4. epiſt.35.*

INSECTATIO.

Inſectari malos principes tutum eſt. *Plinius Panegyr.*

Licet nobis & in præteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari, & futuros ſui exemplo præmonere, nullum locum, nullum eſſe tempus quo funeſtorum principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant. *ibid.*

INSIDIAE.

Solum ſæpe inſidiarum remedium eſt, ſi non intelligantur. *Tacit.14. Annal.*

INVIDIA.

Si quis aduerſum labores, curas & ſollicitudines pro Republica perdurare queat: tamen conſpicuum eſt, quantum hæ res inuidiæ atque odij gerenti eas conflent. Quis autem ſanæ mentis homo gratam ſibi vitam iudicet apud homines æmulos? aut publicæ rei ſibi adminiſtrationem expetat, vbi vel re malè geſta iudicium, vel bene geſta inuidia ſit ſubeunda? *Dion.lib.36.*

Nemini princeps inuidebit, ſi animaduerterit primùm, Deum omnibus regibus largiri gloriam, diuitias, & magnitudinem, & illi imperare poſſe neminem. Nam etſi huiuſmodi gloriæ participem ſe quiſque cupiar, haud tamen poteſt, Dei enim donum eſt. *Ariſt in quæſt.*

Inuidia creſcentis dignitatis ſemper comes. *P. Iouius hiſt. lib. 33.*

IRA.

Ira nihil prouidet: immo ea deſignat plerunque quorum pœnitentia neceſſariò eſt comes. *Xenophon, lib. de re equeſtri.*

IRA.

Fœdum eſt, inter iura publica priuatis odiis licentiam dare, nec ad arbitrium proprium iudicandus eſt inconſultus feruor animorum. Iniquum quippe nimis eſt, quod delectat iratum. Furentes iuſta non ſentiunt: quia dum coniuncti animo in vindictam ſæuiunt, rerum temperantiam non requirunt. Hinc eſt quod legum reperta eſt ſacra reuerentia: vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu. Quid enim à bellica confuſione pax tranquilla diſtabit, ſi per vim litigia terminentur?

tur? *Caſſiod.lib.48.epiſt.10.*

IRACVNDIA.

Princeps non erit iracundus ſi conſiderauerit quòd is in quo omnium vita pendet, ſi quid per iram agat, mortem pluribus affert, quod quidem triſte & perniciosum eſt, multorum vitam regni cauſa delere, verùm cùm omnes obſecundent & pareant, nec vnus quidem aduerſetur, qua de cauſa iraſcendum eſt. Sed noſſe oportet, vt Deus omni indignatione vacuus vniuerſum gubernet, quam eum mitari neceſſe eſt. *Ariſt. in quaeſt.*

Nihil incommodius & peſtilentius in magnis conſiliis præcipiti iracundia eſſe poteſt. *P. Iouius hiſt. lib.29.*

IVDEX.

Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi de vita trans actum non patitur immutari. ſigna tua abactores timeant, fures paueſcant, latrones perhorreant: innocentia tantum læta reſpiciat dum ſibi auxilia veniſſe credit, quæ legum diſciplina tranſmiſit. Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius conditur, vbi aurum ſuſcipitur. Tute inermem reddis, ſi à virili animo cupiditate receſſeris. *Caſſiod. lib.7. epiſt.1.*

Faſcibus obedire, plerunque poteſtatis neceſſitas cogit: parere iudici priuato, ſola ſententiarum probitas facit. Vnde nobis plus laudis videtur habere voluntarius iudex, quando ad audientiam non eligitur, niſi qui iuſtus eſſe moribus æſtimatur. *Idem, lib.8. epiſt.17.*

IVDEX.

Maximum ei qui in iudicio dicit, ad fidem faciendam, adinuentum eſt, iudicis ſcientia. *Heliod. lib. 10.*

Iudicem legitimum definimus, eum qui æquitatis patronus ac defenſor eſt. *Eod. lib.*

IVDICIA
Dei.

Horribilia accidunt, & ſuperioribus temporibus facta ſunt, & vt in poſterum fiant neceſſe eſt, quoad vſque terra hæc perſtabit, & humanæ naturæ peccata. *Agath. lib.5.*

IVRISDICTIO.

Non eſt tale pacatis regionibus ius dicere, quale ſuſpectis gentibus aſſidere: vbi non tantùm vitia, quantum bella ſuſpecta ſunt, nec ſolum vox præconis inſonat: ſed tubarum crepitus frequenter inſultat. Retia namque munimina ſunt ſtatuæ, & clauſtra prouinciæ. *Caſſiod. lib.7. epiſt.15.*

IVSTITIA.

Iuſtitia & charitas vbicunque inter mortales fouentur, felicem proculdubio rempublicam reddunt, ſtabilémque atque adeo diu manſuram efficiunt, nec facilè iniuriæ opportunam, vt capi ab hoſtibus queat. *Agath. lib.1.*

Si dominus vincat, oppreſſionis inuidia eſt. æquitas verò creditur, ſi ſupplicem ſuperare contingat. *Caſſiod. lib.1. epiſt 12.*

IVSTITIAE
amor.

In regno id potiſſimum obſeruandum eſt vt rex conſeruet ſe à muneribus incorruptum: atque magnam vitæ partem inuigilare,

præconia quàm tributa. Quia ſtipendium & tyranno penditur: prędicatio autem niſi bono principi non debetur. *Idem lib. 9. epiſt. 25.*

LEGIS.

Poſitas ſemel leges (dictum Auguſti) conſtanter ſeruate, nec vllam earum immutate. Nam quæ in ſuo ſtatu eadémque manent, etſi deteriora ſint, tamē vtiliora ſunt reipub. his quæ per innouationem vel meliora inducūtur. *Dion, lib. 52.*

Corruptiſſimâ Republica, plurimæ leges. *Tacit. Annal lib. 4.*

Vt antea flagitiis ſic nunc legibus laboratur. *Idem, eod. lib.*

Ille cupiditates noſtras libidinéſque moderantur. *Plinius, Panegyr.*

Melius ſemper legum pondere preſſa euratur audacia: & dum metus talibus imponitur, peccandi licentia non præbetur. *Caſsiod. lib. 42. epiſt. 13.*

Quid poteſt eſſe felicius quàm homines de ſolis legibus confidere, & caſus reliquos non timere? Iura publica certiſſima ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia potentum frena. *Idem, libr. 3. epiſt. 17.*

LIBERALITAS.

Niſi modus adſit, liberalitas in exitium vertitur. *Tacit. 3. hiſt.*

Nihil largiatur Princeps, dum nihil auferat. *Plin. Panegyr.*

Apud venales barbaros nihil magis in pretio eſt, quàm ſimplex vel aſtuta liberalitas. *P. Iouius, hiſtor. lib. 28.*

LIBERI.

Nutriuntur à paruulis, ipſis laboratur, ipſis diuitiæ conquiruntur; & cum ſibi vnuſquiſque credat abundare quod poſſidet, cum à patribus adhuc quæritur, pro altera potius ætate peccatur. *Caſsiod. lib. 2. epiſt. 14.*

LIBERI *principis.*

Non claſſes, non legiones, perinde firma imperij munimenta, quàm numerus liberorum. *Tacit. hiſt. lib. 4.*

LIBERTAS.

Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe nō ſinas. *Liu. lib. 4.*

Libertas iuxta bonis & malis, ſtrenuis & ignauis optabilis eſt. *Salluſt. ad Cæſ.*

Non me prętereit aliquanto audacius quæri quàm defendi libertatē, ab his præſertim hominibus, qui vitæ fortunarúmque ſuarum certam ſalutem dubiis belli caſibus. Anteponūt, nec aliunde quàm ab incolumi patria, cuncta vitæ commoda atque ornamenta exſpectant. *P. Iou. hiſt. lib. 25.*

LIBERTAS.

Libertas apud proteruos citò perit niſi reſpublica moderatis conſiliis regatur: *Idem, ibid.*

Populis ad arma natis libera ſemper fuit poteſtatem auſpicia ſequi, quorum vel occultato nomine ſtipendia pręberentur. *Idem, hiſt. lib. 41.*

LIBERTATIS *amor.*

Homines in nullum magis inſurgunt, quàm in eum quem imperium in ſe adfectare ſentiſcunt. *Xenoph. de inſtit. Cyri, lib. 1.*

Omnibus animalibus facilius, quàm hominibus imperitare. *Idem eod. lib.*

LIBIDINOSI.

Animo per libidines corrupto nihil honeſtum ineſt. *Tac. Ann. lib. 11.*

LICENTIA *militaris.*

Neſcio quo pacto, aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram. *Caßiod. lib.1. epiſt.9.*

LITERÆ.

Parum mihi placent eæ literæ, quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. Marius apud *Salluſt. in Iugur.*

LITES.

Quemadmodum vis morborũ pretia medentibus, ſic fori tabes pecuniam fert aduocatis. *Tacitus, Annal. lib.11.*

Publicæ mercis nihil tam vænale, quàm aduocatorum perfidia. *Idem, eod. lib.*

LVCRVM.

Aduerſorum caſuum aciem & ardorem lucrum obtundit. *Heliodor. lib.2.*

LVCRVM.

Iudico lucrum eſſe pulcherrimum, quod cum nulla iactura præbentis ditiorem efficit accipiẽtem. *Idem, lib.5.*

LVXVS.

Nulla alia res ciuiles furores peperit, quàm nimia felicitas? *Florus, lib.3. cap.12.*

LVXVS *cenſura.*

Epulæ Barbarorum è Danubio facilè potantium vna oriza vnísque omnino veruecinis carnibus captæ finitęque ſunt, adeò ſimplici aſtrictóque apparatu, vt non obſcurè nimiam luxuriam noſtris exprobrare viderentur, qui mẽſuram decus, quo vno præcipuè nobilitatem ac inſaniam oſtentamus, nequaquam naturæ deſiderio, ſed immenſa gulæ libidine diffiniant, vt obiter non ſit mirum, eos conſilio atque armis inuictos & ſemper victores euaſiſſe, quum talem voluptatem, quæ in hac noſtratum gentium vita longè potiſſima cenſetur, vti capitalem bellicæ virtutis hoſtem domi & foris penitus abdicarint. *P. Iou. hiſt. lib.40.*

M.

MAGISTRATVS.

Initia magiſtratuum ferè meliora ſunt, ſed finis inclinat. *Tacit. Annal. lib.15.*

Ad ornatum palatij credimus pertinere aptas dignitatibus perſonas eligere. Quia de claritate ſeruientium creſcit fama dominorũ. Moribus enim debet eſſe conſpicuus, qui datur imitandus. *Caßiod. lib.4. epiſt.3.*

Non vnius loci vir debet dici, à quo multa videntur impleri. *Eod. lib. epiſt.4.*

Magiſtratibus præficiendi ſunt quicunque iniqua odio habent, ac laudatos boni principis imitantur affectus, laudúmque dulcedine tracti iuſta ſemper ad adipiſcendam gloriam operantur. *Ariſt. in quaſt.*

MAIESTAS.

Scito parum tutam eſſe ſine viribus maieſtatem. *Liuius, lib.3.*

Continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit. *Liuius, lib.35.*

Maieſtati maior ex longinquo reuerentia. *Tacit. Annal. lib.1.*

Ignotum hominibus ſemper pro magnifico eſt. *Idem, in Agricola.*

MAGNITVDO *animi.*

Vt felicitatis eſt, quantum velis poſſe, ſic magnitudinis, velle quantum poſſis. *Plinius, Panegyr.*

MALA *preterita.*

Delinquentibus aliis, atque in poſterum

poſterum aliis proſperis ſuccedentibus rebus, præteritorum malorum ſolet recordatio ſubleuari. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

MANSVETVDO.

Ea eſt diſciplina ſapientiæ ſi princeps, qui omnibus bonis abundare cupit, hoc ipſum in ſubiectos ſibi populos & delinquentes ſeruet, vt optimates præſtantéſque viros humanius commoneat. Etenim Deus manſuetudine cunctos fouet. *Ariſt. in quæſt.*

MEDICINA.

Ars illa corporis affecti curationem profitetur, animi verò non principaliter, ſed tantummodo quum afflicto corpori compatitur. *Heliodor. lib. 4.*

MEDITATIO.

Nihil eſt quod non aſſidua meditatio facillimum reddat. *Veget. lib. 1. cap. 19.*

MENDACIVM.

Non turpe eſt mendacium, cum authori commodat, & audiẽti non nocet. *Heliodor. lib. 1.*

MERCES *benefactorum.*

Sit benefactis tantùm ex conſcientia merces. *Plin. Panegyr.*

Graue nimium eſt vt fructu laboris ſui fraudetur induſtrius: & cui adhibetur pro ſedulitate conferri prǽmium, diſpendium patiatur iniuſtum. *Caſsiod. libr. 2. epiſt. 21.*

MERITORVM *agnitio.*

Cunctis proficit recti tenax propoſitus: nec locus relinquitur iniuriæ cùm ad bonos peruenit regula diſciplinæ. *Caſsiod. libr. 4. epiſt. 4.*

METVS.

Illatus ab infenſo validóque hoſte metus & ſalutis & decoris cura, vel ſegnes animos ad iter erigit. *P. Iouius, hiſt. lib. 45.*

MILES *bonus.*

Miles hæc tria curare debet: Corpus, vt quàm validiſſimum & perniciſſimum habeat: arma apta: animum ad ſubita imperia paratum. *Liu. lib. 44.*

MILES *laudatus & illaudatus.*

Honeſtas idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. *Veget. lib. 1. cap. 7.*

Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnéſque qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynecæa pertinens, longè arbitror repellendos à caſtris. *Ibid.*

Opificum vulgus & ſellularij, minimè militiæ idoneum genus. *Liuius, lib. 8.*

MILES *voluptuoſus.*

Degenerat à robore ac virtute miles aſſuetudine voluptatum. *Tacit. 2 hiſt.*

Si quid ardoris ac ferociç habuit, popinis & comeſſationibus deteritur. *Ibid.*

MILITES.

Non eadem virtute ac modeſtia agunt: quia plerunque inopes ac vagi ſponte militiam ſumunt. *Tacit. 4. Annal.*

Duo ſunt quæ Principatus comparant, ſeruant, augent, Milites & Pecunia. *Dion, lib. 42.*

MILITES *agreſtes boni.*

Ruſtica plebs aſſueuit hiemem & æſtatem iuſta pati, humi requieſcere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. *Salluſt. Iugurth.*

Minimæque ad eos mercatores ſæpe commeant, atque ea quæ ad effæminandos animos pertinent, important. *Cæſar. lib.1. comment. de bell. Gall.*

Talibus viris non labor inſolitus, non locus vllus aſper aut ardens erit, non armatus hoſtis formidoloſus. *Salluſt. Catil.*

Ipſo terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur. *Tacit. German.*

Ex agris ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. *Veget. lib.1. cap.3.*

Aptior armis ruſtica plebs quæ ſub diuo & in laboribus enutritur. Neſcio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Ibid.*

MILITES *in bello ciuili.*

In omne fas nefáſque auidi ſunt aut vænales, non ſacro, non profano abſtinentes. *ibid.*

A ciuilibus bellis, plus militibus quàm Ducibus licet. *ibidem.*

MILITES *iuuenes legendi.*

Si antiqua conſuetudo ſeruanda eſt, incipientem pubertatem ad delectum cogendam eſſe nullus ignorat. *Veget. lib.1. cap.4.*

Nec enim tantùm celerius, ſed etiam perfectius imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris. *ibid.*

Neque longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio. *Idem, lib.2. cap.23.*

Facilius eſt ad virtutem inſtruere nouos milites, quàm reuocare præteritos *Idem, lib.3. cap.10.*

MILITES *mali.*

Populatores terræ, quàm à populationibus vindicare debebant. *Curtius, lib.3.*

Sine pudore flagitij, ſine cura ducum, abeunt, fugiunt. *Tacit.1. Annal.*

Amant non iuberi, non regi, cunctáque ex libidine agere. *Idem, 4. hiſt.*

Iuſſa ducum interpretari malunt, quàm exequi. *Idem, 2. hiſt.*

MILITES *mercenarij.*

Vilius conſtat armis erudire ſuos, quàm alienos mercede conducere. *Veget. lib.1 cap.28.*

MILITES *nudi.*

Fit, vt non de pugna, ſed de fugâ cogitent, qui in acie nudi exponuntur ad vulnera. *Veget. lib. 1. cap. 20.*

MILITES *nomine tenus.*

In conuiuiis & circulis, cùm de hoſtibus mentio incidit, vix manibus temperant. *Liuius, lib.32.*

Ignauiſſimus quiſque, & in periculo minimum auſurus, nimij verbis, linguæ feroces. *Tacit. 1. hiſt.*

MILITES *ſtrenui.*

Milites fide virtutéque præſtantes, neque præmiis turpiter capi, neque minis ac ignominia terreri ſolent, extremas ſpes in armis habituri. *P. Iou hiſt. lib.43.*

MILITVM *delectus.*

Si modò exercitati & prudentes viri delectui præponantur, celeriter manus bellis apta poteſt aggregari. *Veget lib.2. cap.18.*

MILITVM *ingenium.*

Aſſiduè dimicantibus, difficile eſt morum cuſtodire menſuram. *Caſſiod. lib.1. epiſt.11.*

MILITIA *laudata.*

Cenſete hæc eſſe bonæ militiæ, velle,

velle, vereri, obedire. *Thucydid. libr.* 5.

MINISTRI *principum.*

Obſequio promptior, honoribus & opibus extolletur. *Tacitus Annal.li.*1.

MISERIA *humana.*

Clariſſimus quiſque vel criminis inſons, quum capitur, non cõceptæ quidem noxæ pœnas, ſed aduerſam fati ſui ſortem ſubit. *P. Iouius hiſt.li.*42.

MISERICORDIA.

Benigni principis eſt ad clemẽtiæ commodum, tranſilire terminos æquitatis: quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant. *Caſſiod.l.*2.*epiſt.*9.

MODESTIA.

Modeſtiæ fama neque ſummis mortalium aſpernanda, & à diis æſtimatur. *Tacit. Ann.l.*15.

MONARCHIA.

Pacis intereſt omnem poteſtatem ad vnum conferri. *Tacitus hiſt.l.*1.

Diſcordantis patriæ non aliud remedium eſt, quàm ſi ab vno regatur. *Idem, Ann.l.*1.

Vnum imperij corpus, vnius animo regendum videtur. *Eodem libro.*

MORES.

Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet: in principum plus. *Plinius Panegyr.*

MORS.

In morte vacante omnĩ iniuria dulcis eſt exitus. *Heliodor.l.*1.

MORBVS.

Omnis morbus qui citò cognoſcitur facilè curari poteſt: ſed qui tempore inueteraſcit, propemodum eſt inſanabilis. Alimentum eſt enim morborum ſilentium: cæterum quod abrumpitur, leniri conſolatione facilè poteſt. *Heliod. lib.* 4.

MVLIER.

Plerunque muliebre conſilium deterius. *Tacit. Ann.l.*15.

Non imbecillis tantùm & impar laboribus hic ſexus: ſed, ſi licentia adſit, ſæuus, ambitioſus. *Idem, Ann.l.*3.

Mulier, amiſſa pudicitia, alia non abnuerit. *Ann.l.*4.

MVLIERES *impudicæ deſcriptæ.*

Impudicæ mulieres & adoleſcentum cupidæ, implacabiles exiſtunt, & ſæuam iram concipiunt, cum ſua ſpe labuntur: & contumaces, tanquam eos à quibus iniuria ſunt affectæ, vlciſcuntur. *Heliodo. libr.* 7.

MVLIERVM *ingenium.*

Quædam prædicta mulieribus, interdum cunctationem attulerunt: eadem ſubitò agi cœpta, cũ audacia plerunque peracta ſunt. *Heliodor.l.*4.

MVLIERVM *vis.*

Magnam vim habent ad faciendam viris fidem muliebres & habitandi conſuetudine coniuncti oculi. *Heliodor.l.*8.

MVLTITVDO *in bello.*

Eſt multitudo in bellis impedimentum maius, quàm auxilium. *Liuius.l.*9.

Etiam in multis legionibus pauci ſunt qui prælia profligant. *Tacit. Ann.l.*14.

In omni conflictu non tã prodeſt multitudo quàm virtus. *Veg. l.*1.*c.*28.

MVNIFICENTIA.

Armis quàm munificentia vinci minus flagitioſum eſt. *Salluſt. Iugurt.*

MVTATIO *principum.*

Opportuni magnis conatibus, tranſitus rerum. *Tacit. 1. hiſt.*

N

NATVRA.

Repugnante ſiquidem natura, quælibet cedit induſtria, nec prodeſt ſtudium laboris impendere, quem vbertas loci non cognoſcitur adiuuare. *Caſſiod. libr. 4. epiſtol. 38.*

Natura vincit omnia. *Heliodor. libr. 19.*

NATVRA *hominum.*

Plaga cœli non tantùm ad robur corporum, ſed etiam animorum facit. *Veget. l. 1. c. 2.*

NAVFRAGI.

Crudelitatis genus eſt, vltra naufragium velle deſæuire: & illos ad diſpendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania pericula ceſſiſſe. *Caſſiod. libr. 4. epiſtol. 7.*

NECESSARIA *principi.*

Principi maximè neceſſaria ſunt ſubditorum amor & dilectio, per hoc námque inſolubile beneuolentiæ vinculum texitur. Deus enim ea perficit quæ rectè eliguntur. *Ariſt. in quæſt.*

NECESSITAS.

Hominibus vel ea quidem quæ ſuauiſſima ſunt, nedum hoſtilia dixerim, ni ſponte ſua vltróque geſſerint, ſed inuiti fortè coactique operum precio locent, haudquaquam ſunt voluptati futura, ſed laborioſa potius videbuntur, dum cogit neceſſitas. *Procop. de bell. Goth. l. 3.*

Dum neceſſitas vrget & formido ingruit, quæ rectiora ſunt factu vtcunque & leuiter deguſtamus. *Agath. l. 5.*

Inuentrix conſiliorum omniũ eſt neceſſitas. *Heliodor. l. 7.*

NEGOTIA *humana.*

Magna negotia magnis indigent apparatibus. Quorum enim variè intricata negotia numen poſuit, horum neceſſe eſt & fines lõgioribus ambagibus peragi. Alioquin ea quæ longum tempus conflauit, breui temporis momento retegere nequaquam conducit. *Heliodor. l. 9.*

NEGLIGENTIA.

Negligentia maxima laborat, qui filiorum curam non geſſerit, eóſque nulla in re erudiat. Deo enim ſemper vota nõn pro nobis tantum concipimus, quantum precamur, vt & liberis noſtris bona cuncta adſint, eruditionem & prudentiam impartiatur. Nam id Dei virtute euenit. *Ariſt. in quæſtionibus.*

NEVTRALES.

Videmus quos ignauia aut praua calliditas, vt alienis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit, acerbiſſimas pœnas ſoluiſſe. *Salluſt. ep. Mithrid.*

NOBILES.

Optimus quiſque eſt nobiliſſimus. *Gell. l. 2.*

In cuiuſcunque animos virtus inſit, ei plurimum eſt tribuendũ. *Ibidem.*

In id nati, vt neque ipſi quieſcant, neque alios ſinant. *Thucydid. libr. 1.*

Qui-

Quibus in pace durius ſeruitiũ eſt. *Tacit.6.Ann.*

Plerique nobiles,inueterata maiorum conſuetudine ſeſe, clientéſque ſuos latrociniis alere nequaquam turpe ducunt. *P. Iouius hiſt.l.41.*

NOBILITAS.

Nobilitas non obſcuratur, ſed illuſtratur á principe. *Plinius Panegyr.*

Si inueteratæ & per genus ductæ diuitiæ nobiles faciunt, multò magis præſtantior eſt,cuius origo theſauris prudentiæ locuples inuenitur.*Caſſiod.l.8.epiſt.19.*

Nobilitatis ſpecimen & pulchritudinis aſpectus,vel prædonũ ingenium ſibi ſubiicere, & vincere ferociores poteſt.*Heliodor.libro primo.*

NOX.

Cuncta terribiliora, vel fortib. viris reddit nox intempeſta.*P.Io. hiſt.lib.39.*

O

OBLIGATIO.

In principe rarum, ac prope inſolitum eſt, vt ſe putet obligatum,aut ſi putet,amet.*Plinius Panegyr.*

OBLIVIO *malorum.*

Magnum eſt adiumentum ad obliuionem malorum, recordatio animi viſus amotione obſcurata. *Heliodor.l.2.*

OBSEQVIVM.

Si omnia quæ alium quemuis in te imperantem facere velles, ea ipſe tua ſponte feceris:nec peccabis quidpiam, & omnia ritè diriges,& vitã ex eo iucundiſſimã ſimul & tutiſſimã viues. *Dion,l.3.*

Nimis iniquum eſt,vt ille patiatur diſpendium,qui imperium fecit alienum.*Caſſio.l.2.ep.26.*

OBSEQVIVM *aulicum.*

Quanto quis obſequio promptior,honoribus & opibus extolletur.*Tacit.1.Ann.*

OCCASIO.

Eſt mos hominibus,occaſiones repentinas ad artes ducere. *Caſſio. li.1.ep.1.*

OCIVM.

Latet ſub ocio laudabilis fortitudo:& dum ſe probandi non habet ſpatium, occulta eſt lux tota meritorum.*Caſſiod.li.1.ep.24.*

ODIVM.

Honeſtius puta offendere quàm odiſſe.*Tacit.in Agric.*

ODIVM *inter conſiliarios principis.*

Stimulat non rarò priuati odij pertinacia in publicum exitium. *Tacit.1.hiſt.*

OPERA *diuturna.*

Opera diuturna ea ſunt ſi magna quis & veneranda abſoluat, adeo vt ſpectantes propter operũ pulchritudinem & excellentiam illis abſtineant, neque quenquam prætermittat eorũm qui talia expoliunt,neque indonatos aliquos ad ea perficienda impellat, quæ vſus poſcit. Etenim Deus cuncta cernens, genus hominum donis accumulat, præbens illis bonam valetudinem, & ſenſus & alia huiuſmodi. Quare & tu ſimile quid imitatus,laborantibus calamitoſiſque, malorum viciſſitudinem quietémque tribue: ea namque perpetua,quæ ex iuſticia perficiũtur.*Ariſt.in quæſt.*

OPERA *malorum.*

In his quæ à malis bene fiunt,

ſic tenendus eſt modus, vt appareat, autorem diſplicuiſſe non factum. *Plin. Paneg. ad Traian.*

OPES.

Magnæ opes, non tam multa capiendo, quàm haud multa perdendo, quæruntur. *Dion, l. 52.*

ORACVLA.

Oracula & ſomnia vt plurimũ ex euẽtibus iudicantur. *Heliodor. lib. 2.*

ORATIONIS *finis.*

Orationis finis eſt, propoſito de quo dicendum ſit, aduerſario perſuadere, diluendo contraria & inepta oſtendendo. Sic enim inoffenſo currens pede, finem multa laude aſſequetur, ſed Dei opere dirigitur perſuaſio. *Ariſt. in queſt.*

ORATOR, *ſeu legatus.*

Oratori illi honor maximè deferri ſolet, qui veritate mox patefacta ad ſuos dimittitur: ſed is ignominia præ cæteris affici, qui vbi commentitia quædam & ſubdola fecerit verba, ad ſuos mox redeat. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

ORDO *in exercitu.*

Acies diſtinctior, & ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacunque opus ſit, facilis iungẽti. *Liu. l. 9.*

Nihil tam vtile aut decorum hominibus quàm ordo. *Xenoph. Oeconom.*

OTII *fuga.*

Ne inertia torpeas, multa cum diligentia quæcunque in mentem veniunt ſunt verſanda, & ante oculos vitæ forma & imago quædã proponenda, tum qua quæque vi perfecta ſunt conſid randum: eſt enim & in his d cus ſuum & eruditio quædam. Nam & ſæpe in mi nimis egregium quiddam elucet, quod eligas. *Ariſt. in queſt.*

P

PATIENTIA.

Ferre quæ diuinitus immittuntur neceſſariò oportet: quæ ab hoſtibus, viriliter. *Thucyd. l. 2.*

PATRIA.

Commodis patriæ potius quàm priuatæ vtilitati eſt conſulẽdum. *Heliodor. l. 10.*

Vrbs quæuis cordato viro patria eſt. *Heliod. l. 3.*

PATRIÆ *amor.*

Genua capta, ferunt Auriam, (qui fortitudine ſua patriam liberauerat) cohortantibus quibuſdã ciuium primatibus, vt dominatũ ciuitatis, quem bona ſors offerebat, ſuſcipere vellet, huius rei peramplum munus mira animi integritate atque conſtantia renuiſſe, quum diceret ſibi exactæ propè ætatis ſeni, & ſatis opulento, nulliſque innixo liberis, ineptum fore principatus nomen, ſatiúſque omnino eſſe & multò glorioſius, id donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquam priuato ciue vel externo principe, qui ſua ope ad imperium prouehi poſſet, amicitiam & gratiam promereri, quando nihil ad verã laudem vberius, vel ad dignitatem honeſtius, vel denique ad reliquæ vitæ felicitatem firmius atque ſplendidius fore iudicaret, quàm æternæ ſuæ erga patriam munificẽtiæ trophęũ, poſt excuſſum ipſius auſpiciis diu turnæ ſeruitutis iugum, in foro memoriaque hominum, liberatę, à ſe patriæ ſtatuiſſe. *P. Iouius, hiſto. lib. 26.*

Amantes patriæ & conſtitutæ libertatis ſtudioſos, veróque bo-

no tranquillæ pacis gaudentes, vna maximè concordia lætari decet, obliuiſciq́ue, item omnis priuatæ iniuriæ publicæq́ue ſimultatis. Inſuperabilem namque ciuitatem, non arma, non pecuniæ, ſed vnus publici decoris conſenſus efficit. *P. Iou. hiſt. l. 27.*

PATRIÆ *cultor.*

Patriæ cultor exiſtes, ſi tibi perſuaſeris, domi viuere & mori optimum eſſe, peregrinationem verò agentibus ſtultitiam, diuitibus dedecus afferre ſeu patria ſuis malis eiecti ſint. *Ariſt. in quæſt.*

PATRIMONIA.

Magis illa principis ſunt patrimonia, quæ à ſubiectis legitimè poſſidentur. *Caſſiod l. 5. ep. 14.*

PAVOR.

Adunatas deſpicite diſſonas gẽtes. Indicium pauoris eſt ſocietate defendi. *Iornand. de reb. Getic.*

PAVPERTAS.

Securitas inter inſidiatores tenuitate comparatur: feréque com miſerationi propior eſt paupertas, quàm inuidiæ. *Heliodor. l. 6.*

PAX.

Si quis me roget, an etiam ſi quis in ciuitatem iniurius fuerit cenſeam cum eo pacem colẽdam: equidẽ illud nolim, ſed hoc affirmo, nos hoſtes facilius vlciſci poſſe, ſi noſtra ciuitas iniurioſum habuerit neminem: illi enim nullos habebunt armorum bellique ſocios. *Xen. l. de vectigalib.*

Qui deſiderat pacem, præparet bellum. *Liu. l. 2.*

Oportet nos, pacem quærere, qui cauſas iracundiæ noſcimur non habere. quando ille moribus obnoxius iam tenetur, qui ad iuſta deprehenditur imparatus. Omni quippe Regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas: in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur. Hęc eſt enim bonarum artium decora mater. hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minimè quæſiſſe ſentitur. *Caſſiod. l. 1. ep. 1.*

PECCATVM.

In qualitate eſt, non in quantitate peccatum: ſiquidem menſurã non quærit iniuria. *Caſſiod. libr. 2. ep. 12.*

Fit aut imbecillitate, aut ſuperbia humani ingenij, vt non facilè quiſquam vbi peccauerit, vel ſecum ex conſcientia ſe deliquiſſe fateri velit, nec ideo alienæ ſeueritatis & malignitatis impetum magnopere formidat. *P. Iouius, hi. lib. 29.*

PECVNIA.

Pecunia inter ciuiles diſcordias ferro validior. *Tacit. hiſt. l. 2.*

PECVNIÆ.

Pecuniis acerbè conquirendis principes plus inuidiæ ſibi quàm virium addunt. *Idem, 3. hiſt. lib.*

Nunquam pecunias ciuitati alendo & ſuſtinendo bello defecturas crediderim, ſi ſit firmum apud ciues, quod rectè optare facilius quàm ſperare poſſumus, communis concordiæ ſtudium. *P. Iouius, hiſt. l. 27.*

PEDITES.

Plus in pedite robur. *Tacit. Germ.*

Maior numerus peditum ſumptu & impenſa minore nutritur *Veget. l. 2. c. 1.*

Magis neceſſarij reipub. pedites, qui poſſunt vbique prodeſſe. *Ibid.c.2.*

PEREGRINANTIVM *miſeria.*

Vita quæ in errore agitur, inſcitiam tanquam cæcitatis tenebras offundit iis qui in peregrinis terris & exteris nationibus verſantur. *Heliodor.l.7.*

PERFIDI.

Perfidos nunquam cauſa deficiet, cur pacto non ſtent. *Liuius, libro 9.*

Semper aliquam fraudi ſpeciē iuris imponunt. *Idem, ibid.*

PERICVLA.

Omnia ſunt ſuſpecta & formidabilia, quæ in extremo periculo deueniunt. *Heliodor.l.9.*

Iis qui in extremo verſantur periculo, peculiare eſt, inanium verborum figmenta ad dilationem proferre. *Idem, l.10.*

PHILOSOPHIA.

Philoſophari, eſt bene & commodè ratiocinari, refert, circa vnumquodque eorum quæ emergunt, neque appetitibus efferri, negligeréque vana cuncta & ſtulta quæ ex cupiditatibus oriri ſolent, ad peragenda opportuna mēſura quadam deduci, quem ſtatū vt adipiſcamur. Applaudens & huic deinceps oſtendere iubet. *Ariſt.in quæſt.*

PIETAS.

Cyrus dicebat, ſi omnes familiares, Dei metuentes eſſent, minus eos aut inter ſe aliquid illicitum patraturos, aut in ipſum. *Xenoph.pæd.l.8.*

Diuinum Numen, omni modo, omni tempore, ipſe cole, iuxta leges patrias; & alij vt colant, efficce. *Dion, libr.52.*

Ipſa eſt perfecta pietas, quę antequam flectetur precibus, nouit conſiderare fatigatos. *Caſſiod. libr, 4.epiſt.26.*

Pulchritudine dignior eſt pietas. Nam & ipſa pulchritudo quędam eſt præcellens: eius autem potentia charitas, quæ quidem Dei munus eſt, cuncta in ipſa bona amplectens. *Ariſt.in quæſt.*

Pietatis robur eſt cognoſcere quòd Deus omnia ſemper operatur, & videt, neque eam lateat quiſquam iniuſta faciens, neque perperam agens, vt enim vniuerſum orbem Deus bono afficit. *Idem, ibid.*

Nunquam dolor ita inualeſcet, vt memoriam Numinis ex animo meo excutiat. *Heliod.l.2.*

PLEBS.

Nihil auſura eſt, principibus amotis. *Tacit.1. Ann.*

Procacia plebis ingenia. *Idem, 2.hiſtor.*

Nihil vltra verba audet. *Idem 3, hiſtor.*

POPVLVS.

Magnitudine nimia, communium curarum expers populus. *Tacit.1.hiſt.*

Priuata cuique ſtimulatio, & vile decus publicum. *Ibid.*

POTENTIA.

Potentia mediocriter exercita, omnia quæſita conſeruat. *Dion, lib. 43.*

Qui impudenter & paſſim in omnibus potentia abutitur, is neque veram beneuolentiam, neque firmam ſecuritatem inuenit. *Ibid.*

Cautis, quàm acrioribus conſiliis Potentia tutius habetur. *Tacit. Ann.l.11.*

Ea demum Potētia tuta eſt, quę viribus ſuis modum imponit. *Valer. Max. l. 4. c. 1.*

Nihil rerum mortalium tam inſtabile & fluxum, quàm potentia ſuâ vi nixa. *Tacit. 13. Ann.*

PRÆDONES.

Bellum in prædones ſemel ſuſceptum non deſeritur, aut certis conditionibus terminatur, quaſi pacis vel induciarum fœdera cum illis ferri poſſint: ſed prorſus neceſſe eſt eos aut victoriam adeptos vitam vtcunque ſuſtentare, aut ignominioſa morte affici, ſi fortè victi in manus victorum incidāt. *Heliodor. l. 1.*

Prędonibus pecuniæ animabus ipſis maiore pretio æſtimantur, & amicitię nomen ac neceſſitudinis ad vnum lucri finem deſtinatur. *Idem, eod. l.*

Cùm ſemper infidum ſit eiuſmodi hominum genus, vel tūc pręcipuè, cùm duce, pro imperio illorum animos ad moderationē reuocante carent. *Idem, l. 2.*

Seruatur & apud prædones conſcientia erga notos, officij & humanitatis. *Idem, l. 5.*

PRÆFECTI.

Melius eſt officiis & adminiſtrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare cùm peccarint. *Tacit. in Agricola.*

PRÆMIA.

Præmia bonorum malorúmq; bonos ac malos faciunt. *Plinius, Panegyr.*

Eadem ſub principe virtutibus præmia, quæ in libertate nec benefactis tantum ex conſcientia merces, ſed etiā præmia ſunt. *Ibid.*

Pauci adeo ingenio valent vt non turpe honeſtúmque, prout bene vel ſecus ceſſit, expetant fugiántve: cæteri vbi laboris inertię vigilantiæ ſomno, frugalitati luxuriæ merces datur, eadē iſta quibus alios artibus aſſequutos vidēt, conſectantur: qualéſque ſunt illi, tales eſſe & videri volunt, & dū nolunt, fiunt. *Idem, ibid.*

Certantes in ſtadio numeroſior corona glorificat: Olympicos currus frequens palma nobilitat: ſic vel in leuib. rebus glorioſior efficitur cui frequenter præmia referuntur. *Caſſiod. l. 8. ep. 22.*

PRÆMIORVM vis.

Cùm ſecum animus præmia reputat ſimúlque immenſa pecunia & potentia animo obuerſantur: cedet fas & ſalus aliorū. *Tacit. 15. An.*

PRÆTERITA irreuocabilia.

Quod ſemel acciderit, quo minus effectum iam ſit, ne vniuerſa quidem efficere ſecula poterunt. *Procop. de bel. Goth. l. 3.*

PRECES.

Precibus, non accuſationibus, placatur Numinis potentia. *Heliodor. l. 1.*

PRINCEPS.

Minore diſcrimine ſumitur Princeps quàm quæritur. *Tacit. hiſtor. l. 2.*

Prauæ aliorum ſpes cohibētur, ſi princeps ſucceſſor non ſit in incerto. *Idem, l. 3. Ann.*

Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. *Plin. Paneg.*

PRINCEPS bellator.

In bellis animū pacificū geret, q animo propoſuerit vt duces nihil perperā cōmittant, verū oēs inter ſe de virtute certare conentur, eā ſpē animo fixam habentes principem ſuarum rerum curam habiturum, ſi illos vitę cędere contingat. Nō .n. triſtitia afficietur,

quandoquidem cuncta diuno munere rectè diſponet. *Ariſt. in queſt.*

PRINCEPS *beneficus.*

Non præiudicat iuri publico perſonalis exceptio quia beneficialem eſſe principem licet nec intra regulas conſtituti poteſt munificentia regalis arctari. Ira leuis coerceatur grauiſſimis inſtitutis: impatiens ambitio iure frenetur. clementia non habet legem, nec debet ſub anguſtis terminis benigna ſequi, quem decet ſine fine laudari. *Caſſiod. lib. 2. epiſt. 13.*

PRINCEPS *benignus.*

Clemens benignúſque princeps erit ſi conſideret, quàm longiori tempore quantiſque & quàm magnis calamitatibus oriatur genus hominū, alatur, nutriatúrque. Vnde neque in eos temere animaduertendum, neque accuſandi ſunt, ſi reuoluens inſuper vt omnis hominum vita doloribus ſemper & ſuppliciis exagitetur: ſingula intelligens in miſericordiam profectò vertetur: nam & Deus miſericors eſt. *Ariſt. in queſt.*

PRINCEPS *bonus.*

Rectè facere princeps ciues ſuos, faciendo, docet. *Velleius, Pat. lib. 2.*

Non relinqui inglorios patimur, qui generis claritate prædicantur. Currat quinimmo honorum gratia per parentes. Sub imperio boni principis omnium fortuna proficiat. Nam quis deſperet augmentum vbi eſt in amore donum & præſtare propoſitum? *Caſſiod. lib. 2. epiſt. 2.*

PRINCEPS *clemens.*

Eius eſt omnia ſcire non omnia reſequi, paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare: nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentus eſſe. *Tacit. in Agricola.*

PRINCEPS *conſiliariis eget.*

Pauca aliqua vnus princeps videat, vnus audiat. *Xenophon 8. lib. Pæd.*

Multi ſunt regis oculi, & multæ aures. *Idem, ibid.*

Si de ſua vnius ſententia princeps omnia geret, ſuperbum hunc iudicabo magis quàm ſapientem. *Liu. lib. 44.*

Magna negotia magnis adiutoribus egent. *Velleius, lib. 2.*

Rarò eminentes viri non magnis adiutoribus, ad gubernandam fortunam ſuam vſi ſunt. *Idem, eod. lib.*

Princeps ſuâ ſcientiâ non poteſt cuncta complecti. *Tacitus, 3. libr. Annal.*

Grauiſſimi labores quîs orbem terræ princeps capeſſit, egent adminiculis. *Idem, lib. 12.*

PRINCEPS *inimicis formidoloſus.*

Princeps inimicis formidoloſus eſt, ſi armis & exercitu, multóque veluti ad bellum apparatu inſtructus fuerit: ea tamen omnia diutius ceu vana priuſquam his vtitur, detineat: nam & Deus ipſe antequàm maieſtatis ſuæ trepidationem incutiat, inducias quaſdam præbet. Exin omni apparatu mentes deterret. *Ariſt. in queſt.*

PRINCEPS *glorioſus.*

Glorioſus perdurabit Princeps, ſi benignitate & gratia excellens, erga alios magnificus extiterit. Gloria eum nuſquam deſeret, quæ

vt

vt illi adſit, Deus ſemper imploran dus eſt. *Ariſt. in quæſt.*

PRINCEPS *inuictus.*

Princeps in rebus bellicis inuictus exiſtat: ſi non armis, ſi non potentiæ ſuæ fidat, ſed Deum ſemper implorat, vt iuſtè agendi ſibi conſilia dirigat. *Ariſt. in quæſt.*

PRINCEPS *inuiſus.*

Inuiſum ſemel principem ſeu bene ſeu malè facta premunt. *Tacit. hiſt. lib. 1.*

PRINCEPS *liberalis.*

Nullum eſt magno principe, immortalitatémque merituro im pendij genus dignius quàm quod erogatur in poſteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pæne cohortantur: pauperibus educandis vna ratio eſt bonus princeps. Hic fiducia ſui procreatos niſi larga manu fouet, auget, implectitur, occaſum imperij, occaſum reipubl. accelerat. Fruſtra princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutatuúmque inſtabili pondere tuetur. *Plinius, Panegyr.*

Regalibus magna profectò felicitas militare donis, & dignitatem habere de publica largitate. *Caſſiod. lib. 6. epiſt. 7.*

PRINCEPS *manſuetus.*

Hoc maximè modo regnum optimè diſpones, ſi Dei manſuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate vteris: extolléſque dignos, elatos autem, affabilitate, ex malo in pœnitudinem traduces. *Ariſt. in quæſt.*

PRINCEPS *miſer.*

Huius aures ita formatæ ſunt, vt aſpera quæ vtilia, & nihil niſi iucundum & læſurum accipiant. *Tacit. 3. hiſt.*

Miſer eſt imperator, apud quem vera reticentur. *Capitol. in Gordian. Iun.*

PRINCEPS *modeſtus.*

Sic eſt in principibus humilitas glorioſa, quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia. *Caſſiod. lib. 5. epiſt. 44.*

PRINCEPS *munificus.*

In eum viuit, quod munificentia principalis indulſerit. Quid enim tam egregium, quàm feciſſe felicem? & eo vſque præſtare quo ſe erectus ſtupeat attigiſſe? beneficia ſiquidem ſunt, quæ regna ſublimant: & libertatis dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubiectos ſtudeat ampliare. *Caſſiod. lib 3. epiſt. 11.*

PRINCEPS *optimus.*

Quod enim præſtabilius eſt aut pulchrius munus Deorum, quàm caſtus & ſanctus, & diis ſimillimus princeps? *Plinius, Panegyr.*

Maximo atque optimo principi, nihil omnino eſt turpius, quàm contra ius & æquum fidem fefelliſſe. *P. Iouius, hiſt. lib. 40.*

PRINCEPS *perfidus.*

Nũquam deceptus eſt princeps, niſi qui prius ipſe decepit. *Plinius, Panegyr.*

PRINCEPS *verè robuſtus.*

Nec verò laudauerim per ſe magnopere duritiem corporis ac lacertorum, ſed ſi his validior toto corpore animus imperaret, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, non copiæ principales ad ſegnitiem luxúmque detorqueant: tunc ego, ſeu montibus ſeu mari exerceatur, & lætum opere cor-

pus,& creſcentia laboribus membra mirabor. *Plinius. Panegyr.*

PRINCEPS *ſapiens.*

Amorem apud populares, metum apud hoſtes quærat. *Tacitus, Annal. lib* 11.

Nec dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitet: clementiámque & iuſtitiam capeſſat. *Idem, Annal. lib.* 12.

PRINCIPIS *auctoritas.*

Neſcio an plus moribus conferat princeps qui bonos eſſe patitur, quàm qui cogit. Flexibiles quancunque in partem ducimur à principe: atque (vt ita dicam) ſequaces ſumus. Huic enim chari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperauerunt diſſimiles: eóque obſequij continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus. Porro non tam ſiniſtrè conſtitutum eſt qui malum principem poſſumus, bonum non poſſimus imitari. *Plinius, Panegyr.*

Non eſt princeps ſuper leges, ſed leges ſupra principem. *Idem, ibid.*

Non decet principem loqui quod non videatur poſſe compleri, præſentis beneficij iuſſione aduerſus Gothos illa, aduerſus Romanos illa facilè te fides & diligentia cuſtodiuit. *Caſsiod. libr.* 7. *epiſt.* 39.

PRINCIPIS *diuitiæ.*

Nullas opes viro, ac præſertim Principi, pulchriores honeſtiorésque cenſeo, quàm Virtutem & Iuſtitiam. *Xenophon. de Cyri exped. lib.* 7.

PRINCIPIS *exemplum.*

Facilius eſt ſi dicere fas eſt errare naturam, quàm diſſimilem ſui princeps poſſit formare rempublicam. *Caſsiod. lib.* 3. *epiſt.* 12.

PRINCIPIS *eximij virtutes.*

Plinius iunior in Panegyrico ad Traianum, principis eximij virtutes aphoriſmis politicis includit, quos hîc inſerere, veluti ab inſtituto noſtro non prorſus abhorrentes, viſum eſt.

1 Nihil ritè, nihílque prudenter auſpicantur homines ſine Dei immortalis ope, & conſilio. Itaque rerum agendarum initia à precationibus ſunt capienda.

2 Nullum eſt præſtabilius & pulchrius Dei munus erga mortales, quàm caſtus, & ſanctus, & Deo ſimillimus Princeps.

3 Principem legitimè & cum Numinis ſolenni inuocatione electum, aut receptum eſſe, plurimùm intereſt. Nam ea res eum populis valdè commendat.

4 In conſiliario Principis, tria maximè requiruntur, Libertas, Fides, & Veritas.

5 Princeps vt ſe hominibus imperare norit, ita ſeipſum hominem quoque eſſe cogitet. Itaque voces & laudes quæ Numini ſoli debentur, tanquam putidiſſimas aſſentationes, oderit.

6 In Principe tres maximè virtutes prædicantur, Pietas, Abſtinentia ſeu Temperantia, & Manſuetudo, ſeu cum adeundi facilitas.

7 Tyranni, quantò magis laudantur, verarum virtutum nomine, tantò magis vitia ſua ſibi exprobrari putant: ac proinde ſe irrideri iraſcuntur.

8 Prin-

8 Princeps bonus ne permittat ſibi vetare, quod Senatus iubet.

9 In bono Principe omnium virtutum cumulum ineſſe oportet.

10 Etiam corporis proceritas, & oris dignitas apud plebem commendat Principem.

11 Bona conſcientia Principatum ſibi delatum acceptat, qui nō niſi animo ſeruandi illud accipit, & quem ipſius Reipublicæ vtilitas & vox ad illud acceſit non ſua.

12 Quod factum magnopere placet, placebat etiam antequam fieret. Itaque hac ratione animus & voluntas Principum anteà latens detegitur.

13 Optima prædeceſſoris Principis laus, ſi ſucceſſorem bonum elegit, & reliquit.

14 Militaris dux ſeu Princeps eſt deligendus, vt & ſubditi & extranei in officio contineantur.

15 Peſſimus eſt ibi militaris ſtatus, vbi amorum ſtudium à manibus ad oculos, à labore ad voluptatem tranſlatus eſt, & exercitationibus militaribus non aliquis veteranorum, ſed Græculus Magiſter aſſiſtit & præeſt.

16 Princeps vt ſit militaris, debet prius multum & diu in bello periclitatus eſſe: ſic enim diſciplinæ militaris ſcientiſſimus erit.

17 Aſſueſcat Princeps cum Republica calculum ponere, & expenſi acceptíque rationem illi reddere.

18 Bonus Princeps cum ciuibus, velut cum liberis ſuis, verſari debet.

19 Primus Principum in vrbes ingreſſus lętus ac feſtus eſſe debet, & congiarium populo tunc dandum.

20 Affabilitas, Principis, virtus maxima.

21 Principis in pauperes liberalitas valde eum commendat.

22 Princeps fruſtra Rempublicam plebe neglecta (velut defectum corpore caput ac mox nutaturum) tueri ſtudet, & ſe poſſe putat.

23 Vt boni Principis curare, vt itinera, portus, & commercia ſint in toto regno tuta, & libera.

24 Eſt boni Principis proſpicere annonæ, & ſi quæ ipſius regio inopia frumenti premitur, eam ſubleuare.

25 Magnorum imperiorum hæc eſt commoditas, quòd plures ſub illis populi in pace viuant, & quæ in ſingulis Prouinciis illius eximia aut vtilia ſunt ab aliis Prouinciis eiuſdem regni ſentiantur. Denique faciliùs vnius Prouinciæ inopia ab alia ſubleuetur.

26 Eſt boni Principis, tam quæ in caſtris quàm quæ in foro peccantur, emendare.

27 Delatores (hominum genus peſtilentiſſimum, & inſidioſiſſimum) à bono Principe ſunt tollendi, non tantùm coercendi.

28 Sub bonis Principibus, neque ærarium publicum licet quocunque modo augere, neque fiſcum Principis, ſed ſi quid fiſcus non ſuum occupet, cum eo pari iure agere conceditur.

20 Fiſcus nunquam inops, aut nunquã ipſius mala cauſſa eſt, niſi

ſub bono Principe. Multi enim ſemper fiſci vtilitates vrgent, præſertim ſub tyrannis regibus.

30 Grauiter ferunt liberi, ſi quid de paterna hęreditate ſibi à fiſco, vt vigeſima, adimatur. Itaque etiam impoſita remittenda eſt.

31 Ambitio, iactantia, effuſio, & quiduis potiùs, quàm Principis liberalitas exiſtimandum, cui donato ratio non conſtat.

32 Non vti inter pecudes, ſic inter homines poteſtatem & imperium Deus valentioribus dedit. Ergo virtute non viribus corporis commendantur reges.

33 Maieſtatis crimen ſub tyrãnis, vnicum & ſingulare crimen eorum qui crimine vacant. Hoc enim crimine optimi quique etiam à ſeruis ſuis ſubuertuntur.

34 Deteſtantur malos principes etiam qui eos malos faciunt.

35 Sub bonis Principibus eadem ſunt virtutis præmia, quæ in libertate: & prodeſt bonum eſſe. Contra ſub malis.

36 Pauci ita ingenio valent, vt non turpe & honeſtum, prout illis commodum aut incommodum eſt, expetãt, fugiãtve. Quare multum in rebus politicis ſtatuendis poteſt, tum publica tum priuata vtilitas. Videndum tamen eſt, ne vtilitas vincat veram honeſtatem.

37 Diuerſâ ſunt naturâ Dominatio & Principatus: neque aliis Princeps eſt gratioſior, quàm qui Dominum maximè grauantur & oderunt.

38 Quales Principes, tales & reliqui ſunt ciues.

39 Benefaciendo maximè ſub ditorum ſuorum animos experitur Princeps & ſibi deuincit.

40 Vita boni Principis cenſura eſt ciuium, eáque perpetua: ad eam enim omnes ſeſe conformant.

41 In iis quæ bene fiunt à malo Principe, non res aut factum, ſed auctor diſplicere debet.

42 Bono Principe omne genus hominum lætatur.

43 De nullo ferè Principe minus queruntur homines, quàm de quo maximè licet: quoniam eorum Principum ferè eſt honeſtiſſima vita, qui illam populo libertatem concedunt.

44 Bonus Princeps bonarum literarum ſtudia intermortua reſtituere, & præmiis doctos afficere debet: itémque curare, vt in iis iuuentus rectè inſtituatur.

45 Principis fideliſſima cuſtodia, ipſius innocentia.

46 In Principum menſis & ſobrietas in cibis, & ſuauitas in ſermonibus, & benigna conuiuarum inuitatio, & ſtudiorum honor cerni debet: non autem verborum petulantia aut laſciuia.

47 Sub bono Principe licet cuique ſua etiam magnifica & opulenta retinere & habere tutò.

48 Eſt Tyranni, quicquid habet quiſque ſubditus amplum, egregium, pulchrum, ſiue in rebus mobilibus, ſiue in rebus ſoli, occupare & ſibi detinere.

49 Bonus Princeps opera publica tueri & reſarcire debet potius, quàm priuata ſua ædificare.

50 Ille bonus Princeps eſt, ſub quo malos Principes inſectari licet abſque periculo.

51 Nullum eſt tempus, nullus locus, vbi funeſtorũ & crudelium Principum Manes à poſterorum exe-

execrationibus conquieſcant.

52 Tyrannorum eſt maioris momenti negotia publica ad ſe ſolos reuocare: Senatum autem publicum de his rebus alioqui conſultaturum, in friuolis propoſitionibus & nullius momenti rebus, delinere & conſulere.

53 Vera boni Principis laus & fama, non imaginibus, aut ſtatuis, ſed virtute & meritis prorogatur.

54 Sub bono Principe ea eſt populi & principis æmulatio, vt contendant inter ſe vter alterum magis amet.

55 Tyranni eſt odiſſe eos, quos populus vel Senatus, quaſi de ſe bene meritos, diligit.

56 Nullis Aulicis à bono Principe nimis credendum, quàm iis qui contra famam publicam ſuſurros illi de aliquo malos clàm inſtillant. Melius enim omnibus, id eſt, famæ quàm ſingulis, id eſt, iſtis creditur.

57 Princeps etiam ſummus Reipub. iureiurando velut illius officiarius, obſtringitur: ac ipſa Rep. ſeu regno minor eſt.

58 Non eſt Princeps ſupra leges: ſed leges ſupra Principem.

59 Tutius eſt, & ſecurius cuipiam ex proceribus habere tyrannum iratum, quàm ſibi aſſentantem & propitium, id eſt, diſſimulantem.

60 Nunquam à quoquam deceptus eſt aut decipitur Princeps, niſi qui prius alios ipſe decepit.

61 Bono Principi tandiu charus principatus ac vita chara eſſe debet, quamdiu per eum incolumis, & ſalua eſſe Reſpub. poteſt.

62 Boni Principis eſt ſic dare arma militibus, vt iis vtantur in ſeipſum, ſi in Rempublicam peccet.

63 Eſt boni Principis nobiles familias, etiam collapſas, reſtituere, & merentes augere & fouere.

64 Peſſimè conſulit Reipub. Princeps, quum vel malignitate, vel negligentia, malè agentibus & in officio ſuo verſantibus præſidibus Prouinciæ, & aliis Magiſtratibus domeſticis, vel bellicis, procurat impunitatem, rectè autem ſuo munere perfunctis nullum dat aut procurat præmium. Hac enim ratione, illas facit deteriores, hos in bene agendo ſegniores.

65 Neque Reipub. felicitas eſſe poteſt abſque Principis felicitate: neque Principis beatitudo, abſque illius quoque.

66 Bonus Princeps (vt eum populus reuereatur) omnes muneris ſui partes diligenter amet, & obeat: nullas verò aſpernetur. Qui ſuum enim principatum & officium obire dedignatur, contemptibilem ſe aliis propinat, & idolum potiùs, quàm Princeps à cunctis cenſetur.

67 Superborum Principum æuum omne & breue & fragile eſt.

68 Non poteſt non nimium eſſe, priuatis, quod Principi ſatis eſt.

69 Eſt optimi Principis inter ſubditos, & præſertim inter ipſas Prouincias, inter ſe diſſidentes, ſinceriſſimè ac promptiſſimè ius dicere.

70 Optimus eſt Princeps, qui ſatellitium habet ſanctiſſimum, & ſuos domeſticos ſanctè inſtitutos; neque enim ipſum modò Princi-

Tacit. in Agric.

PRINCIPVM *inſania.*

Noſtrorum temporum conditionem deflere, chriſtianorū principum inſaniam deteſtari iubet, qui dum inter ſe bello aut odio diſſident, ita Ottomannis parcant vt qui toties ſuperari deleríque po tuerint, non immeritè ad aucta in immenſum potentia, ad totius orbis imperium aſpirent. *P. Iou hiſt. lib.* 31.

PRINCIPVM *malorum ingenium.*

Plerique, ſuóne an ſeruitij ingenio, dum adipiſcuntur dominationes, multa caritate ſunt, & maiore odio, poſtquam adepti. *Tacit. Annal. lib.* 12.

PRINCIPVM *moneta.*

Hanc liberalitatem noſtram nouo decoras obſequio, vt figura vultus noſtris metallis vſualibus imprimatur monetámq; facis de noſtris temporibus futura ſæcula cōmouere. O magna inuenta prudentum? O laudabilia inſtituta maiorum vt & imago principum ſubiectos videretur paſcere per cōmercium, quorum conſilia inuigilare non deſinunt pro ſalute cunctorū. *Caſſiod. lib.* 6. *epiſt.* 7.

PROBITAS.

Dignè laudum cùm voluerit nouitates emittit, qui ſe actionis probitate compleuit Natura perennis fontis eſt gloriæ vena laudabilis: nam ſicut ille fluendo non expendi tur, ſic nec iſta celebri ſermone ſiccatur. *Caſſiod. lib.* 2. *epiſt.* 21.

PRODIGALITAS.

Ambitio & iactantia, & effuſio, & quiduis potius quàm liberalitas exiſtimanda eſt cui ratio non conſtat. *Plinius Panegyr.*

Falluntur, quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit. perdere multi ſciunt, donare neſciunt. *Tacit. hiſt. lib.* 1.

PRODIGI.

Diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putant, quàm profuſionem. *Sueton. Ner. cap.* 30.

PRODITIO.

Occultum & inſidioſum malum proditio, tantum incommodi humano generi afferens, quantum ſalutis bona fides. *Val. Max. lib.* 9. *c.* 6.

PRODITORES.

Proditores, etiam iis quos antepo nunt, inuiſi ſunt. *Tacit.* 1. *Annal.*

PROSPERITAS.

Solent ſucceſſus inopinati ad petulanter agendum homines prouocare. *Heliodor lib.* 5.

PROVIDENTIA.

Nemo vel exactè prudens cuncta prouidet, quum euentus ſupra cladis incommodum infelicibus reprehenſionis etiam grauem notam relinquat. *P. Iouius, hiſt. lib.* 39.

PROVIDENTIA *Dei.*

Mihi pro vero conſtat omnium mortaliū vitā diuino numine inuiſi; neq; bonū neq; malū facinus cuiuſquam pro nihilo haberi: ſed ex natura diuerſa præmia bonos malóſque ſequi. *Salluſt. ad Caeſ.*

PROVINCIÆ.

Difficilius eſt prouincias obtinere quàm facere, viribus parantur, iure retinentur. *Flor. lib.* 4. *cap. vlt.*

PRVDENTES.

Illi prudentiores ſunt ſemper habiti, qui multorū hominū conuerſationibus probantur eruditi. Natura ſiquidē humana ſicut duris labo ribus inſtruitur, ita per otia torpētia fatuatur. *Caſſiod. lib.* 1. *epiſt.* 39.

PRVDENTES.

Fit ſæpius, vt qui pericula ra-

tione ſolerter expendunt, ac ob id de rerum exitu timidè deliberant, & fortiores plerunque pugnacibus ſententias dicant, quum alienæ temeritatis comites eſſe, vel ad non dubiam mortem, quàm ab ignobili decreto minus fortes videre malint. *P. Iouius, hiſt. lib.* 43.

PRVDENTIA.

Eſt prudentis conſilij, temporis rationem conſiderare, & in bonum commodiſſimè vertere. *Heliodor. lib.* 5.

Non oportet breuis fruſtrationis cauſa, & quę ad tempus tantum acciderit omnem ſpem & curam eorum quæ præ manibus ſunt abiicere. *Idem, lib.* 6.

Prudentium eſt, etiam parum proſperos caſus, quatenus fieri poteſt, in melius conuertere. *Idem lib.* 7.

Sicuti initia ſuſcipiendarum & gerendarum rerum prolixè differendo, maturè aptéque expendere & media ſtrictius perfinire decet: ita demum vltima expeditis ſententiis claudere, nec vllam quum maturè facto opus ſit, aggrediendę rei occaſionem elabi ſinere ſaluberrimum exiſtimatur. *P. Iouius hi. lib.* 28.

Spectare tempora periculi meti ri, occaſionesagnoſcere eius eſt qui non temerè fortunæ aliquid committendum exiſtimet. *P. Iouius, hiſt. lib.* 41.

Maximum prudentiæ munus detegere hominum ſtudia, nudare voluntates, ſcrutari atque introſpicere ſenſuum receſſus, in magnos vſus publicarum actionum. *P. Iouius, hiſt. lib.* 42.

PVDICITIA.

Sola virtutis muliebris, & animi regij nota, pudicitia eſt. *Heliod. li.* 4.

PVGNA.

Vxorum & prolis cura acerrimus ad pugnam capeſſendam ſtimulus. *Heliodor. lib.* 1.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudinis aſpectus, vel prędonum ingenium ſibi ſubiicere, & vincere ferociores poteſt. *Heliodor. lib.* 1.

Formæ præſtantia & excellentia multum addit ad proceritatis ſpeciem. *Idem lib.* 2.

Pulchritudo neque ſub terram occultata latuerit, ſed (meaquidem ſententia) etiam illinc in lucem prodiret. *Eod. lib.*

Pudicitiæ nomen in reginis vnica & perilluſtri cura tuendum eſt. *P. Iouius, hiſtor. lib.* 40.

Magnam vim habet ad conciliandam aſpicientium beneuolentiam formæ venuſtas. *Idem, lib.* 4.

Formoſos etiam barbariem manus verentur: & ad amabilem aſpectum etiam immanis oculus manſueſcit. *Idem, lib.* 5.

R.

RATIO.

Recta ratio in promptu tibi erit, ſi hominum infortunia ſemper conſideraueris: reuoluens quales rerum viciſſitudines Deus afferat, alióſque gloria ſublimatos honoribus proueh at, alióſque calamitatibus opertos: ignominia deiiciat. *Ariſt. in quæſt.*

RATIOCINATIO.

Rectè ratiocinatur princeps, ſi ſecum reputauerit, & dicta ipſa, & à quo dicantur, ac qua quiſque de re loquatur, eandémque multo poſt tempore variis modis perquiſierit.

fierit. Ingenij verò acumen ad diſcernenda quæque, Dei pulcherrimum eſt munus. *Ariſt. in quæſt.*

RECEPTVS *militaris.*

E diſciplina rationéque bellica conſtat, ſingulorum ducum eſſe muneris, qui diſtinctis agminibus in itinere faciundo præſunt, per diſpoſitos equites mutua diligentia emenſi itineris ſpatia metiri, nihil extra conſpectum ſigna præire ſinere, anteriores medios medij poſteriores, quibus paſſibus eant obſeruare, vt vnaquæque acies ad ſubitos hoſtium incurſus ex propinquo parata ſit, quę circumuenta opem ferat, & vniuerſis coactis viribus confligat. *P. Iouius hiſt. lib. 26.*

REGES.

Ingenia regum prona ad formidinem. *Sallust. Iugurt.*

Diſplicent regnātibus ciuilia filiorum ingenia. *Taci. 1. Annal. li. 2.*

Suſpectus ſemper inuiſúſq; dominantibus, quiſquis proximus deſtinatur. *Idem, 1. hiſt.*

REGIVS *animus.*

Habet hoc in ſe regius animus, veluti excellēti & perfecta virtute præditus, vt nunquam vel acriter vrgente fortuna, abiectum ſe demittat, vel ea penitus arridente tēperanter extollat. *P. Iou hiſt. lib. 27.*

REGNA.

Iiſdem viribus & regna benemeritis dari, & rebellibus adimi facilè poſſunt. *P. Iouius hiſt. lib. 34.*

REGNANDI *modus.*

Regnandi modus is eſt, vt Rex rectè ſeipſum regat: & ſine copia, nec gloria elatus ſuperbum in deſcenſu cōcupiſcat, ſi rectè ratiocinatus fuerit, ſi cūcta ei adſunt quaſi nihil ſint: Deus enim manſuetus eſt, & nullius egens: quod Rex pro humanis virib. cōſiderat: neq; multa ad regnū appetat. *Ariſt. in quæſt.*

REGNVM.

Regnum res inter deos hominéſque pulcherrima. *Liu. lib. 26.*

REGNVM, *quid difficilius habeat.*

In regno difficilimū id eſt, ſibi ipſi dominari, neq; appetitibus efferri. Ineſt enim natura mortalibus, mēte ad aliquid ſemper declinent, & plerique ad menſas, pocula, voluptatéſq; trahuntur, in quibus multitudo maximè effūditur. At reges, ſubigendorum populorum cura ſollicitat ob gloriæ magnitudinem. Sed pulchrū eſt ſe omni in re metiri, & quæ Deus dederit ſtudio continere. Inconceſſa verò atque inexpetibilia, ne Rex concupiſcat. *Ariſt. in quæſt.*

REGNVM *beatum.*

In regno optimū illud eſt, in pace ſemper populos continere, atq; in cauſis definiendis quanto ocius rectè diiudicare. Hæc per principē fiunt, quando malos exoſus, bonos diligit, plurimíque exiſtimat vel vnius hominis ſalutē. *Ariſt. in quæſt.*

REGNI *conſeruatio.*

Regnum conſeruat, cura & meditatio ne quid à rerum præpoſitis malè agatur committatúrq; in plebem. *Ariſt. in quæſt.*

REGVM *authoritas.*

Reges, Domini rerum temporúmque trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur. *Liuius, lib. 9.*

Ea eſt imperandi ratio, vt non aliter cōſtet, quàm ſi vni reddatur. *Tacit. 1. Annal.*

REGVM *exitus.*

Regum exitus ſi reputauerimus, plures à ſuis quàm ab hoſtibus interemptos reperiemus. *Curt. lib. 9.*

Regvm *inſolentia.*

In regia fortuna nullus eſt pudor ſicuti nec vlla æquitas in referēda militi gratia militarem enim operam hodie reges vna belli neceſſitate metiuntur:hæc vna inquā nobis præmia expedit, amorem conciliat,auget dignitatem,quę omnia demum poſt victoriam parta pace penitus obſoleſcunt. *P.Iouius hiſt.lib* 3.

Regvm *lectio.*

In rerum geſtarum cognitione in legendíſque incumbentium operum libellis, reges plurimum temporis aſſumere oportet,& quæ cunque ad conſeruanda regna, emendandóſque hominum mores ſcripta ſunt perquirere. *Ar.in queſt.*

Regvm *maieſtas.*

Regum maieſtas difficilius à ſummo faſtigio ad medium detrahitur quàm à mediis ad ima præcipitatur. *Liuius,lib*.37.

Regvm *officium.*

Oportet reges potiſſimum adhęrere legibus, eáſque ſequi, vt iuſtis operationibus mortalium vitam regant, *Ariſt.in queſt.*

Regvm *voluntates.*

Regum voluntates,vt vehementes,ſic mobiles, & ſæpe ſibi aduerſæ. *Salluſt.Iugur.*

Rex *benignus.*

Nihil eſt in rege popularius & gratius, quā aditum cunctis atque aures ſumma benignitate & ſingulari patiētia præbere. *P.Iou.hi.li*.27.

Rex *bonus.*

Non abutitur fortuna ad cupiditatem plus præ cæteris habendi: neque in immenſum prolatat imperium,propter victoriam:ſed contentus eſt finibus,quos initio natura poſuit. *Heliodor.lib*.9.

Rex *iuſtus.*

Propoſitum regale eſt, grauatis per iniuriam ſubuenire: vt coercitio praui, iuſtitiam faciat plus amari. *Caſſiod.lib.2.epiſt*.10

Rex iuſtè ſingula perficere poteſt,ſi in rebus omnibus ſeipſū obſeruet,omnia eū rectè acturū: & ſi conſideret omnē ſenſum à Deo eſſe,proponátq; ante omnia Dei timorē,nulla in re aberrabit. Hunc maximè laudatū dimittēs,tertium dicere hortatur. *Ariſt.in queſt.*

Rex *magnanimus.*

Nihil magis regium eſſe poteſt, quàm eam magnitudinem animi conſeruare, quæ auaritia non capiatur,& eam deſpiciat. *Heliod.lib*. 9.

Rex *munificus.*

Licet munificentiam regis,quotidie deceat cum ſole relucere & iugiter aliquid facere, quo poſſit largitas principis apparere: huic tamen conſcientię debitum ſoluitur, quoties parentibus ſub æquitate præſtatur.Lucrantur principes dona ſua,& hoc verè theſauris reponimus quod famæ commodis applicamus. *Caſſiod.lib 8.epiſt*.23.

Rex *ſapiens.*

Hoc eſt regalis proculdubio virtus celerius neceſſaria ſentire, & tardius in verba prorūpere. Neſcit enim pœnitenda loqui, qui proferendà prius ſuo tradidit examini. Hinc eſt,quod eius doctrina mirabilis per multiplices linguas magna vbertate diffunditur: cuius ingenium ita paratum reperitur ad ſubitum vt non putetur eſſe terrenum. *Caſſiod.lib*.10.*epiſt*.4.

Rex *virtutibus regijs præditus,omníque laude cumulatus.*

Præcepta de Regno, & principatu

patu omni rectè adminiſtrando, imperatoribus, Regibus, Principibus & Rerūpublicarū adminiſtratoribus ab Iſocrate orat. 2. ad Nicoclem & Agapeto diacono ad Iuſtinianum Auguſtum, ab inſtituto noſtro non recedentia adiunximus: quæ tam vtilia ſint terrarum dominis cupimus, quàm prudenter ſcripta ſunt. Hæc igitur Iſocrates, qui quāuis rhetor, Reges, quos hiſtoria præcipuè inſtituit, ſequentibus aphoriſmis ad officium cum laude præſtādum formare ſtuduit. Sic igitur ille:

Qui vobis regibus, Nicocles, veſtes aduehere ſolent, aut æs, aut aurum laboratum, aut aliquid aliud eius generis, quo ipſi egent, vos abundatis, mihi quidem facillimè conuinci poſſe videntur, quòd non largitionem, ſed mercaturā faciāt, ſuáſque merces longè artificioſius vendant, quàm hi qui ex profeſſo cauponantur. Ego verò exiſtimaui hoc pulcherrimum fore munus, ac vtiliſſimum, & cùm mihi danti, tum tibi accipiēti honeſtiſſimum, ſi deſcribere ac definire poſſem, quibus officiis præſtandis, & quibus rebus fugiendis, optimè & ciuitatem & regnum adminiſtraturus eſſes. Nam priuatos quidem homines permulta ſunt quæ erudiant, & in primis vita expers delitiarum & ſingulis diebus de parando victu quaſi dimicandi neceſſitas. Deinde leges, quibus ſinguli in ſuis ciuitatibus parēre coguntur. Poſtea libertas illa quoque magnā vim habet, qua palàm licet & amicis caſtigare, & inimicis exagitare delicta mutua. Denique poëtæ veteres præcepta de viuendi ratione reliquerūt. Quare conſentaneū eſt, eos ex his omnibus fieri meliores.

Tyrannis autem nihil eiuſmodi contingit, ſed quos omnium maximè inſtitui conueniebat, hi mox ſuſcepto principatu, ſine vllis monitoribus ætatem exigunt. Perpaucis enim ad eos patet aditus: qui verò familiariter cum eis viuunt, ad gratiam & dicunt & faciunt omnia. Proinde cùm in ſua poteſtate habeant & plurimas pecunias, & maxima negotia: propterea quòd hiſce copiis & occaſionibus abutuntur, effecere, vt multi dubitent, vtrum priuatorum hominum mediocritas & moderatio, tyrannicæ vitæ ſit præferenda. Nam cùm honores eorum & diuitias atque potentiam intuentur, omnes eos diis ſimiles eſſe cenſent, qui monarchiis potiuntur. Cùm verò in memoriam ſibi reuocant & metus & pericula, & ordine recenſentes inueniunt, alios ab his quos minimè id decuerat, interemptos: alios, vt in cōiunctiſſimos ſecum delinquerent, eſſe coactos: aliis vtraq; hæc vſu veniſſe: rurſus mutata ſententia, ſtatuunt, præſtare quocunque modo viuere, quàm cum talibus calamitatibus vniuerſæ Aſiæ dominari. Eſt autem huius inæqualitatis & perturbationis cauſa hæc, quòd regnum, tanquam ſacerdotium, cuiuſlibet viri eſſe putant, quod ſummum eſt rerum humanarum omnium, maximamq; prouidentiam poſtulat. Quomodo igitur ſingulæ res commodiſſimè rectiſſiméq; adminiſtrari & poſſint & debeant, & bona conſeruanda, & calamitates effugiendæ ſint, ſuaderi, illorum officij eſt, qui vnà perpetuò viuunt. In vniuerſum autē, quæ ſtudia tanquā ſcop⁹ tibi pro-

poſita eſſe debeant, & in quibus verſandum ſit atque immorandum, ego recenſere conabor. Vtrum verò donum hoc, pro argumenti dignitate ſit abſolutum & expolitum, ab initio diiudicari facilè non poteſt. Multa enim & numeris deuincta poëmata, & ſoluta oratione conſcripti libri, dum adhuc in mentibus autorum incluſa tenerentur, magnas ſui expectationes concitarunt: ſed perfecta tandem & edita in publicum, longè tenuiorem quàm pro concepta ſpe gloriam conſecuta ſunt. Enimuerò conatus ipſe præclarus eſt, vt ab aliis prætermiſſa conquiramus, & monarchiis veluti leges præſcribamus. Nā qui priuatos homines inſtituunt, hi ſolis illis proſunt. Si quis verò dominos multitudinis ad virtutē excitarit, is vtriſq; cōmodauerit, tum his qui imperant, tum his qui parent imperio: nam illis principatus ſecuriores, his Reſpublicas manſuetiores effecerit.

¶ Primùm igitur conſiderādum eſt, quodnam ſit regum officium. Nam ſi totius negotij caput, atque id in quo vis rei eſt, probè conſtituerimus, in ea intuentes, melius de cæteris quoque partibus dicturi ſumus. Arbitror equidem conſtare inter omnes, conuenire eis, vt ciuitatem & calamitatibus liberent, & res eius ſecundas tueātur, & è parua magnam efficiant. Nam cætera quę quotidie incidūt, horum cauſa fieri, & ad hæc referri debent. Illud autem perſpicuum eſt, oportere illos in quibus hęc facultas eſſe debeat, & qui hiſce de rebus deliberaturi ſint, non ſocordiæ ignauiæque eſſe deditos, ſed videre ac circunſpicere, vt ſint aliis longè prudentiores. Extra controuerſiam enim eſt, pro eo ac animos ſuos excoluerint, eos etiam regna habituros eſſe. Quare nulli pugili tam opus eſt corpus exercere, quàm regibus animum & ingenium. Nam celebres conuentus vniuerſi, nullam partem conſtituūt eorum certaminum & præmiorū, pro quibus vos ſingulis diebus decertatis.

Hæc igitur conſiderātem te dare operam decet, vt quantum honoribus aliis antecellis, tantum etiam virtutibus eos ſuperes: neque putes curam & ſtudium in aliis prodeſſe rebus, ad hoc verò vt meliores & prudentiores fiamus, nihil habere virium: neque tantæ infelicitatis condemnes homines, vt artes quaſdam ad cicurādas beſtias, & animos illorū agreſtes excolendos inuenimus, ipſi verò nobis ipſis nihil ad virtutē adiumenti adferre queamus: ſed quod & inſtitutio & cura noſtrum animum vtiliter erudire queat: ita ſis animo affectus, & tum inter præſentes ad prudentiſſimos te adiūgito, tum exterorum quoſcunque poteris accerſito, tum neq; celebrium poetarum neque ſophiſtarum quenquam incognitū prætermitto, ſed aliorum auditor eſto, aliorum diſcipulus: ac ita te para, vt minorum ſis iudex, maiorum æmulator, & velut aduerſarius in certamine de palma ſapiētiæ. Nam per hæc exercitia celerrimè talis fies, qualem eſſe oportere nos conſtituimus eum, qui rectè ſit regno præfuturus, & vrbem ita vt decet adminiſtret. Sic verò ipſe te maximè cohortabere, ſi abſurdum eſſe duxeris, vt deteriores præſtantioribus pręſint: & ſtolidiores prudentio-

dentioribus imperent. Nam quo vehementius aliorum amentiam, vt turpem, deſpicies: eo diligentius mentem & ingenium tuum exercebis.

1 Hinc igitur eos auſpicari decet, qui fungi volent officio, munúſque ſuum præclare adminiſtrare. Præterea te etiam & hominum & ciuitatis amantẽ eſſe decet. Nec enim fieri poteſt vt vel equis, vel canibus, vel viris, vel vlli rei aliàs is rectè præſit, qui illis nõ gaudet ac delectatur, qui curę ipſius ac fidei mandati ſunt.

2 Multitudo curæ tibi ſit, & omnis in eo tuus deſudet labor, vt imperio tuo delectentur & gaudeant. Notum enim eſt, & oligarchias eas, & cętera imperia eo diuturniora eſſe, quo diligentius multitudinem coluerint.

3 Sic autem præclarus populi gubernator eris, ſi neque vulgi petulantiæ frenos laxaris, neque aliis conceſſeris, vt in populum pro libidine graſſentur: ſed ſi inid operã dederis, vt honores & magiſtratus ad optimos deferantur, cæteri tuti ſint ab omni iniuria. Hæc enim elementa prima & maxima ſunt fœlicis reipub.

4 Mandata & inſtituta vitioſa loco moue, & muta: & maximè quidem optimorum inuentor eſſe labora: ſed ſi id fieri nequit, illa imitare, quæ apud alios laudabiter recepta ſunt.

5 Leges quære in vniuerſum æquas & vtiles, & inter ſe conſentientes: & præter hæc, quæ controuerſias quàm pauciſſimas pariant, & compoſitiones quàm fieri poteſt celerrimas inter ciues efficiant. Hæc enim ineſſe oportet omnia in legibus bene conſtitutis. Effice, vt è laboribus & opere faciundo præmia & lucrum ſperent: è forenſibus controuerſiis, cęteríſque callidis aucupiis, pœnas & damna expectent: vt illa expetant & ſectentur, hæc auerſentur & fugiant.

6 De illorum controuerſiis ne ſententiam feras ad gratiam, neque aliàs aliter, ſed de iiſdem rebus ſemper eadem decernito. Etenim & decet & expedit: vt regum animi & ſententiæ de iure ſint immutabiles, nec vnquam varient, ad bonarum legum exemplum.

7 Vrbem adminiſtra non aliter quàm paternam domum, quod ad ædificia reliquóſque apparatus & copias attinet, luculentè & regaliter: quod ad exactiones & reditus, accuratè & diligenter, vt ſimul & lauderis, neque ſumptibus exhauriaris.

8 Magnificentiam in nulla re ſuperuacanea, magníque ſumptus oſtenta: ſed tum in prædictis rebus, tum pulchritudine poſſeſſionum, tum beneficentia in amicos. Nam quæ in hunc modum expenderis, hæc & tibi manent, & poſteris tuis plures commoditates quàm pro expenſarum ratione, allatura ſunt, aut quàm profuſiones pecuniarum attuliſſent.

9 Religionem eam ſerua, quam à maioribus accepiſti: ſed id pulcherrimum ſacrificium & maximum cultum exiſtima, ſi ipſe ſis optimus & iuſtiſſimus. Maior enim ſpes eſt, tales facilius aliquid boni à Diis impetraturos quàm illos qui multas pecudes mactant.

10 Præcipuos honores coniunctiſſimis, veriſſimos beneuolen-

tiſſimis deſer.

11 Tutiſſimum ſatellitium eorporiſque cuſtodiam eſſe puta,& amicorum virtutem, & ciuium beneuolentiam, & tuam prouidentiam. Hæc enim ſunt, per quæ imperium facilimè cùm paretur, tum conſeruetur.

12 Cura patrimonia priuatorum: & cogita, prodigos de tuis ſumptus facere,& rei amplificādæ intentos tuas opes augere. Bona enim in vrbe habitantium omnia, ad familiam pertinent regum qui bene imperant.

13 Veritatis perpetuò tantū ſtudium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis maior ſit fides, quàm aliorum iuramentis.

14 Fac vt hoſpitibus omnibus in vrbe tua tutò verſari liceat:& in contractibus, nullæ contra leges iniuriæ fianr: atque inter aduenas eos maximi facito nō qui tibi munera aduehunt, ſed illos qui tuæ beneficentiæ ſubſidium cum fiducia expetunt. quod ſi feceris, propter honores illis habitos, magis alij te prædicabunt.

15 Exime ciuibus formidinem, neque terribilis eſſe velis nihil delinquentib. nam qualis tu in alios fueris, tales ipſi viciſſim erga te erūt: multóſque timeat neceſſe eſt, quem multi metuunt.

16 Iraſci, aut aliquid per iram agere nūquam decet: ſimulare, cùm tempus poſtulat, non dedecet. Acrimoniam tuam proba, indagatione rerum quæ gèruntur à ciuibus omnium: clementiam, moderatione & mitigatione ſuppliciorum.

17 Autoritatem imperij tuere, non acerbitate aut ſæuitia pœnarum, ſed excellenti præter cæteros ſapientia, vt te ſuæ ſaluti melius quàm ſemetipſos conſulere arbitrentur.

18 Bellicoſus eſto ſcientia rei militaris,& apparatu: pacificus, vt ne quid præter ius & æquum cōcupiſcas, tibíque vendices.

19 Erga ciuitates imbecilliores talem te præbe, quales in te potentiores eſſe velles.

20 Noli de rebus omnib. cōtendere, ſed de illis duntaxat, quarum victoria tibi profutura eſt.

21 Contemnendos exiſtima, non eos qui vtiliter ſuccumbūt, ſed qui cum damno ſuo vincunt.

22 Magnanimos puta, non eos qui maiora ſuſcipiunt quàm ſuſtinere poſſint, ſed illos qui & mediocria deſiderant,& quæ aggrediuntur, perficere poſſunt.

23 Æmulare non eos qui latiſſimè imperium propagarunt, ſed qui præſens imperium rectiſſimè geſſerunt: & exiſtima te ab omni parte beatum fore, non ſi omnibus hominibus cùm terroribus & periculis imperites, ſed ſi talis fueris qualis nunc es, & ea agens quæ in præſentia ſtudio tibi habes, mediocria deſideraris,& nulla re ad vſum neceſſaria carueris.

24 In amicitiam tuam admitte, non omnes qui ſe ingerūt, ſed eos qui tua natura digni ſunt: neque eum quibus iucundiſſimè tempus conteres, ſed quorum opera adiutus, vrbem melius gubernes.

25 Accuratiſſimè inquirito in mores & ingenia tuorum familiarium: non ignarus, te talem à tuæ vitæ ignaris iudicatum iri, quales illi fuerint cum quibus viuis.

26 Tales

26 Tales præfice rebus illis quas ipſe non perficis, quaſi tibi adſcribendum ſit, quicquid illi fecerint.

27 Fideles exiſtima, nō qui quicquid dixeris aut feceris, laudant: ſed qui etiam errata & delicta reprehendunt.

28 Poteſtatem fac viris ſapientibus liberè dicendi ſententiam, vt ſi quibus de reb. dubitas, præſto ſint, qui illas vnà tecum examinent.

29 Diiudica inter eos qui arte aſſentantur, & qui ex beneuolentia te colunt, ne improbi meliore conditione, & in maiore apud te gratia ſint, quàm boni viri.

30 Audi quid de ſe mutuò dicant: & conare cognoſcere cuiuſmodi ſint, non minus eos qui dicunt, quàm illos de quibus dicunt.

31 Iiſdem ſuppliciis affice calumniatores, quibus delinquentes.

32 Impera tibiipſi non minus, quàm cęteris: idque maximè regiū putato, ſi nulli voluptati ſeruias, ſed cupiditates magis in poteſtate habeas, quàm ciues tuos.

33 Nullam familiaritatem temerè aut incogitanter contrahe: ſed te aſſuefacito, vt illis congreſſibus gaudeas, qui te & ſapientia augeant, & efficiant vt aliis melior videaris.

34 Ne ob illa tibi placeas, quæ etiam ab improbis perfici poſſunt: ſed virtutem laudi tibi ducito, cuius nulla pars improbis contingere poteſt.

35 Veriſſimos honores eſſe puta, non qui palàm ex metu tibi habētur, ſed cùm ſoli ſunt, ſi prudentiam tuam plus quàm fortunam tui ciues admirentur.

36 Si fortè ita ceciderit, vt re aliqua leuiore gaudeas, clam facito: ſed cùm rebus maximis ſeriò occupatus es oſtenta.

37 Non poſtules, vt alij modeſtè viuant, regibus petulanter viuere liceat: ſed tuam temperātiam aliis exempli vice proponito. Nec enim ignoras, totius ciuitatis mores ad exemplum magiſtratuum conformari.

38 Hoc tibi argumento ſit quòd regno bene præſis, ſi videris, ſubditos & ditiores & modeſtiores ſub imperio tuo eſſe factos.

39 Magis expetendum ducito, vt liberis tuis honeſtam famā, quàm magnas opes relinquas. nam hæ mortales ſunt, illa immortalis: fama pecuniæ acquiri poſſunt, fama pecuniis emi non poteſt. opes etiam improbis contingunt: gloriam verò parare non poſſunt, niſi virtute præſtantiſſimi.

40 Splendidus eſto in veſtitu, & cæteris corporis ornamentis: in aliis verò actionibus tolerans eſto laborum, vt reges decet: vt qui vident, ob aſpectum te regno dignū iudicent: familiares tui, ob animi tui robur, iiſdem aſſentiantur.

41 Conſidera ſemper & dicta & facta tua, vt in delicta quàm pauciſſima incidas. Optimum quidem eſt, ipſum articulum & punctum temporis & modi attingere: quoniam verò id facilè cognoſci attingíque non poteſt, malis citrà reſiſtere, quàm vltrà progredi. Mediocritatis enim vis magis in eo quod parum, quàm in illo quod nimium eſt, cernitur.

42 Vrbanus eſſe ſtude, & grauis. Nam alterum imperio dignum eſt, alterum familiaribus congreſſibus accommodatum. Sed hoc eſt rerū omnium difficillimum. Nam qui

grauitatem affectant, plerunque frigere: qui vrbani eſſe ſtudent, nimis abiicere ſeſe comperiuntur. Eſt autem vtraque hac forma vtẽdum, & annexum vtrique incommodum effugiendum.

43 Quæ ad regni adminiſtrationem pertinentia, exactè ſcire deſideras, ea aggredere doctrinę & experientiæ adiumentis. Nam doctrina vias oſtendit: ſed ſi ipſis rebus gerendis exarcearis, id conſequêre, vt res dextrè adminiſtres.

44 Cogita, quæ res eueniant & obiiciantur priuatis hominibus & tyrannis. Nam ſi præteritorum recordêre, de futuris etiam rectiùs deliberabis.

45 Minimè decere puta, cùm aliqui priuati homines mortem oppetant, vt poſt obitum laudentur: vt reges ea ſtudia & actiones fugiant, quę viuentibus ipſis gloriam pariant.

46 Imagines virtutis tuæ potius, quàm corporis monumenta relinquere velis.

47 Maximè da operam, vt & te & vrbem in tuto colloces: ſed ſi periculum adeundum fuerit, honeſtè mori potius quàm turpiter viuere præoptabis.

48 In omnibus tuis factis, Regni memento, vt ne quid hoc honore indignum facias.

49 Caue admittas, vt tua natura ſimul penitus intereat: ſed cùm corpus mortale tibi datum ſit, animus immortalis, da operam, vt immortalem animi tui memoriam relinquas.

50 Meditare, vt de præclaris actionibus dicas: quo aſſueſcas eadem etiam ſentire atque infigere animo, quæ dictitas.

51 Quæ tibi cogitanti optima videbuntur, ea re ipſa perficito.

52 Quorum gloriam miraris, eorum res geſtas imitare.

53 Quę tuis liberis præciperes, ea ipſe facere ne graueris.

54 Vtere præceptis noſtris, aut tute inueni meliora.

55 Sapientes exiſtima, non eos qui de rebus minutis curioſe rixãtur, ſed qui de maximis rebus egregiè dicunt: nec eos qui aliis felicitatem policentur, cum ipſi in maximis anguſtiis viuant: ſed qui mediocria de ſe profitẽtur, verùm & negotia dextrè obire, & inter homines verſari commodè poſſũt: nec in vitæ mutationibus perturbantur, ſed pulchrè & moderatè res tam ſecundas quàm aduerſas ferre norunt.

Neque mireris nos multa dixiſſe, quæ tute quoque intelligis: nam hoc me quoque non præterit, ſed probè notam, cùm tanta multitudo ſit & priuatorum hominum & principum, alios tale aliquid dixiſſe, alios audiuiſſe, alios à nonnullis factavidiſſe, nonnulla etiam ipſos in quotidiano vſu habere. Verùm in his orationibus quę ad præceptiones de officiis pertinent, non requirenda eſt nouitas, in quibus nec admirabile, nec incredibile, nec inuſitatum quicquam comperitur: ſed hic doctiſſimus habendus eſt, qui quæ in aliorum animis diſperſa iacent, quàm plurima colligere, & elegantiſſimis verbis explicare poteſt. Illud quoque mihi ſatis notum fuit, quòd & poëmata & alia ſcripta ſuaſorij generis, omnes quidem vtiliſſima eſſe iudicant, ea tamẽ non libentiſſimè audiunt: ſed eodem erga illa ſunt

animo,

animo, quo ergà monitores: quos vniuerſi quidem laudant, eorúmque tamen congreſſus refugiunt, ac malunt cum vnà delinquentibus viuere, quàm cum monitoribus. Hoc vel ex Heſiodi, vel Theognidis, vel Phocylidæ poëſi cognoſcitur. Nam hos fatentur optima conſilia reliquiſſe vitæ hominum: quamuis autem hoc dicant, malūt mutua ſua ſtultitia potius tempus perdere, quàm in illorum præceptionibus verſari. Præterea ſi quis è præſtantibus poëtis, quas gnomas ſeu ſententias vocant, in quibus illi potiſſimum elaborarunt, excerperet, illis etiam nihilo plus delectarentur. Libentius enim comœdiam aliquam nequiſſimam & ineptiſſimam audirent, quàm ea quę ita artificioſè compoſita ſunt. Et quid neceſſe eſt ſingulis cōmemorandis immorari? In vniuerſum enim ſi naturas hominū conſiderare voluerimus, inueniemus pleróſque nec cibis ſaluberrimis gaudere, neque ſtudiis pulcherrimis, nec actionibus optimis, nec doctrinis vtiliſſimis: & eas voluptates habere maximas, quę rationi vtilitatis maximè aduerſantur: ac tolerantes & induſtrios videri eos, qui officium negligunt. Quare quî fieri poſſet, vt aliquis talibus, ſiue moneat, ſiue doceat, ſiue vtile aliquid dicat, placeret, qui præter ea quæ dicta ſunt, prudentibus inuident & obtrectant, ſimplices putant eos qui mente carent? Sic autem veritatem rerum abhorrent, vt ne ſua quidem propria negotia norint. Nam de ſuis rebus cogitantes, mœrent: cùm de alienis diſputant gaudent: & ferre mallent corporis infortunium, quàm animo aliquid agitare, & de re aliqua neceſſaria cogitationem ſuſcipere: Deprehendet autem eos aliquis in congreſſibus inter ſeſe conuicia vel dicere, vel audire: in ſolitudine non deliberare, ſed optare, aut precari. Hæc autem non in omnes dico, ſed ad iſtos duntaxat pertinere volo, qui his, quæ diximus vitiis obnoxij ſunt. Illud tamen palàm eſt, ſi qui ſunt qui velint aliquid multitudini gratum vel dicere, vel facere, illis exquirendas eſſe orationes non vtiliſſimas, ſed fabuloſiſſimas. Nā cùm tales audiunt, gaudēt: ſed cùm certamina & prælia ſpectant, mœrent. Quare admirationem merentur & Homeri poëſis, & qui primi Tragœdiam inuenerunt, quòd animaduerſa humani ingenij natura, vtríſque hiſce formis ad poëſim ſuam abuſi ſunt: alter enim certamina & bella ſemideorum fabuloſè perſecutus eſt, alteri fabulas oculis ſubiecerunt, vt illæ dimicationes & prælia nō narrari, ſed geri videãtur: nec audiri ſolùm à nobis, ſed etiā ſpectari poſſint. Cùm igitur talia exempla in prōptu ſint demōſtratum eſt, ſi quis deſideret auditores allicere & demulcere, ab admonitionibus & conſiliis eſſe abſtinendum, ſed illa & ſcribenda & dicenda, quibus populum gaudere videt. Hæc expoſui propterea, quòd exiſtimaui, te non oportere vnum eſſe de multis: ſed cùm ſis multorum rex & dominus, non aſſentiri debere cæteris, neque vel res graues & ſerias, vel prudentes homines, metiri ac ponderare voluptatibus, ſed in actionibus vtilibus periculum illorum facere: præſertim quum ſapientię profeſſores de animi exercitationibus inter-

ſeſe diſſentiant. Nam alij per diſputationes dialecticas, alij per eloquentiæ præcepta, alij per alia neſcio quæ, ſuis auditoribus ſapientiam pollicentur. In eo verò conſentiunt omnes quòd bene inſtitutum eruditum hominem oporteat, è ſingulis horum, ſibi prudentiam conſilij capiendi comparare. Sunt igitur ea de quibus adhuc ambigitur, miſſa facienda: & amplectendum id, de quo nulla controuerſia eſt: vt rectius de illis iudicetur: & conſiliarij maximè, occaſionibus oblatis, atque in ſubitis arduiſque rebus, ſpectandi ſunt: repudiatis illis, qui ambages agunt, ac generaliter & in vniuerſum de rebus dicunt: multóque magis illi ſunt improbandi, qui temerè nullóque cum fructu nugantur. Satis enim clarum eſt, cum qui ſibiipſe nihil prodeſt, nunquam alios facturum eſſe prudentiores. Prudentes autem, & qui longius quàm alij proſpicere poſſunt, magnifacito & colito: ac perſuaſum habeto, B O N V M conſiliarium vtiliſſimam, & rege omnium digniſſimam eſſe poſſeſſionem. Illos etiam tuum regnum maximè amplificaturos credito, qui tuam mentem plurimum iuuare & excolere poſſunt. Ego quidem, pro mea intelligentia, te admonui: & eum honorem quem poſſum, tibi habeo. Velle autem debes, vt etiam alij, quod initiò dixi, non conſueta munera tibi offerant, quæ vos longè pluris emitis à donantibus, quàm a vendentibus: ſed ea, quibus tametſi multum vtaris, idque nullum diem facere intermittas, nihil decedat, aut deteratur, ſed quæ maiora & pretioſiora ipſo vſu fiant.

Sequuntur Agapeti Diaconi ad Iuſtinianum Auguſtum de Regis ſeu ſerui publici munere præcepta.

1 Honore quolibet ſublimiorẽ quum habeas dignitatem, ô Imperator, honoras ſuprà omnes qui hoc te dignatus eſt Deum: quoniam iuxta ſimilitudinem cœleſtis regni, tradidit tibi ſceptrum terrenæ poteſtatis, vt homines edoceres iuſti cuſtodiam, & eorum qui aduerſus ipſum inſaniunt, inſectareris latratum, tum ipſius obtemperans legibus, tum ſubditos tibi regens legitimè.

2 Ceu gubernator vigilat perpetuò Imperatoris oculatiſſimus intellectus, continens tuto æquitatis clauos, atque expellens fortiter impetuoſos iniquitatis fluctus, vt ne cymba mundanæ Reipubl. illidatur fluctibus iniquitatis.

3 Diuinum documentum & potiſſimum nos homines, vt cognoſcat ſe quiſque, docemur. qui enim ſeipſum cognouit, cognoſcet Deum; Deum verò qui cognouit, aſſimilabitur Deo: aſſimilabitur autem Deo, qui dignus factus Deo eſt. dignus denique ſit Deo, qui nihil indignum patrat Deo, ſed qui vt cogitat quæ ipſius ſunt, ita & loquitur quæ cogitat, quàm facit quæ loquitur.

4 Maiorum nobilitate ne quis delicietur. Limum enim habent omnes generis autorem, & qui purpura byſſóque turgent, & qui paupertate & aduerſa valetudine affliguntur, tam qui diademate redimiti ſunt, quàm qui per cubi-

cula

cula excubant. Ne igitur lutulentum iactemus genus, ſed morum integritate glorięmur.

5 Scito ô pietatis diuinitus fabricatum ſpecimen, quia quantò maioribus dignus habitus es tribuente Deo muneribus, tanto maioris retributionis ipſi debitor es. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptanti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti, ipſe enim ſemper & beneficiis prior promeretur, & vt debitum beneficia repenſat. Gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blandorum prolatione, ſed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

6 Nulla res adeò commendabilem reddit hominem, vt poſſe quidem quæ velit efficere, ſemper humana, & velle, & agere. Quoniam igitur à Deo tibi donata eſt facultas, qua indigebat propter nos bona tua voluntas, omnia & velis & agas prout ei placet qui eam tibi dedit.

7 Terrenarum opum inſtabiles diuitiæ fluuiatilium vndarum imitantur curſum. Modicùm enim affluunt his qui habere ſe eas arbitrantur: mox verò refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficentię theſaurus ſtabilis eſt poſſidentib. eum: bonarum enim actionum meritum ad autores retorquetur.

8 Inacceſſus nimirum exiſtis hominibus propter celſitudinem huius quod hîc deorſum eſt imperij. facilis item aditu ſis indigẽtibus ob vim ſupernæ illius poteſtatis: atque aperias aures his qui à paupertate obſidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum. quales enim erga noſtros fuerimus conſeruos, talem circa nos reperiemus Dominum.

9 Solicitam Imperatoris animam ſpeculi in modum abſtergi oportet, vt diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumque diſtincta iudicia inde condiſcat. nihil enim adeo facit quæ peragenda ſunt conſpicere, atque cuſtodire eam perpetuò ſynceram.

10 Sicuti fit apud nauigantes, quum nauta errat, modicum affert nauigantibus nocumentum: quum verò ipſe gubernator, totius efficit nauigij perniciem: ſic & in ciuitatibus, ſi quis ex ſubditis peccet, non tam Rempublic. quam ſeipſum lædit: ſin verò ipſe princeps, vniuerſæ infert reipubl. detrimentum. is igitur vt non exiguam redditurus rationem, ſi quid neglexerit eorum quæ facto opus ſunt, cum exquiſita diligentia & dictitet cuncta, & factitet.

11 Circulus quidam humanarũ reuoluitur rerum, qui modò ſic, modò aliter agitat ipſas, & circunfert: atque in his inæqualitas eſt, eò quòd nihil ex præſentibus in eodem ſtatu maneat. oportet igitur te potentiſſime Imperator in hac rerum verſatili mutatione, immutabilem habere pietatis cognitionem.

12 Auerſare adulatorum pellaceis ſermones, vt coruorum rapaceis mores. Illi nanque corporis effodiunt oculos, iſti autem animæ hebetant cogitatus, cùm non permittant perſpicere rerum veritatem. vel enim commendant nonnunquam quæ reprehenſione digna ſunt, vel reprehendunt plo-

runque quæ omni laude ſunt maiora: vt de duobus alterum ab ipſis committatur, vel prauorum laus, vel contumelioſus bonorum contemptus.

13 Æqualem oportet ſemper eſſe Imperatoris animum: mutari enim pro rerum varietatibus mentis inſtabilis argumentum efficitur. Firmiter autem bonis inhærere, qua firmitate pium veſtrũ corroboratum & fixum eſt imperiũ, & neque vſque ad inſolentiã extolli, neque vſq; ad animi conſternationem deiici, in tuta veluti baſi ſtabilitorum eſt hominum, inconcuſsámque habentium animam.

14 Si quis purgatam habet cogitationem de humana deceptione, perſpicítque ſuæ naturæ vtilitatem, breuitatémque, & caducam ſortem præſentis vitæ, ac carni cõiunctas inſitáſque ſordes, ad ſuperbiæ nunquam illabetur præcipitium, quamuis in excelſo dignitatis faſtigio conſiſtat.

15 Super omnia præclara quæ regnum habet, cultus diuini corona regem exornat. Diuitiæ nanque abeunt, & gloria tranſit: ſed vitæ Deo placentis gloria immortalibus ſeculis coextenditur, & trans obliuionis tenebras collocat poſſidentes.

16 Vehementer mihi videtur abſurdiſſimum eſſe, quòd diuites & pauperes homines ex diſſimilibus rebus detrimẽtum ſimile patiuntur. Illi namque ſatietate perrumpuntur, hi verò fame pereũt. Item illi occupant vltimos mundi terminos, hi non habent vbi calloſa pedum veſtigia ſiſtant. Vt igitur vtraque pars ſanitatis fiant compotes, auferendo & diminuẽdo iſtos regere oportet, atque ad æqualitatem inæqualitas transferenda eſt.

17 Noſtris temporibus oſtenſum eſt proſperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cùm vel philoſophi regnarent, vel reges philoſopharentur. nam philoſophando digni habiti regno eſtis, & regnando à philoſophia non deſciuiſtis. Si enim amare ſapientiam, efficit philoſophiam: principium autem ſapientiæ, Dei eſt timor, quem in pectoribus veſtris iugiter habetis, clarum quàm verum ſit quod à me dicitur.

18 Te reuera regẽ aſſero, quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus valeas, & ſis corona caſtitatis reuinctus, & purpuram iuſtitiæ indutus. Aliis nanque poteſtatibus mors ipſa ſuccedit: huiuſcemodi verò regnum immortalem ſeruat perpetuitatem. Item aliæ hoc in ſeculo ſoluuntur, hæc autem à perpetuo ſupplicio liberatur.

19 Si honore, qui ab omnibus proficiſcitur, perfrui vis, præſta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeò attrahit ad beneuolentiam, vt beneficij gratia, quæ datur indigentibus, quod enim ob metum præſtatur obſequium, fucata eſt adulatio, ficti honoris titulo fallens eos qui ipſi animum aduertunt.

20 Venerandum iure eſt veſtrum imperium, quia hoſtibus quidem demonſtrat poteſtatem, ſubditis verò exhibet humanitatem: & quum illos vincas armorũ vi, inermi charitate vincitur à ſuis.

ſuis. Quantum enim feræ & ouis interſtitium eſt, tantum eſſe inter eos diſcrimen putatur.

21 Eſſentia corporis æqualis eſt cuilibet homini imperator, poteſtate autem dignitatis cunctorum præſidi Deo ſimilis eſt. Non enim habet in terris ſe quenquam altiorem. Oportet igitur ipſum vt Deum non iraſci, & vt mortalem non efferri. Nam etſi effigie diuina honoratus eſt, at pulueri tamen terreno connexus eſt: quo edocetur vt in omnes ſeruet æqualitatem.

22 Amplectere eos qui bonorum te conſiliorum admonitum volunt, non eos qui adulari ſæpenumero ſtudent. Illi enim quod expedit reuera perſpiciunt: hi verò ad ea quæ placent potentibus reſpiciunt, corporúmque vmbras imitantes, ſingulis eorum dictis applaudunt.

23 Talem te præſta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum eſſe. Prout enim audimus, audiemur, & vt reſpicimus, reſpiciemur à diuino cunctáque obtuente aſpectu. priores igitur nos miſericordiæ miſericordiam conferamus, vt pari par reci piamus.

24 Sicut exquiſita ſpecula tales monſtrant vultuum facies, qualia ipſa ſunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, triſteis autem eorum qui ſunt triſtes: eodem pacto iuſtum Dei iudicium noſtris actionibus aſſimilantur. Qualia enim ſunt quæ à nobis præſtãtur, talia ipſe nobis par pari referens exhibet.

25 Conſulta quæ agenda ſunt, cunctanter: exequere autem quæ decreueris, maturè: quoniam periculoſum eſt admodum, inconſiderata in rebus temeritas. Si quis enim quæ ex inconſulta mẽte proueniũt mala, conceperit animo, facilè comperiet boni conſilij commoda, vt qui ſanitatis dotem poſt ægrotationis experimentũ perſentiſcunt. Debes igitur, cordatiſſime rex, tum conſilio prudentiore, tum precibus ad Deum impenſioribus exquirere diligenter, quę mundo ſunt profutura.

26 Optimè reges egregium tuum imperium, ſi omnia des operam perſpicere, nec negligere patiare quicquam. neque enim paruum eſt in te, quod paruum eſſe apparet comparatione tuorum: quoniam vel exile Imperatoris verbum ingentem obtinet apud omnes vim.

27 Tibiipſi cuſtodiendi leges impone neceſſitatem, quum non habeas in terris qui te poſſit cogere. Sic enim tum legum præ te feres cultum ipſe, ante alios eas reuerendo: tum ſubditis conſtabit, legum præuaricationem periculi non eſſe immunem.

28 Peccare, & non cohibere peccanteis iuxta æſtima. Si quis enim in ciuitate vitam quidem ipſe traducat iuſtè, toleret autem viuenteis iniquè, ſocius malorum apud Deum iudicatur. Quòd ſi velis bifariam approbari, vt pulcherrima quæquè gerenteis honora, ita teterrima patrantibus ſuccenſe.

29 Expedire admodum arbitror, effugere prauorum contubernia. Qui enim cum hominibus improbis ſemper verſatur, eum vel pati vel diſcere malum aliquid neceſſe eſt: qui verò vnà cum bo-

nis degit, vel imitationem honeſtorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiſcit.

30 Terrarum orbis à Deo quũ concreditum tibi ſit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum adminiſtrationes. Quæ enim illi perperam fecerint, eorũ rationem reddet Deo, qui peccandi facultatem ipſis indulſerit. Magna igitur & diligenti cum perſcrutatione magiſtratuum promotiones fiant oportet.

31 Æquale reor eſſe malum, & inimicorum excandeſcere flagitiis, & amicorum permulceri blãditiis. Oportet enim vtriſque viriliter reſiſtere, nec vſquam à decoro diſcedere, neque irrationabilem eorum maleuolentiam vlciſcendo, neque fictitiam horum beneuolentiam remunerando.

32 Exiſtima veriſſimos amicos, non qui laudent omnia quæ dicantur abs te, ſed qui nihil non integro iudicio facere contendunt: ſic vt gratulentur tibi, ſi bene: triſtentur contrà, ſi perperam dixeris feceriſve. Hi enim reuera ab omni fraude abhorrentis amicitiæ præ ſe ferunt inſignia.

33 Ne mutet tibi magnanimam mentem terrenæ huius poteſtatis moles: ſed vt fragilem fatóque obnoxium regens principatum, immutabilem habeto mentem in rebus mutabilibus, nimia neque lætitia ſublimen te extollens, neque mœſtitia vileſcens.

34 Sicut aurum quamuis modò ſic, modò aliter ab arte transfiguretur, atque ad varias ornamentorum ſpecies transformetur, permanet tamen id quod eſt, nec mutationem patitur: ſic ipſe quoque inclytiſſime Rex, licet aliud ex alio per gradus obtinueris imperium, perueneríſque ad ipſum ſupremum honorem, idem tamen per manes non in eiſdem rebus, immutabilem continens in officio animum.

35 Exiſtima tunc demum te tutò regnare, cùm volentibus imperas hominibus. Quod enim inuito animo ſubiicitur, ſeditionibus fluctuat capta occaſione: quod verò vinculis beneuolentię regitur, ſtabilem ſeruat erga rectorem obedientiam.

36 Vt dominium imperij facias decantabile, quantam habes aduerſus ſubditos peccanteis irã, tantam habendam eſſe tibi aduerſus teipſum peccantem cenſeto. Nemo enim valet tanta pollentẽ poteſtate corrigere, niſi ratio propria quæ ex ipſo peccante moueatur.

37 Magnam qui poteſtatem adeptus eſt, largitorem poteſtatis imitetur pro viribus. Si enim imaginem geſtat omnium præſidis Dei, atque per ipſum continet rerum principatum, in eo maximè imitabitur Deum, vt non exiſtimet quicquam miſericordia pretioſius.

38 Super aurum & lapidem pretioſum beneficentiæ diuitias nobis veluti theſaurum recõdamus. Illæ nanque tum in præſenti vita oblectant ſpe futuræ fruitionis, tum in futura dulcedinem afferunt, experimento guſtúque ſperatæ beatitudinis: quæ verò nunc circa nos apparent, tanquam nihil ad nos pertinentia, ne nos allectent.

39 Da operam vt eos ſplendidio-

dioribus demerearis remunerationibus, qui cum beneuolentia capeſſunt quæ mandantur abs te. Hoc enim pacto & bonorum augebis alacritatem, & malos docebis vt dediſcant malitiam. Eiſdem enim cenſeri dignos qui non eadem faciunt, nimis nefarium eſt.

40 Pretioſiſſimum omnium eſt imperium. Tunc verò, vel maximè huiuſcemodi eſt, quum hac qui circundatus eſt poteſtate, non ad pertinacem & temerariam ſęuitiam propenſus ſit, ſed ad æquitatem reſpiciat, inclementiam vt ferinam auerſando: humanitatem, vt Deo ſimilem præ ſe ferendo.

41 Æqua lance tam ad amicos quàm ad inimicos vergens iudicandi munus obito, neque beneuolis de te gratificans ob beneuolentiam: neque maleuolis reſiſtens, propter inimicitias. quoniã eiuſdem eſt abſurditatis, & iniuſtum vt iuſtum probare, etſi ſit amicus, & iniuriam iuſto inferre, etſi ſit inimicus: malum enim vtrobique ſimile eſt, tametſi in cõtrariis inueniatur.

42 Intenta mente auſcultari debent rerum iudices. Difficilis nanque captu eſt iuſti inuentio, faciléque effugere ſolet non admodum attendẽteis. Quòd ſi pręter miſſa dicentium eloquentia, dictorúmque neglecta veriſimilitudine, ad penitiſſimam intentionũ profunditatem penetrauerint, ſic demum haurient, quod ab ipſis quæritur, geminíque inſontes erunt delicti, neque ipſi honeſtum prodendo, neque aliis concedendo.

43 Æqualia numero ſideribus etſi habueris rectè facta, non tamen ſuperabis Dei bonitatem. Quæcunque enim quiſpiam obtulerit Deo ſua, ipſi offeret ex ſuis. Et ſicut anteire nulli datur ſuam in ſole vmbram, præuenientem ſemper vel nimis properantem: ita inſuperabilem Dei bonitatem nulli bene factis homines excedent.

44 Inexhauſtæ ſunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquirũtur, & diſſipando colliguntur. Has tuo inſitas animo habens munificentiſſime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te. Infinitiecuplas enim pro eis habebis remunerationes, quum tempus operam remunerandi venerit.

45 Nutu Dei regnum adeptus, imitare eum bonis operibus: quia inter eorum numerum natus es, beneficio qui afficere poſſunt, non qui affici poſtulant. paratæ enim rerum copiæ nullum impedimentum eſſe poteſt, quominus conferantur in pauperes beneficia.

46 Sicut oculus innatus eſt corpori, ita Imperator mundo adaptatus eſt, à Deo datus pro adminiſtratione eorum quæ vſui ſunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus quaſi propriis membris proſpicere, vt proficiant in bonis, neu malorum offenſaculo illidantur.

47 Tutiſſimam arbitrare ſalutis tuæ cuſtodiam, nulla quenquam ex ſubditis afficere iniuria: qui enim offendit neminem, ſuſpectum habet neminem. quod ſi nulla quenquam afficere iniuria tutelam conciliat, longè beneficiis

collatis magis id præſtabit. nam vt tutelam exhibet,ita charitatem non prodit.

48 Eſto ſubditis, pientiſſime Imperator, & formidabilis, ob excellentiam poteſtatis, & amabilis,ob largitionem beneficentiæ. Neque formidinem contemnẽs, propter amorem: nec item amorem negligens, ob formidinem, ſed tam manſuetudinem prę te ferens haud aſpernabilem, quàm aſpernabilem familiaritatem immiti ſeueritate caſtigans.

49 Quæ ſubditis verbo quaſi lege præſcribis,hæc tu præueniẽs re ipſa præſtitiſti,vt verbis quibus perſuades, integra quoque vita adſtipuletur. ſic enim commendabile tuum aſſeuerabis imperium, ſi & ratiocineris non ſine opere, & opereris non ſine ratione.

50 Eos plus ama, sereniſſime Imperator, accipere abs te beneficia qui ſupplicant, quàm tibi qui contendunt offerre munera. His enim debitor referendi gratiam efficeris: illi verò Deum dăt tibi vadem,vendicantem ſibi pertineréque ad ſe putantem,quęcunque erga ſupplices contuleris, & remunerantem bonis retributionibus tuam tam piam, quàm perhumanam intentionem.

51 Solis profectò partes ſunt,illuſtrare radiis orbem. Principis verò virtus eſt,egenorum miſereri. Porrò illo clarior eſt imperator, qui pius eſt. Ille nanque cedit ſuccedenti nocti: hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgẽtve quicquam, ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

52 Priores quidem te Imperatores principatus adornauit: tu verò eum,præſtantiſſime,illuſtriorem reddidiſti,mãſuetudine temperans diluénſque poteſtatis molem, bonitatéque vincens adeuntium te formidinem.Quapropter tuæ ſerenitatis portum ſubeunt omnes qui miſericordia indigẽt, fluctibúſque paupertatis liberati, gratiarum actores hymnos ad te miſſitant.

53 Quantum poteſtate cæteris antecellis, tantum factis etiam emicare ante alios enitere.Perſuaſiſſimum enim habe: eam abs te poſtulari honeſtorum operationem, quæ magnitudini virium proportione reſpondeat. Vt igitur à Deo quaſi per præconem victor declareris,corona inuicti imperij tuo capiti impoſita, coronam etiam ex promerendis pauperibus acquirito.

54 Contemplator priuſquam mandes, quæ fieri velis:ſic fiet, vt ſemper prudenter iubeas quæ fas eſt.Lubricum enim eſt inſtrumentum linguæ, maximúmque affert negligentibus periculum. quòd ſi pium intellectum veluti muſicum illi præfeceris, omnib. harmoniæ numeris concinnatum virtutis modulabitur melos.

55 Acutum quidem eſſe oportet omnem principem, quum in aliis, tum vel maximè in afferendo de rebus difficilimis iudicio, lentum autem ad iraſcendum ſe præſtare. Et quoniam omnimoda iræ abſentia aſpernabilis eſt, & iraſcatur mediocriter & non iraſcatur:illud, vt prauorum impetum comprimat: hoc, vt propenſiones bonorum peruestiget.

56 In

57 Sermonem quum audis iuuare valentem, ne auribus eum modò, verùm opere etiam excipito. ſic enim Imperatoris exornatur decoratúrque dominium, quum vel ex ſe conſiderat quæ decēt, vel ab alio reperta nou deſpicit: ſed tum diſcit ſine verecundia, tum exequitur ſine cunctatione.

58 Arx quidem indepopulabilibus muris munita contemnit obſidenteis ſe hoſtes: Pium autem veſtrum imperium quum & liberalitate erga miſeros veluti muros cinctum, & precum turribus corroboratum ſit, inuictum nulliſque hoſtium telis peruium ſit, præclara & celebria contra eos erigens trophæa.

59 Vtere vt oportet regno hoc inferiore, vt ſcala tibi fiat ſuperioris claritatis. Qui enim hanc rectè gubernãt, illa quoque poſt modum digni cenſentur: hanc autem rectè gubernant, qui paternam ſubditis oſtendunt charitatem, & principi debitum ab ipſis recipiunt timorem. Itaque minis quidem vitia compeſcent: ſupplicij autem ſenſum ipſis neutiquam infligent.

60 Veſtimentum non veteraſcens eſt beneficentiæ amictus, & incorrupta ſtola eſt charitas erga pauperes. Eum igitur oportet qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus eſt purpuram, cœleſtis quoque regni compos efficitur.

61 Sceptrum imperij cum à Deo ſuſceperis, cogitato quibuſnam modis placebis ei qui id tibi dedit, quóque omnibus hominibus ab eo ſis prælatus, magis omnibus eum honeſtare feſtina. Porrò id ipſe honeſtamentum arbitratur maximum, ſi quaſi ipſum factos à ſe tuearis, atque vt debitã exolutionem, benefaciendi munus adimpleas.

62 Recurrere ad ſupernum auxilium quum homo quiuis debet ſalutem qui expetat, tum ante omnes Imperator, vtpote qui pro omnibus ſolicitus eſt. quum enim à Deo cuſtodiatur, tam hoſtes generoſa manu debellat, quàm ſuos ſeduló communit.

63 Deus nulla re indiget. Imperator ſolo Deo. Imitare igitur nullum indigum, petentibúſque fac vberem miſericordię copiam, non exacta & ad viuum reſecante rem ratione impenſarum tuarum erga famulatum vtens: ſed omniũ de ſuſtinenda vita petitionibus ſatisfaciens. Longè enim ſatius eſt merito dignorum etiam indignis miſereri, quàm indignorum vitio dignos iis defraudare quæ merentur.

64 Veniam quum delictorum tuorum petas, ipſe quoq; te offendentibus ignoſce, quoniam remiſſioni retribuitur remiſſio, noſtræque cum conſeruis noſtris reconciliationi, Dei amicitia & familiaritas.

65 Qui inculpabiliter principem agere ſtudet, quum notas cauere debet quę forinſecus inuruntur, tum ſeipſum ante alios verecundari, vt & apertè delinquere abſtineat propter alios, & à ſeipſo cohibeatur quominus priuata ſeorſum flagitia committat. Si enim ex ſubditis ſunt qui reueren-

tia digni habentur, multò magis ea dignus Imperator efficitur.

66 Priuati vitium eſſe aſſero, patrare praua, ſupplicióque digna: principis verò culpam, non facere quæ honeſta ſunt, ſalutémque pariunt. neque enim malórum abſtinentia iuſtificat potentem, ſed bonorum editio coronat eundem. Ne igitur malitia duntaxat abſtinere cogitet, ſed iuſtitiam etiam capeſſere contendat.

67 Dignitatum ſplendores mors haud reformidat. omnibus enim voraces ſuos dentes infligit. Ergo ante illius ineluctabilé aduentum, opum copiam tranſportemus in cœlum. Nemo enim quę colligit in mundo, illuc profectus abducit, ſed omnibus in terra derelictis, nudus de vita ſua reddit rationem.

68 Imperator vt eſt omnium dominus, ita cum omnibus Dei ſeruus exiſtit. Tum igitur demum vocabitur dominus quum ipſe ſibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur: tum adiutricem piam rationem aſſumens, inuictam ſcilicet imperatricem animi perturbationem rationis expertium, indomitas cupiditates, armatura caſtimoniæ debellabit.

69 Quemadmodum vmbræ corpora ſectantur, ſic animas flagitia comitantur, euidenti effigie actiones exprimentia. ideo non datur in iudicio negare. Ipſa enim vniuſcuiuſque opera obteſtabuntur, haud ſanè vocem emittẽdo, ſed talia prorſus ſeſe repræſentando, qualia à nobis patrata ſint.

70 Nauis per mare commeantis, imitatur tranſitum compendioſa præſentis vitæ conditio, quę ſanè nos nautas fallens ſuos, & pedetentim cunctanti raptas curſu, tandem ad ſuum cuiuſque exitum perducit. Si igitur hæc ita ſe habent, prætercurramus præcurrentia mundi negotia, adcurramúſque his quæ ad ſecula ſeculorum permanent.

71 Faſtuoſus & ſuperciliosſus homo ne vt taurus alticornis eleuetur, ſed animaduertens carnis ſubſiſtentiam, ſedare debet cordis elationem. Nam etſi factus eſt princeps in terra, ne tamen ignoret ſeſe ortum ex terra, quum ex puluere ad ſolium conſcendere, atque in puluerem tandem deſcendere poſſit.

72 Studetó ſemper, inuictiſſime Imperator, & ſicuti ſcalas qui ſcandere incipiunt, non prius deſiſtunt ad ſuperiora ferri, quàm ad ſupremum perueniant gradum: ita tu quoque iugiter honeſtorum aſcenſum continuato. Sic fiet vt cœleſtis quoque regni fructum aliquando percipias: quod vtinam & tibi tribuat & coniugi Chriſtus rex omnium & qui regnant & qui regno ſubiiciuntur, in ſecula.

RELIGIO.

Animaduerto deos ipſos non tã accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & ſanctitate lætari: gratiorémque exiſtimari qui delubris eorum puram caſtámque mentem quàm qui meditatũ carmen intulerit. *Plin. Paneg.*

Religionem imperare non poſſumus (inquit Theodericus rex) quia nemo cogitur vt credat inuitus. *Caſſiod. l. 2. ep. 27.*

REMVNERATIO.

Remuneratio meritorum, iuſtum

ſtum dominantis prodit imperiũ, apud quem perire neſcit, quod quempiam laboraſſe contigerit. *Caſſiod.l.1.ep.42.*

RESPVBLICA *felix.*

Ille Reipubl. ſtatus optabilis & firmus eſt, in quo & priuatim ſanctè innoxiéque viuitur, & publicè iuſtitia ac clementia vigent. *Polyb.l.6.*

REIPVBL. *adminiſtratio tuta.*

Ij hominum tutiſſimè agunt, qui præſentibus moribus legibúſque, etiam ſi deteriores ſint, nihil variantes, rempubl. adminiſtrant. *Thucyd.l.6.*

REIPVBL. *fulcra.*

Duo ſunt quibus Reſpublica conſeruatur, in hoſtes fortitudo, & domi concordia. *Polybius lib.6.*

RERVMPVBLICARVM *labes.*

Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi inueniet. *Liu.l.30.*

RIGOR.

Acerbis iudiciis vaſtantur magis ciuitates quàm corriguntur. *Salluſt.ad Cæſar.*

RIGOR *veterum.*

Nocet priſcus rigor & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus. *Tacit.1.hiſt.*

S

SACRVM.

Hoc ſacrum eſt, quod nulla permittitur commotione violari. *Caſſiod.l.3.ep.4.*

SALVS.

Inuſitata ratio ſalutis diuino quodam beneficio omnino contigiſſe videtur. *Heliodor. libro 8.*

SAPIENS.

Nunquam ſapiens laborat inopia, ſed facultates voluntate metitur, tantum accipiens à præſtantioribus, quantum petere honeſtum eſſe iudicat. *Heliodor. libro quinto.*

SAPIENTIA.

Is ſapientiæ fructus eſt non cõſcium ſibi eſſe mali reſpondit, & vitam in veritate tranſigere. Ex his enim maximum gaudium, & animi voluptas gignitur, & ſpes in Deo optimæ adcrunt. *Ariſt. in queſt.*

SEGNES.

Segniſſimi eſt torpere, cum ſe ad prouectum cognoſcat rerum dominos inuitaſſe. *Caſſiod.libro 8. epiſt.14.*

SCRIPTVRÆ *ſacræ lectio.*

Humanos mores lectio diuina ſolidauit: quoniam ſæpe bene geritur, ſi cœleſtis metus humanis motibus opponatur. Hinc enim virtutum omnium ſumitur manifeſta cognitio: hinc ſapientia veritatis ſapore conditur. *Caſſiod.l.9. ep.25.*

SECVRITAS.

Securus & intrepidus princeps erit, ſi mens nullius ſibi conſcia mali Deum ſequatur qui conſilia omnia in bonum dirigit. *Ariſt. in queſt.*

SEDITIO.

In controuerſiã non cadit, quin ſit neceſſarium, vt rex ſeditionẽ vulgi ſedet. *Heliodor.l.10.*

SEDITIOSORVM *ingenium.*

Peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur. *Salluſtius orat. ad Cæſar.*

Sunt ferè cunctis in vrbibus factioſa ingenia,quæ cuiuſque magnæ rei editæ rationes excutere, ſubiicereque cenſuræ ſuæ inſolenter & proterue ſolent,vt partibus, quibus ſeſe ſemel addixerint,propenſiſſimo ſtudio, ſermonéque paſſim & perſcriptis vndique literis opportuné deſeruiant. *P.Iouius hiſt.l.*38.

SENECTVS.

Senectus cùm aliarum partium, tum aurium pręcipuè morbus eſt. *Heliod.l.*5.

SEPVLTVRÆ *cura.*

Inſatiabilis fletus eſt qui humanis non finitur corporibus intereſſe: dum ſemper ſe reum indicat qui cineribus iuſta non pręſtat. *Caſſiod.l.*2.*ep.*22.

SERMO *liber.*

Oris libertas nuncia veritatis, atque ideo fidelis amicitiæ cuſtos. *P.Iou.hiſt.l.*41.

SERVITVS.

Oppoſitum eſt propemodum In vniuerſum id quod ſubiectum eſt,ei qui imperium in illud obtinet. *Heliod.l.*7.

SEVERITAS.

Ne còrporis quidem morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coerceas. Corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus,haud leuioribus remediis reſtinguendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit. *Tacit.Ann.l.*3.

SILENTIVM.

Ferè ſequitur vt illa quidem de quibus taceas, tanta quanta ſunt eſſe videantur. *Plin.Paneg.*

Decere puto mulierem ſilentium, virum verò reſponſionem inter viros. *Heliod.l.*1.

SIMVLATIO.

Omnis ſimulatio magnis eſt inimica conſiliis. *P.Iouius, hiſtor. lib.*39.

SOCII *inimici.*

Si calamitoſum eſt bello ab hoſte diripi, multò quidem miſerius eſt in pace vaſtari à ſociis, atque inexpiabilis contumelię detrimẽta,& iniurias pati. *P.Iou.hiſt.l.*37.

SOMNVS.

Cum affectione corporis & animæ pars,intelligens conſentire cogitur. *Heliodor.l.*2.

SOMNVS *placidus.*

Rex in ſomnis quietus erit qui in omni negotio quidquid dixerit, quidquid fecerit direxerit ad pietatẽ vt ſeipſum ſeruans virtute circumualetur nec voluptate irrationabiliter pellectus,néve potentia fiſus,quod iuſtum eſt tollat. Etenim in quibus quiſque plurimũ verſatur vigilans, & perquietem earundem rerum cùra hominem recurſat. Sed quando omnes rationes & operationes ſuas ad pulcherrima quæque inſtituit, & vigilans & dormiens, ob eam cauſam optima in eo ſemper eſt tranquillitas. *Ariſt.in quæſt.*

SPES.

Cuius rei ſpes ſemel abiecta eſt tollitur ex animo,& quod nõ amplius exſpectatur efficit vt ad omnem ſenſum doloris ægri animi occalleſcant. *Heliodor.l.*1.

Spei ſubſidio res humanæ bellicæque præſertim conſtant. *P.Io. hiſt.l.*39.

Afflictorum ſpem, quas apud mortales nulla fortis iniquitas penitus abrumpit. *Idem l.*40.

STATVRA.

In bello non tam ſtaturæ mi-

litis rationẽ habere cōuenit, quàm virium. *Veget. lib. 1. cap. 5.*

Ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum, milites elige. *Ibid. cap. 6.*

STVDIA.

Sublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia pereunt. *Tacit. Annal. l. 11.*

SVASIO.

Suaſio ab eo qui iubere poteſt, vim neceſſitatis adfert. *Tac. 14. An.*

SVBDITI.

Virtus ac ferocia ſubditorum ingrata imperantibus. *Tacit. in Agric.*

SVBDITI *amore in officio continendi.*

Obſequium in principẽ, & æmulandi amor, validiora, quàm pœna ex legibus. *Tacit. Annal lib. 3.*

SVBDITORVM *officium.*

Hoc primum erga optimum imperatorem piorum ciuium officiũ eſt, inſequi diſſimiles, neque enim ſatis amarint bonos principes, qui malos ſatis non oderint. *Plinius, Panegyr. ad Traian.*

SVCCESSVS.

Fit plerunque in conſiliis humaniſque rebus, vt alioqui rectè ſperatus & facilis ſucceſſus, nimia diligentia & cura corrumpatur. *P. Iouius, hiſt. lib. 39.*

SVPERBIA.

Superbia crudelitate grauior eſt. *Iornand. lib. de ſucceſſ. regnorum.*

In ſuperbiam nemo extolletur, qui æqualitatem ſeruauerit & ſingulis in rebus ſui ipſius meminerit: reuoluens animo, vt homo hominibus præſit, vtque Deus deleat ſuperbos, manſuetos & humiles extollat. *Ariſt. in queſt.*

SVPERBIA *militaris.*

Fit ſæpiſſimè militiæque pręſertim malignitate atque ſuperbia humani ingenij vt plerique vinci malint, quàm victoria potiri, quæ alieno conſilio parta ſuſceptæ ſemel ex aduerſo prolatæque opinionis famam ad dedecus extẽdat. *P. Iouius, hiſt. lib. 39.*

SVSPICIO.

Nulla grauior peſtis humano ingenio inſidet, quàm altè concepta ſuſpicio. Ea enim quum ſemel irrepſerit, ægerrimè vel maximè illuſtri ratione conuellitur. *P. Iouius, hiſt. lib. 43.*

T.

TEMERARIVS.

Non admodum peritus belli, ante periculum vaniſſimus hoſtium contemptor. *P. Iouius, hiſt. lib. 43.*

TEMPERANTIA.

Impoſſibile eſt, vt ſimul aſpicere virginem formoſa facie & toto corporis habitu præſtantiſſimã, & intra temperantiæ metas quis continere ſe poſſit. *Heliodor. lib. 1.*

TERROR.

Metus & Terror infirma ſunt vincula charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. *Tacit. in Agric.*

Repertis auctoribus tollent iſti animos. *Idem, Annal lib. 6.*

THESAVROS *regum.*

Regantis facultas tunc fit ditior, cum remittit, & acquirit nobiles theſauros famæ, neglecta vtilitate pecuniæ. *Caſſiod. lib. 1. epiſt. 16.*

Ioannes Hungariæ Rex virorum fortium clientelas perpetua hoſpitalitate & beneficentia partas, & certos principum theſauros eſſe dicere erat ſolitus, quòd grati & memores vna ſæpe forti fidelique opera omnes ſumptus cumulatè perſoluerent, ingrati verò

cum ignominia alienæ virtutis teſtimonium ferre viderentur. *P.Iouius,hiſt.lib.*39.

TIMIDITAS.

Hoſtibus exerto gladio acceden tibus, intrepidè obuiam eundum eſt:alioquin officij immemores apparent, qui pedem timidè referũt. *Heliodor.lib.*1.

TRANQVILLITAS *publica.*

Regnantis eſt gloria, ſubiectorum ocioſa tranquillitas. *Caßiod. lib.*2.*epiſt.*29.

TRISTITIA.

Triſtitia aſſumenda eſt in amicorum aduerſis:quandoquidẽ diuturna ea & ineuitabilia cernimus, quæve calamitatibus opertos interimant. Nam in his mœſticiam nulla ratio leuat. Sed de his in quibus deſperamus, neque quicquam in his vtile inuenimus, mortales omnes contriſtantur: malum verò omnino effugere, diuinæ potentię eſt. *Ariſt.in queſt.*

Sine triſtitia viues, ſi neminem læſeris omnéſq; iuues, iuſtitiaquoſque proſequens:ab ea huiuſmodi fructus iocunditatis colligitur. Sed implorandus eſt Deus, ne ea nos lædant quæ pręter opinionem noſtram accidũt, vt ſunt mortes, morbi, ægritudines, & cętera huiuſmodi. *Idem ibid.*

TRIBVTA.

Nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipẽdia ſine tributis haberi queunt. *Tacit.*4 *hiſt.*

Diſſolutionem imperij docet, ſi fructus quibus reſpublica ſuſtinetur, deminuantur. Idem 13 *Annal.*

Diſciplina imperandi eſt, amare quod multis expetit: quoniam reſpub. nimium ſoliditatis accipit, ſi tributariorũ facultas illæſa conſtiterit. *Caßiod.lib.*9.*epiſt.*9.

TVRPIA.

Facere turpia & dicere, æquè indecorum eſt. *Heliodor.lib.*7.

TYRANNIS.

Ego cuncta imperia crudelia, magis acerba quàm diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum ęternum & anceps gerere, quoniam neque aduerſus, neque ab tergo aut lateribus tutus ſis, ſemper in metu aut periculo agites. *Salluſt.ad Cæſ.*

TYRANNIS.

Nulla ſcelere quæſita potentia diuturna eſt. *Curt.lib.*4.

TYRANNVS.

Nemo imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit. *Tacit.hiſt.lib.*1.

V.

VANITAS *hominis.*

Præclara facies, magnæ diuitiæ, ad hoc vis corporis, & alia huiuſmodi omnia breui dilabuntur. *Salluſt.Iugur.*

Cuncta mortalium incerta ſunt: quantóque plus adeptus ſis, tantò tu magis in lubrico. *Tacit.Annal, lib.*1.

VELOCITAS.

Velocitas percepto exercitio ſtrenuum efficit bellatorem. *Vegetius, lib.*1.*cap.*4.

VENERATIO *regum.*

Eſt ingenita quibuſdam gentibus erga reges ſuos veneratio. *Curtius,lib.*3.

VERITAS.

Sicut pernicioſum eſt doctos praua ſuadere;ſic ſalutare munus, cùm veri-

veritatis terminos diſertitudo neſcit excedere. *Caßiod. lib 8. epiſt.* 10.

Princeps veritatem colet, ſi cognouerit quàm magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus afferant, & multo maiorem notam regibus inurant. Nã quando ea potentia ſunt, vt quę volũt facilè perficiant, cuius rei gratia mẽtientur? Oportet etiam eum conſiderare: quò Deꝰ amator veritatis exiſtat. *Ariſt. in quaeſt.*

Ingrata regiis auribus eſt veritas. *P. Iouius, hiſt. lib.* 39.

VETVSTATIS *laus.*

Scito ſuper omnibus negotiis, melius atque rectius olim prouiſum: & quæ cõuertantur in deterius mutari: *Tacit. Annal. lib.* 15.

In minimis quoque rebus, omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda. *Valer. Max. lib.* 2.

VICISSITVDO *rerum.*

Nihil eſt vel minimum quidem in hac vita mortali, quod eodẽ ſemper ſtatu permaneat: ſed nationes hominũ infinitę, ciuitatéſque multæ, vitáque mortalium vniuerſa, eodem (vt ita dicam) curſu feruntur & perturbantur, & de ſumma rerum omnium ſpes ipſa concutitur. *Agath. lib.* 3.

Vt plurimum res humanæ in ludibrij & luſus loco à Numine quodammodo collocatæ videntur. *Heliodor. lib.* 5.

Humanarum rerum ratio eſt inſtabilis, & alias aliò inclinat. *Eod. l.*

VICTI.

Quos viceris caue amicos tibi eſſe credas. *Curtius, lib.* 1.

VICTORIA.

Pulchrum eſt vincere hoſtes, ſtãtes quidem adhuc pręliis, collapſos autem beneficentia. *Heliodo. lib.* 9.

Viris fortibus nihil omnino de victoria dubitãdũ. *P. Iou. hiſt. lib.* 34.

Te ipſum vincere certè magis pulchrũ decorũmque fuerit, quàm fortunam rerum omnium dominam admirabili conſtantia ſuperaſſe. *Idem, lib.* 43.

VINDICTA.

Quid forti ſuauius, quàm vindictam manu quærere? Magnum munus à natura (*corrupta*) animum vltione ſatiare. *Iornand. de reb. Get.*

Contemptum ſequitur vindicta. *Heliodor. lib.* 7.

VINVM.

Vinum procliues quodammodo in lachrymas homines efficit. *Heliodor. lib.* 5.

VIR *admiratione dignus.*

Admiratione dignus ille eſt, quicunque gloria, diuitiis & potentia exuberans, æquam tamẽ erga omnes mentem habet. *Ariſt. in quaeſt.*

VIRES *humanæ.*

Caduca hæc & fragilia, puerilibúſque conſentanea crepũdiis quę vires atque opes humanæ vocantur. *Valer. Max. lib. 6. cap. vlt.*

VIRES *imperij.*

Vires imperij in conſenſu obedientium ſunt. *Liu. lib.* 3.

VIRTVS.

Virtutem plerique non aſſequũtur, quoniam naturâ mortales omnes incontinentes & ad voluptates proni ſunt, ex quibus iniuſtitia gignitur, & auaritiæ cumulus: virtutis verò ſtatus alto loco fixus, eos maximè prohibet & reiicit, qui voluptatibus deuincuntur: fortitudinem námque & iuſtitiam potiſſimum colendas iubet, quarum ductor & largitor Deus eſt. *Ariſt. in quaeſt.*

Præclara virtus vel ſummis ad-

umbrata viris magnam habet in ſe vim ac admirationem. *P.Iouius, hiſt.lib.27.*

VIRTVS *ſcientiæ expers.*

Non animalium modo quorundam oculi per tenebras videre poſſunt, interdiu cæcutiunt, quòd ſiccitas & tenuitas humoris qui eſt in oculis cum luce non poteſt temperari: ſed & quorundam hominum calliditas atque prudentia ita eſt comparata, vt in apertis rebus, indictiſque certaminibus facilè ij perturbentur: in occultis autem & abditis rebusgerendis audaces ſint. Huius inæqualitatis cauſa eſt in bonis naturis ignoratio philoſophiæ: cùm bona ingenia virtutem abſque ſcientia, veluti fructum ſponte ſua & abſque cultu enatum, proferunt. *Plutarch. in Arato.*

VITA.

Hominibus vita eſt omnibus rebus precioſior. *Heliodor.lib.5.*

VITA.

Nullius ſexus nec ætatis opem repudiat periculum de vita. *Idem, lib.9.*

VITA *beata.*

Homini optimũ eſt ſi cognoſcat quoniam Deus mortalibus dominetur, atque vt ad optimas quaſque operationes non per nos ipſos conſilia dirigamus: Deus enim qui cũctis dominatur, omniũ opera perficit & deducit. *Ariſt.in quæſt.*

VITA *humana.*

Habet has vices conditio mortalium vt aduerſa ex ſecundis ex aduerſis ſecunda noſcantur. Occultat vtrorumque ſemina Deus, & plerumque bonorum malorúmque cauſæ ſub diuerſa ſpecie latẽt. *Plinius, Panegyr.*

Humana vita eſt res quædam inſtabilis & infirma, & aliàs aliò inclinans. *Heliodor.lib.4.*

VITA *longa.*

Non immeritò longa vita ſeruantur qui pietatis officia non relinquunt. *Caßiod.lib.2.cap.14.*

VITA *principis.*

Vita principis cenſura eſt, eáque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt quàm exemplo. Quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in ſe boni habent, quod approbant quæ præcipiunt fieri poſſe. *Plinius, Panegyr.*

VITIA.

Nihil prodeſt foris eſſe ſtrenuũ, ſi domi malè viuitur. *Valer.Max. lib.2.cap.9.*

VOCATIONES.

In paruis enim diſcitur, cui potiora præſtentur. *Caßiod. libr.7.epiſt.23.*

VOLVPTATES.

Neque ſocordia neque voluptatibus diſtrahetur Rex qui magno regno imperans & varia negotiorum multitudine detentus ad non aliud mentẽ conuertit. *Ariſt in quæ.*

VOLVPTATVM *vis.*

Bello facile, quieti & otio per voluptates aſſueſcunt. *Tac in Agric.*

Voluptatibus Romani plus aduſubiectos quàm armis valuerunt. *Idem, hiſt.4.*

VOLVNTAS *Dei.*

Numinis voluntati & nutui reſiſtere nefas eſt. *Heliodor.lib.10.*

VVLGI *ingenium.*

Omni populo ineſt malignũquid dam & querulum in imperantes. *Plutarch.in Polit.*

Mul-

Multitudo vulgi, more magis quàm iudicio, poſt alius alium quaſi prudentiorem ſequuntur. *Salluſt. ad Cæſar.*

Vulgus ingenio mobili, ſeditioſum, atq; diſcordioſum, cupidum nouarum rerum, quieti & otio aduerſum. *Idem in Iugurth.*

In circulis omnibus, atq; etiam in conuiuiis, ſunt qui exercitum ducunt, vbi caſtra locanda ſint, ſciunt: quæ loca præſidiis occupanda: quando cum hoſte manus conſerendæ: quando quieſcendum ſit. *Liuius, lib.* 44.

Eſt mutabile ſubitis, & tam pronum in miſericordiam, quàm immodicum ſæuitia fuerat. *Tacit. hiſt. lib.* 1.

Plebi non iudicium, non veritas. *ibid.*

Ægris oculis alienam felicitatem intuetur. *lib.* 2. *hiſt.*

Municipale vulgus pronum ad ſuſpiciones. *Eod. lib.*

Quoquomodo audita pro compertis habet. *Idem, Annal. lib.* 3.

Manifeſtum eſt principum diſciplinam capere etiam vulgus. *Plinius, Panegyr.*

Quum Vaſtius Mediolani fortiſſimæ legionis meritum deploraret, Inſubres ipſi tacitè lætabantur, diuique Donati nomen, frequentatis paſſim altaribus impenſè percolebant, cuius numen ritè factas à populis immaniter direptis in Hiſpanos execrationes nequaquam inanes eſſe voluiſſet, poſtquam ipſo die annuo, eius memoriæ dicato, ad ſeptimum Idus Auguſti, rapaces homines maleficiorum pœnas dare coegiſſet, & id aliquanto cumulatius, quàm non planè decumatis Siciliensium Hiſpanorum cohortibus accidiſſet. Admonebantur autem noſtri principes attenuatis opibus infirmi vt magis & magis cogendo auro vacarent, quod vel cum incomparabili ſubiectorum eorum imperiis populorum iniuria acerbitatéque diligentiſſimè faciebant, honeſtam ſacri belli ſuſcipiendi cauſam præferentes, vaniſſima tamen, & ſemper vſurpata ratione, poſtquam priuato potius cõmodo cupiditatiq; quàm publico decori publicæque ſaluti ſtudere conſueuiſſent. *P. Iouius hiſt. lib.* 37.

Vultus.

Proditur animi natura per vultum, & ſeueritate corporis nubila quoque mentis abſtergit. *Caſſiod. li.* 3. *epiſt.* 6.

VVLTVS
alacritas.

Vultum alacrem impauidúmq; militibus oſtentare, proſperos rerum ſucceſſus & naturam de hoſte victoriam deiectis etiam militum animis pollicetur. *P. Iouius hiſtor. libr.* 14.

ZELOTYPIA.

Mulieribus innatus morbus, Zelotypia. *Heliodor. lib.* 7.

FINIS.

TITVLORVM Siue LOCORVM COMMVNIVM INDEX.

Numerus paginam, in qua ſæpius varij tituli occurrunt, indicat.

A

ABSOLVTIO. pag. 1.
Acclamationes.
Accuſatio.
Aciem *inſtruere.*
Acies *rupta.*
Acquiſitio *rerum.*
Acta.
Actiones
ciuiles qua ratione fiunt illuſtres.
honeſtæ. 2.
virtutis.
Adminiſtratio *publica.*
rerum conſtantiam requirit.
iuuenum.
Admonitio.
Adoleſcentes.
Adoptio *principum.*
filij.
Aduerſa.
Aduerſarij 3.
Aduerſitas.
Aduerſitatum *vſus.*
Adulatio.
Adulationes. 4.
Adulator *aulicus.*
Adulatores
hiſtorici.
Ædificia *publica.* 5.
Æmulatio.
Æqualitas.
Æquanimitas. 6.
Æquitas.
Affectus.
Affectuum *prauorum vis.*
Affinitates.
Afflictiones *quomodo conſideran-dæ.* 7.
priuatè, graues.
harum mitigatio.
vſus.
Agmen.
Agricultura.
Alacritas. 8.
Ambitio.
Ambitioſi. 9.
auræ popularis captatores. 10.
Amici. 11.
certi. 12.
incerti.
principum.
tyrannorum.
Amicorum *beneficentia.*

Amici-

Amicitia.
conſtans. 13.
principis.
etiam abſens deſideratur.
inter principes.
Amicitiæ *comparandæ rationes,*
confuſio.
regum. 14.
Amicus.
inimicus.
Amor.
cognatorum.
impurus.
liberorum.
noſtri. 15.
Animi *humani conflictus, corporeis incommodis longè grauiores.*
immortalitas.
magnitudo. 16.
moderatio.
nobilitas vera.
pabulum.
peruicacia.
præſtantia. 17.
robur.
viſa nocturna.
voluptas.
Annales.
Annonæ *caritas.* 18.
Anxietas.
Apoſtaſia.
Apoſtata.
Aqua.
Arcana.
tacenda.
Ariſtocratiæ *amor quid efficiat.*
Arma. 19.
iniuſta.
iuſta fauorem Dei obtinent.
qualia eſſe conueniat.
Armorum *ornamenta vtilia.*
ſplendor.
vis.
Arrogantes.
Arrogantia. 20.
bellica.
Artis *bellicæ præſtantia.*
Ars *oratoria.*
præſtantiſſima. 21.
Artes.
aulica.
liberales.
Artium *& ſenſuum comparatio.*
Artifices.
Artificia *humana.*
Aſſiduitas.
Aſſentatio. 22.
Auari.
Auarum *ingenium.*
Auaritia.
Auaritiæ *procul arcendæ ratio.* 23.
exſecratio.
Audaces *Deus iuuat.* 24.
Audacia *in prælio.*
impia.
Auditio. 25.
Aulici.
Aulicus *callidus.* 26.
Aures.
Auxiliatores.
Auxilium.
Dei.

B.

Barbari.
Barbarus. 27.
Beatus.
Bella.
ciuilia. 28.
Bellorum *ciuilium origo & progreſſus.* 29.
cauſa.
finis.
ſemen & initium.
Bella *externa.* 30.
iniuſta.
Bellorum *cauſa.*
conditio.
deteſtatio

diſcrimina.
finis 31.
fulcra.
miſeria.
ſucceſſus.
Bellatores.
optimi. 32.
Bellum. 33.
aduerſus Turcas. 35.
bella gignit.
difficile.
dulce inexpertis.
iniuſtum.
non facilè deponitur.
periculoſum.
inter potentes principes. 36.
quando neceſſarium.
quomodo gerendum.
ſeruile.
turpiſſimum.
Belli *alea dubia.*
deteſtatio. 37.
duces.
dux.
effectus in mente hom.
euentus.
finis.
gerendi quædam rationes prolixius deſcriptæ. 38.
initia. 39.
iniuſtitia.
iura & leges.
miſeria ſumma. 40.
nerui.
artes pacis artibus oppoſitæ.
præmia.
ratio.
viciſſitudines.
Beneficentia.
Benefici.
Beneficia.
ingrata. 41.
Beneficiorum *amor.*
Beneficium.
Dei.
Beneuolentia.
principis.
quibus artibus captanda. 42.
Benignitas.
Blanditiæ.
Bona.
animi.
caduca. 43.
vera.
Bonitas *ſeuera.*
Boni *ſemper beati.*
Bonorum *amiſſio.*
Bonum *publicum.*
Breuitas.

C.

CÆdes *ciuium.*
Calamitas.
Calamitates.
domeſticæ vt ferendæ. 44.
Calamitatum *ingentium effectus.*
ſenſus & recordatio.
Calamitoſi. 45.
Calones.
Calumnia.
Calumniæ *modeſtos & prudentes non decent.* 46.
delationes, ſuſpiciones in aulis principum.
Calumniatores.
Candor.
Captiui.
Caſtitas. 47.
Caſtra.
Caſtrametatio.
Caſus.
Caſuum *ſimilitudines.*
Cauſa.
Cauſæ *æquitas.*
rerum.
inueſtigandæ.
quomodo à rerum principiis differant.

Cele-

Celeritas.
Cenſura. 49.
Certitudo *rerum.*
Ciues.
optimi.
Ciuis *bonus.*
inutilis.
malus.
Ciuitas.
diſcors.
infelix.
qua ratione potens euadat. 50.
Ciuitates.
quo pacto ſub iugum venire ſoleant.
libera.
Ciuitatum *amplitudo.*
miſeria.
potentia.
Cladis *fama.*
Claſſes *bellica.* 51.
Clementia.
principis.
Cogitationes. 52.
Cognatio.
Collegæ *ad lectio.*
Colloquutiones.
Comitas. 53.
Commeatus.
Commoda. 54.
Conatus.
Concordia.
diſcors. 55.
hominibus exoſa.
militum.
publica.
rerumpublicarum.
Concupiſcentia.
vana.
Condimenta.
Coniugia *imparia.*
Coniugij *incommoda.*
Coniugum *diſcordia.*
Coniuratio. 56.
Conſcientia.
mala.
Conſcientiæ *cura.*
Conſeruatio *dominij acquiſiti difficilis.*
Conſilia.
bellica. 57.
bona.
Dei. 58.
humana.
infelicia
principum.
publica.
turbida. 59.
Conſiliarij.
aulici.
inconſulti.
principum.
prudentes.
Conſiliarius *optimus.*
improbus. 60.
prudens.
Conſilium.
Dei.
prauum. 61.
rectum.
Conſolatio.
Conſpirationes.
vulgi.
Conſtantia.
Conſuetudo. 63.
Conſuetudinis *& veritatis diſcrimen.*
Conſultatio.
Conſultationes. 64.
bellica.
Contentio.
Contentiones *pueriles.*
in republ. an vtiles.
Continentia. 65.
Contradictio.
Controuerſia.
Contumacia.
Contumeliæ.
Conuentiones.
Conuerſatio *periculoſiſſ.*

Conuicia. 66.
Conuiuium.
Copiæ.
Corpora *mollia.*
Corpus.
Corruptio *iudiciorum.*
Credulitas.
Crimen.
Criminationes.
falſæ.
Criminationum *effectus.*
Crudelis.
Crudelitas.
principem dedecet.
Cultus.
Cunctatio. 68.
Cupiditas.
dominandi.
Cupiditates. 69.
Cura. 70.
Curæ.
Curioſi.
Curioſitas.
vitanda.
Curioſitatis *limites.*
Cuſtodia *principis.*

D.

DEceptio. 71.
Decretum *Dei.*
Decus.
Deditio.
Defectionis *dehortatio.*
Defenſio. 72.
importuna.
iuſta.
Deformitas.
Delationes.
Delatores.
aulici.
Deliberationes. 73.
Delicta.
Delictum *ex errore.* 74.
Delinquere.
Dementes.
Dementia.
malitioſa.
Democratia.
Democratiæ *cenſura.* 75.
incommoda in bello. 77.
peſtes.
Deſideria *vana.* 78
Deſidia.
publica.
Detractio.
Detrimentum.
Deſperatio.
Deus.
ἀπροσωπολήπτης. 79.
auxiliator.
benignus.
clemens.
immutabilis.
iudex ſeditioſorum.
mundi iudex.
iuſtus iudex.
iuſtus.
miſericors. 81.
omnipotens.
omniſcius.
præſens.
regnorum cuſtos.
ſapiens.
vindex. 82.
viuus.
Diffidentes.
Dignitas.
Diligentia.
Diſciplina. 83.
militaris antiquata. 84.
Diſciplinæ *militaris.*
vtilitas.
Diſcordia. 85.
inter duces.
Diſcordiæ.
ciuiles.
inter principes.

Diſ-

Diſſenſio.
Diſſenſiones in Eccleſia.
publicæ.
Diſſentientes. 86.
Diſſidia.
Diuinatores.
Dites.
Diuites.
auari infelices. 87.
Diuitiæ.
ſine prudentia inutiles. 88.
Diuitiarum *abuſus,* 89.
contemptus,
mancipia,
ornamenta.
oſtentatio.
Diuitiæ *principum.*
Docti *non irritandi.*
Doctrina.
ſine rerum vſu,res nihili.
Doctrinæ *ſanæ ſtudium & amor.* 90
Dolor.
Dolores.
Domeſticorum *cædes,*
Dominatio.
Dominationis cupido,
Dubia. 91.
Duces *belli.*
à quibus admonendi.
callidi.
imprudentes. 92
liberales & humani.
pertinaces & inuidi.
ſapientes.
Ducum *in bellis interitus.*
Dux *belli.*
ſuorum militum nomina tenere debet. 93
Ducis *exemplum.*
labores,& militis,diuerſi. 94.
laus.
præcipuum opus.
miſeria.
mors.
Dux *bonus,*
cautus eſſe debet.
cunctator. 95.
egregius.
felix.
fortis.
patiens laborum.
Ducis *præclari officium.*
Dux *prudens.*
Ducis *prudentis officium.* 97.
ſapiens. 98.
Dux *animi impotens.* 99.
à ſuis exagitatus.
ignauus.
imprudens.
inutilis. 100.

E.

EBrietas.
Eccleſia.
Eclipſes *ſolis.*
Educatio. 101.
Effectus.
cauſis ſublatis non ſemper à Deo remouentur.
Egeſtas.
Eloquentia.
Eloquentiæ *vis.*
diſcrimen à loquentia. 102.
Errata *domeſtica.*
Error.
Eruditio.
Eruptiones.
Euentus.
bellorum fallaces.
rerum.
rerum,quomodo conſiderandi. 103
Exactiones.
Exempla.
mala.
vitiorum.
Exemplorum *vſus.* 104
Exercitatio.
Exercitus.
cladis proximus.

cui committendus.
eiuſdem confirmatio & conſeruatio. 105.
deliciis frangitur.
ex variis pop. conflatus. 106.
fortiſſimus.
ignauus.
impius.
infelix.
Exercitus *incommoda.*
Laus.
Exercitus *in hoſtilem agrum ducendus.*
modum requirit.
nimium validus.
ocioſus.
Exercitus *officium.*
temere collectus.
cur deleti.
inuicti.
Exercituum *diſſipatio.*
Exhortatio *vana.*
Exhortationum *efficacia.*
Exilium.
Exiſtimatio.
Exitus *rerum.* 109
Expeditio *bellica.*
Experientia.
Exploratio.
Explorator. 110.
Exules.

F.

Fabulæ.
Facetiæ.
Facta.
verbis longè præſtant.
Factiones.
Facultatum *conſeruatio.* 111.
Facundia.
Facundiæ *vſus & abuſus.*
Fama.
Famæ *bonæ neglectus.* 112.
Fames.
Familia.
Familiæ *cura & adminiſtratio.*
diſciplina. 113.
Familiaritas.
Fata. 114.
Fatum.
ethnicorum.
Felicitas. 115.
Femina *leuis.* 116.
vino dedita.
Fenus.
Feroces.
Feſtinatio.
vtilis.
Fides.
quomodo & quatenus hoſti adhibenda. 117.
Fiducia.
nimia.
Filij *heroum noxæ.*
Principum.
regum. 118.
Finis.
rerum perfectio.
Flagitia.
Fletus.
Fœdera.
principum.
Fœderati.
Fœderatorum *error.* 119.
gradus & officium.
Fœderum *firmitas.*
lex.
violatores.
Fortes *viri deſcripti.*
Fortitudo. 120.
Fortuna. 121.
Fragilitas. 124.
Fratrum *concordia.*
Fraudes *vitandæ.*
Fraudis *qui ſecuri.*
Fraus.
Fraudulenti.
Frugalitas.
Fuga.
Fugæ *pictura.* 125.

tepr ſtio

Fugæ *pictura*. 125.
repreſſio.
Fugaces *& victi*.
Fures.
Furiæ.
Futura. 126
cautè proſpicenda.
incerta.
Futurorum *conſideratio*.
contemplatio.
ignoratio.

G.

GAudia.
Gaudium.
ineptum. 127.
Generoſi.
Generoſitas.
Generoſus.
Genus.
Gloria.
Gloriæ *amor reges præcipuè decet*. 128.
cupiditas.
Gloria *falſa*.
principum.
Gloriæ *vis*. 129.
appetitus & neglectus.
ſtudium & conſeruatio.
vana affectatio.
Gratia.
Gratitudo.
Grauitas. 130.
Gubernatio *moderata*.
Gubernatores *reipublicæ*.

H.

HAbere.
Habitus.
Hæretici *& ſchiſmatici*.
Heroes.
Hilaritas.
Hiſtoria. 131.
Hiſtoriæ *ſcribendæ ratio* 132.
antiquioris cenſura.
lectio difficilis.
cum philoſophia ciuili.
coniunctio.
prima lex, veritas.
proprium. 133.
vniuerſalis & particularis vtilitas, neceſſitas, præſtantia.
Sacræ & ſecularis commendatio. 134.
noſtri temporis præſtantia contemptus, neceſſitas, vtilitas, vſus. 135.
Hiſtoriæ *omnium ſeculorum neceſſitas & præſtantia*. 136
Hiſtoriarum *regula & defectus*. 138.
præſtantia. 139
Hiſtorici.
antiquiores, quales. 140.
felices, qui.
parum probati.
inepti & falſi.
Pſeudohiſtorici. 141.
imperiti. 142.
malæ fidei.
Hiſtoricus. 143.
Hiſtorici *munus*.
prudentia.
diſcrimen & poetæ.
Homicidium. 144.
Homines.
Hominum *amiſſio*.
conſuetudo periculoſa.
imbecillitas.
ingenium.
miſeria. 145.
vecordia.
Homo.
animal ſtolidiſſimum. 146.
nullus perfectus.
qua ratione domatur.
Hominis *ingenium*.
Honeſtas.
Honeſtum.

Honor. 147.
Honoris *in iuuenes collati effectus varius.*
Honores.
aliis collati.
principibus delati.
mutant mores.
Hoſpes.
Hoſtes.
contemnendi, qui. 148.
non contemnendi.
debellati, quomodo tractandi.
cautè aggrediendi.
Hoſtes *damno afficere.*
decipere.
qui formidabiles. 149.
fugientes, num perſequendi.
imperitè bellum gerentes deſcripti.
Hoſtis. 150.
contemptus.
non contemnendus.
fugiens. 151.
profligatus.
Humanitas.
Humilitas.
Hypocriſis.
Hypocritæ.

I.

IActantia. 152.
Iactura.
Ignauia.
Ignauiæ *cenſura*
Ignaui *in exercitu non ferendi.* 153.
Ignauorum *ingenium.*
ceremoniæ. 154.
Ignominia.
Ignorantia.
Ignorantiæ *& induſtriæ diſcrimen.*
Illuſtres *viri*
Inuidia. 155.
Inuidi. 156.
Imago *pulcherrima.*
Imbecilla.
Imbecillitas *humana.*
Imbelles. 157.
Immanitas.
Immortalitas.
animæ humanæ.
Impatientia. 158.
Imitatio *praua.*
Imperator.
Imperatores. 159.
Imperia.
Imperiorum *mutationes.*
Imperium. 160.
Imperiti. 161.
Impetus.
bellici.
Impij.
Impiorum *cæcitas.*
peruicacia ſub cruce. 162.
Impius.
Improbi.
Improbitas.
Improborum *aſtutia.* 163.
ingenium.
Improbus.
Imprudentia.
Impunitas. 264.
Inæqualitas *inter homines.*
Inceſſus *militaris.*
Inclinationes *rerum.*
Incommoda.
Inconſtantia.
hominum.
rerum humanarum.
Incredulitas. 165.
Induciæ *principum.* 166.
Induſtria.
Infamia.
Infelices.
Infelicitas.
Infidus.
Infirmitas *humana.*
Ingenia.
militaria.
Ingenium *humanum.* 167.
Ingluuies.

Ingrati. 168.
Ingratitudo.
Ingratus.
Inimici.
Inimicitia.
Inimicitiæ. 169.
Inimicitiarum *vis.*
Inimicus *quomodo depellendus.*
Iniquitas.
Initia *bellorum.*
Iniuria.
Iniuriæ, 170.
Iniuſti.
Iniuſtitia.
Innocens. 171.
Innocentes *calumniis expoſiti.*
Innocentia.
Inopia.
Inops.
Inſania.
Inſcitia.
Inſidiæ.
Inſidiatores 172.
Inſolentia.
Internuntij.
Ira.
Dei iniuſtos bellatores. 173.
Iræ *inter neceſſarios eff. ectus.*
mitigatio.
Iracundi. 174.
Iracundus.
Irati.
Irritatio.
Itinerum *in bellis conſideratio.* 175.
Iudex. 177.
Iudiciorum *rectaratio.*
Iudicium.
Dei.
humanum.
periculoſum.
prauum.
Iura *venalia.*
Ius.
belli. 178.
gentium.
Iuris *diiudicatio.*
Iuſiurandum.
Iudæi.
Iudex *incorruptus.*
Iudices *violenti.*
Iudicia. 179.
Dei.
inſcrutabilia.
inepta contemnenda.
Iudiciorum *Dei certitudo.*
Iudicium. 180.
Dei in impios.
de hiſtoricis.
humanum.
iniquum.
Iuſtitia.
Dei. 181.
Iuſtitiæ *amor.* 182.
dignitas.
executio.
Iuuenes. 183.
Iuuenis *ambitioſus.*
Iuuentus.
Iuſtitia *omnium virtutum maxima.*
virtus planè regia, & regibus imprimis neceſſaria.

L.

Labor. 185.
Lacrimæ. 186.
Lætitia.
de alienis malis.
maxima.
Lamentationes.
Latrones. 187.
Laudare, *difficile.*
Laudes.
Laus.
illuſtris.
propria.
viri & mulieris.
Lectio *quomodo inſtituenda.*
Lectionis *& auditionis repetitio vtilis.*

liſſima.
Lectores *hiſtoriarum*, &c. 188.
Lectoris *officium.*
Legati.
imprudentes. 189.
Legationum *commoda & incommoda.*
Leges. 190.
Legum *obſeruatio perquam neceſſaria.*
conſideratio. 191.
Legiſlator *mirus.* 192.
Lenitas.
Leuitas *animi.*
Lex.
naturæ.
Liberalitas.
Liberi. 193.
Libertas.
Liberti. 194.
Libri.
Licentia. 195.
Literæ.
Literarum *vtilitas commendatio & vſus.*
Lites. 196.
Loca.
Locorum *ad ſpectus.*
nomina in bellis per quàm neceſſaria.
Locus. 197.
in acie.
Longinqua.
Loquaces.
Loquacitas.
Lucrum.
Luxuria.
Luxurioſi.
Luxus.
muliebris. 198.

M.

Magia.
Magiſtratus,
honorandus. 199.
Magiſtratus *officium.*
Magiſtratus *iuuenes & imprudentes.*
prudentes.
quando & cur malè audiant.
Magnates. 200.
Magnanimitas.
Magnanimi *viri.*
Magnanimus.
Magnitudo *animi.*
in bello perquam neceſſaria.
Magnitudo *regum* 201
Maieſtas.
regia.
Mala.
bonis in bonum cedunt.
inopinata, grauiora. 202.
publica.
Malorum *publicorum finis.*
Maledicentia *in mortuos.*
Malefici.
Maleuolentia.
Mali.
Malignitas.
Malitia.
deſperata.
Malum. 203.
imminens.
Manſueti.
Manſuetudo.
peruicacia potior.
Mare.
Mathematici.
Maximus *omnium, quis.*
Mediocritas.
Memoria.
rerum. 204.
Mendaces.
Mendacium.
Menſa.
Mens *bona.*
Mentis *humanæ cæcitas.*
præſtantia.
Mercatura,

Merces. 205.
Meretrices.
Merita.
Metus.
Migrationes *gentium.* 206.
Miles.
algens. 207.
armatus.
exercitatus & indoctus.
fidelis & ſtrenuus.
ignauus.
malus.
morbo afflictus.
optimus.
otioſus.
temerarius.
Milites.
auari. 208.
audaces.
quid cogitare debeant.
defectores. 209.
diuites.
famis impatientiſſimi.
eruditi.
fortes & ignaui. 210.
inſolentiſſimi omnium.
inuicti qua ratione redduntur.
nudi.
obedientes & ſtrenui. 211.
otioſi. 212.
proprij & mercenarij.
quales deligendi.
ſtrenui.
temerarij.
veterani.
Militum *corruptio.*
exercitia. 213.
fides.
fortitudo varia.
ingenium.
libido refrenanda.
officium.
priuilegium.
ſtrenuorum merces.
Militia.
antiqua chriſtianorum.
religioſa. 214.
Miracula.
falſa.
Miſer.
Miſeratio.
Miſeri. 215.
Miſeria.
aliena quid nos deceat.
Miſeriæ.
Miſericordia.
Dei.
in captiuos hoſtes exercenda.
Mora. 216.
Moderatio.
in diſputationibus ſeruanda. 217.
Modeſtia.
Modus.
optimus. 218.
Mœſta.
Mollities.
nouiſſimi ſeculi.
Monarchia.
Monarchiæ *cupiditas.*
Morum *corruptio.*
mutatio. 219.
efficacia.
Mores *hominum.*
praui.
principis.
publici.
huius ſeculi.
Mori *pro patria honeſtum.* 220.
Mors.
bonorum virorum.
generoſa.
hoſtium quo affectu audienda.
ineuitabilis.
principum.
proximorum.
Mortalitas. 221.
Mortis *contemptus.*
Mortui.
laudandi.
carent inuidia.

Muliebris *ſexus*.
Mulier.
Mulieris *iratæ ingenium*. 223.
vino dedita.
Mulieres *malæ*.
Mulierum *ornatus*.
Multitudo.
Munera.
licita & illicita.
Munimenta.
urbium.
Munus *publicum*. 224.
Muſices *vſus*.
Mutatio.
caſtrorum.
Mutationes *vitæ*. 225.
rerum.
in bellis.

N.

NAtura.
hominum. 226.
artem ſuperat.
bona.
in melius mutata.
Naturæ *praua cupiditas*.
Naufragium.
Nautæ.
Nautica.
Neceſſitas.
Negligentia. 227.
Negotia.
Nequitia.
Neutrales.
Nobiles.
nomine tenus. 228.
Nobilium *decus*.
Nobilium *& ignobilium diſcrimen*.
leuiſſima vitia obſeruantur.
Nobilitas.
Nocumenta, *documenta*. 229.
Nomen.
regium.
Nomina.
rerum ac locorum. 230.
Nouitatis *ſtudium*.
Nox.
Numen.
Numerus.

O.

OBedientia.
Obliuio.
Obſidio.
quando & cur ſoluenda. 231.
Obtrectatio.
Occaſio. 232.
Occaſiones. 233.
Occulta.
Occupationum *vtilitas*.
Ochlocratia.
Oculi. 234.
Odia.
Odium.
in tyrannos.
Offenſiones.
Officia *in commune conferenda*.
Officium. 235.
Oligarchia.
Omina.
Opera.
bellica perficienda.
bonorum prim ipum.
præclara, laude digna.
Opes.
Opinio.
Opportunitas.
Optata.
Oppugnatio. 236.
murorum.
vrbium.
Oppugnationes *doloſæ vrbium*.
Oracula.
Oratio. 237.
Orationis *præmeditatio*. 238.
Oratores.

Orbis

Orbis *terrarum.*
Orbitas.
Ordo.
equeſtris.
Orphani.
Otium.
Otioſi.

P.

PÆdagogus.
Pagani.
Patientia.
Dei. 241.
Parricidæ.
Parricidia *regum.*
Parricidium.
Patri.
illuſtri & obſcura quid conferat. 242.
Patriæ *amantes.*
amor.
conſeruandæ ſtudium. 243.
defenſio.
hoſtes.
proditio.
Pauidi.
Pauor.
Pauperes.
Paupertas. 244.
Paupertatis *conſideratio.*
Pax. 245.
quatenus & quomodo appetenda. 247.
qua ratione tuta & firma redditur. 248.
ficta.
à quibus ſoluatur.
petentibus concedenda.
Pacis *amor.*
confirmatio.
commendatio.
commoda. 249.
deſiderium.
tractatio.
Peccatum.
in quibus minus excuſabile.
Pecunia. 250.
Pecuniæ *amor.*
contemtus.
vis.
Perduelles *impij.*
Perduellium *mens.*
Peregrini. 251.
Perfidia.
Perfidi.
Perfidus.
Pericula.
quomodo vitantur. 252
ingentia quid efficiant.
reipublicæ.
Periculi *nimia apprehenſio.*
Periculum.
Periti *imperitis.*
præſtantiores. 253.
Periuria.
Periurium.
Periurus.
Perſeuerantia.
Perſona. 254.
Perſuaſio *ſuperuacua.*
Perturbatio *mentis.*
Peruicacia *hominum.*
Philoſophi.
nomine tenus.
veri.
Philoſophia.
Philoſophiæ *arcana impuris non communicanda.*
Pietas. 255
in parentes.
propter liberos non violanda.
Pietatis *amor.*
Piorum *& impiorum in morte diſcrimen.*
Plebs. 256.
Pœna.
Pœnæ.
Pœnitentia.

Populi *migrando degenerant.*
Populorum natura. 257.
Populus,
Populi aſſenſus. 259.
ingenium.
Poſſeſſio.
Potentia.
Poteſtas *impatiens conſortis.*
mores immutat. 260.
Præcepta *ſancta.*
Præda.
Prædatores. 261.
Prælia.
Prælium.
nocturnum.
non leuiter committendum. 262.
quando committendum.
Prælij *variæ rationes obſeruandæ.* 263.&c.
Præmia. 269.
Præſagia.
Præſentia *faſtidium pariunt.*
Præſidiarij *fugati.* 270.
Præſidium *vrbium.*
Præſtantia *principis.*
Præterita.
Prauorum *conſortium vitandum.*
mos.
Preces. 271.
Princeps.
beneficus. 272.
benignus. 273.
bonus.
clemens. 274.
electus. 275.
eruditus.
exactor.
externus.
facilis. 276
felix.
ignauus.
inops.
iniuſtus.
iuſtus.
magnanimus. 277.
malus.
munificus.
optimus.
prudens.
ſapiens.
ſtultus. 278.
tutus.
vigilans.
Principatus.
egregius. 279.
immenſus coercendus.
Principatus *nerui.*
retinendi ſtudium.
tutela & conſeruatio.
vincula firmiſſima. 280.
Principatuum *conſeruatio.*
Principis *aures & oculi.* 281.
maieſtas.
mores.
munus.
officium.
præſtantia. 282.
Principes.
ambitioſi. 283.
aſtuti.
benigni.
boni.
clementes.
crudeles. 284.
ignaui & ineruditi.
illaudati. 285.
imprudentes.
iuſti. 286.
iuuenes.
liberales. 287.
mali.
miſeri. 289.
profuſi. 291.
prudentes.
reipub. hoſtes. 292.
ſapientes.
ſtolidi.
ſuperbi.
ſuſpicaces.
voluptuoſi.

Princi-

Principum *aulæ.*
autoritas certis limitibus coercita. 293.
Principum *coniugia.* 294.
conſilia.
contemptus.
incuria.
mores.
ornamentum.
regula.
ſerui. 295.
Principia *rerum ad finem deducenda.*
Priuati *publica imitantur.*
Probra.
Procraſtinatio.
Prodigia.
Proditio. 296.
Proditor.
Proditores.
Progreſſus *in bello periculoſi, quales.*
Promiſſa. 297.
Pronuntiatio.
Proſperitas.
res periculoſa. 298.
ſtultorum animos corrumpit.
Proſperitatis *rectus vſus.*
humanæ vanitas.
Protectio *diuina.* 299.
Prouidentia *Dei.*
humana. 303.
Prouocatio *ad bellum.*
Prudens.
Prudentes.
Prudentia.
bellica. 305.
principis. 306.
Prudentiæ *humanæ imbecillitas.* 307.
Pſeudo *hiſtorici.*
Pudicitia.
Pudor.
Pugna. 308.
Pugnæ *nauales.*
Pugnaces. 309.
Punitio *iuſta.*
Punitiones *publicæ.*
Puſillanimes.
Puſillanimitas.

Q.

Quæſtiones *curioſæ.* 310.
Quæſtus *maximus.*
priuatus.
ſordidus.
Querela.
Quies *grata.*

R.

Rabulæ *forenſes.*
depicti ad viuum. 311.
Raptus. 313.
Ratio.
Rebellio.
Recordatio.
malorum.
Refutatio, *quomodo applicanda.*
Reges.
quomodo conueniendi. 315.
cur creati.
Regum *& principum incommoda, pericula, & variæ moleſtiæ, prolixius deſcriptæ.* 316. 317. &c. *ad* 328.
Regum *ingenium.* 328.
Regio.
Regna.
quomodo conſeruantur.
Regnorum *mutationes à Deo.* 329.
Regnum.
Regni *cupido.*
præſidia.
Religio.
Remedia *applicanda malis.* 330.
Repetitio.

Reprehenſiones.
Reprehenſores. 331.
Repulſa.
Res *humana.*
maxima
Rerum *occultæ & miræ proprietates.*
Reſpublica.
bene inſtituta. 332.
felix.
priuatorum commodis præferenda. 333
inuicta.
Reipublicæ *clades.*
cura habenda.
dignitas.
fulcra.
labes. 334.
principia.
Reipublicæ *quo animo ſeruiendum.*
Reſpublicæ. 335.
ambitioſæ.
felices.
Rerumpub. *euerſio.*
unde rerumpub. olim florentium inclinationes & euerſiones.
Rerumpub. *reuolutio, & prolixa conſideratio.* 336. &c.
Retroceſſio *prudens.* 341.
Rex.
bellicoſus.
clemens.
verus.
Regis *decus.* 342.
officium.
nobiliſſimi, paciſque ac belli artibus glorioſiſſimi deſcriptio, ſequentibus 39 capitulis incluſa.
1. Regis nobiliſſimi natales.
2. bellum adu. exteros ſuſcipit neceſſariò.
3. alacriter ſe ad expeditionem accingit.
4. Militem conſcribit, & commeatu curat.
5. Stratagemate veteranum hoſtem eludit.
6. Amicos ſine reipubl. detrimento locupletat.
7. Multos ſibi parat prudenter amicos. 343.
8. Manſuetudine aduerſarios ad partes ſuas deducit.
9. Captiuos clementer curat.
10. Ciuitates captas, item.
11. Copias equeſtres quomodo ad bellum inſtruit.
12. Præmia militibus proponit.
13. Militem quibus argumentis ad ſtrenuè agendum incitat. 344.
14. Occaſionem pugnandi ſine cunctatione arripit.
15. Hoſtilem regionem vaſtat & aduerſarios prouocat ad certamen.
16. Amicorum fines intactos ſeruat.
17. Regni ſui incolumitatem cæteris rebus præfert.
18. Concordiam inter ciuitates diſſidentes procurat. 345
19. Exercitum è longinqua regione ſuperatis quibuſcunque impedimentis, incolumem reducit.
20. Incunctanter manum conſerit cum hoſtibus incurrentibus.
21. Quomodo ſuos ad certamen accendit. 346.
22. Magnanimus apparet in prælio.
23. Clemens in hoſtes victos.
virtutes eiuſdem.
24. Religioſa Pietas.
25. Iuſtitia. 347
26. Temperantia.
27. Tolerantia. 348
28. Continentia.
29. Fortitudo.

30. Sapientia. 349
31. Amor erga patriam.
32. Comitas & morum affabilitas. 350.
33. Magnificentia. 351.
34. Prouidentia & frugalitas.
35. Sapientis & ſtulti Regis comparatio. 352
36. Euanidæ gloriæ contemptus.
37. Virtus vnicum Regis ornamentum. 353.
38. Rex felix.
39. Virtutum regiarum compendioſa repetitio. 353.354.&c.
Rigor. 355.
Robur *corporis.*
Rumores.
Ruſtici.

S.

SAcrilegi. 356.
Sæuitia.
quibus familiaris.
in liberos homines non exercenda.
Sæuitiæ *caſtigatio.*
Salutis *cura.*
Sapiens.
Sapientes.
Sapientia. 357.
Sapientiæ *humanæ vanitas.*
Sapientiæ *vis.* 358.
Satellites *principum.*
Satietas.
Scelera.
cur manifeſtanda.
Scelerati.
Sceleſtus. 359.
Scelus.
Scientia.
Securitas.
ignaua.
Seditio.
militaris.
Seditionis *origo & effectus.* 360.
Seditio *repreſſa.*
Seditiones.
caſtrenſes quomodo coercendæ. 361.
Seditionum *& ſeditioſorum in ciuitatibus ciuili bello agitatis luculenta deſcriptio.* 362.
Seditioſi. 363.
Seditioſorum *anarchia.*
horrendus exitus.
ingenium.
ſucceſſus.
Senectus.
Senes *iuuenum aduerſarij.* 364.
Senex.
Senum *conſilia.*
Senſus.
Senſus *malorum.*
Sepulchrum *illuſtrium virorum.*
Sepultura.
Sermo.
hominum conſtantiam & inconſtantiam. 365.
Seruitus.
Serui.
Seruorum *cura.* 366.
Seruus.
Seueritas *nimia improbata.*
Signorum *militarium ratio habenda.*
Silentium.
Simplicitas. 367.
Simulatio.
Societas *ciuilis.*
Sociorum *in bello officium.*
Socius.
Socordia.
Solertia.
Solitudo. 368.
Somnia.
Somnus.
Sophiſtæ.
Spes. 369.
aliorum non fallenda. 370.
certa in bello, quæ.
humana, vana.
Sperandum *bene, apud quos.*

Spiritus.
Stipendia.
Stoici.
Stratagemata.
Strenui. 371.
Strenuitas.
Studia.
hominum.
inutilia.
literarum.
Studiorum *fructus & ſcopus.*
Studiũ *rerũ dignarũ & indignarũ.* 372
virtutis. 373.
Stulti.
Stultitia.
Stultus.
Stupidi.
Stupiditas. 374.
Subditi.
principem imitantur.
Subditorum *beneuolentia.*
defectio.
officium.
Subſidia.
Succeſſus *rerum.* 375.
Sumptus *bellici, victoriæ inſtrumenta.*
Superbi.
bellatores deſcripti.
Superbis *Deus reſiſtit.*
Superbia.
in belli ducibus. 376.
Superbus.
Superflua.
Superſtitio.
vitanda. 377.
Supplices *non violandi.*
Supplicia.
Suppliciorum *modus conſtituendus.*
vtilitas. 378
Suſpicio.
Suſpiciones.
Sycophantæ.

T.

Taciturnitas. 379.
Temerarij.
Temeritas.
Temperantia. 380.
Tempus. 381.
Tempora. 382.
Temulentia.
Territi.
Terror.
Theologia.
Theſauri *regum.*
Timidi. 383.
Timiditas.
Timidus.
Timor.
Dei. 384.
Timoris *effectus.*
Tolerantia.
Tormenta *bellica.*
Tranquillitatis *amor.*
Trepidatio.
Tributa.
Triſtitia *ingens.*
Turbatores. 385.
Tutiſſimus *quis.*
Tyranni.
Tyrannis. 386.
popularis. 387.
Tyrannorum *depulſores.*
dignitas momentanea.
Tyrannus.
Tyranni *& regis diſcrimen.* 388.

V.

Vacatio à *Reipub. adminiſtratione.* 388.
Vanitas *vitæ humanæ.* 389.
Vates. 390.
Vectigalia.
Venatio, *belli effigies.*
Venia. 391.
Verba.
Verba *inutilia.*
Verbis *fides adhibita.*
Verecundia.

Veri-

Veritas. 392.
hiſtoriæ lex.
mendaciis præmitur.
neglecta. 393.
abdita.
Veritatis *efficacia.*
Vetuſtas.
Vexatio *dat intellectum.*
Viciſſitudo *rerũ humanarũ.* 394.395.
Victi. 396.
Victores.
Victoria. 397.398.399.
præclara. 400.
vera.
Victoriæ *vſus.*
acquirendæ modus.
ius. 401.
moderatio.
ſpem quæ faciant.
ſtimulus.
vſus rectus.
Victus.
Vigilantia.
principis.
Vincere. 402.
Vinctus.
Vindicta.
diuina.
peſſima.
publica.
Violatio. 403.
Violentia.
Vir.
Vir *bonus.*
Viri *boni authoritas.*
cogitatio. 404.
Vir *egregius.*
verè magnus.
malus.
prudens.
ſapiens.
Vires.
animi & corporis.
militares.
Viri *boni*
magni. 405.
Virorum *illuſtrium.*
ſors.
Virtus.
bellica. 406.
etiam in hoſte probanda.
Virt⁹ *maiorũ generoſæ proli vtilis.* 407.
Virtutes.
primariæ principum.
priuati, & viri principis.
Virtutis *actiones.*
admiratio.
comes inuidia.
Virtutis *& vitij indicia quomodo diſcernuntur.*
Virtutis *præſtantia.* 408.
Vita.
aulica.
contemplans & agens.
æterna.
glorioſa.
humana.
hominis in manu.
Dei. 409.
Vitâ *indignus.*
Vita *longa.*
miſera.
ſuauis & acerba.
tuta & felix.
Vitæ *breuitas.*
malorum & bonorum conditio.
ciuilis & religioſæ, in principe coniunctio. 410.
conſeruatio.
cupiditas.
emendatio.
exitus.
inconſtantia.
miſeria & vanitas.
mutatio. 411.
inſtituendæ recta ratio.
regula.
Vitæ *hominum quomodo deſcribendæ.*
illuſtrium virorum. 412.

Vitia.
Vitiorum *licentia.*
Vitium.
Vltio.
Vocatio. 413.
Voluntas.
Dei.
multorum.
Voluptas.
Voluptates.
Voluptuoſi.
Vota *illicita.*
Votum. 414.
Vrbes.
Vrbium *calamitates vnde.*
Vrbs *deditione recepta.*
primaria.
Vrbis *primariæ expugnatio quanti momenti.*
Vſus *rerum.*
Vtilia. 415.
Vtilitas.
publica.
Vulgi *ingenium.* 415.416.
Vulnera. 417.
Vxor.
honeſta ducenda.
Vxoris *officium.*
Vxores *nobiles.* 418.

TITVLORVM APPENDICIS Index.

ACCVSATIO. 419.
Admonitio.
Aduerſa.
Aduerſitatis *indicium.*
Adulatores *conſiliarij.*
Æmulatio.
Æquitas.
Ærarium.
Affectus.
humanus. 420.
maternus.
Ambitio.
Ambitioſi.
Amici.
Amicitia.
Amicus.
Amor.
erga mulieres. 421.
erga principes.
Animus.
excelſus.
militaris.
Appetitio.
Arcana *principis.*
Aſſentatio. 422.
Auari.
Auaritia.
Auaritiæ *cenſura.*
Auctoritas *ducis belli.*
Audaces.
Audacia *deſperata.*
Auditus.
Aula.
Aulici *conſeruatio.*
Aulici.
Aurum. 423.
Authoritas *principis.*
Auxilium *Dei.*
Auxilia *externa, in bello.*

B.

BArbari.
Beati.
Bella.
ciuilia.
Bellator. 424.
imprudens.
Bellatores.
Bellorum *cauſa.*
ciuilium origo.
Belli *apparatus.*
euentus.
iura.
Bellum.

Benefi-

Beneficia. 425.
Beneficium.
Bonum.

C.

CÆdes. 426.
Calamitas.
Calamitates.
Cauſa.
Celeritas.
Clementia.
Coloniæ.
Confidentia.
Coniugium. 427.
Conſcientiæ *vis.*
Conſeruatio *rerum.*
Conſilia.
praua.
temeraria.
tuta.
Conſiliarij.
mali.
neceſſarij.
prudentes. 428.
Conſiliarius *ſapiens.*
Conſiliorum *euentus.*
publicorum labes.
Conſilium.
intempeſtiuum.
regis.
Conſcientia.
Conſolatio.
Conſpectus.
Conſuetudo. 429.
Conſulum *inſignia & nomen.*
Cõtrouerſiarum *tollendarum ratio.*
Conuicia.
Conuiuia.
Cunctatio.
Cupiditas.
Crimina.
Cupiditas.
Curioſitas *noxia.* 430.
vitanda.

D.

DEcepti.
Deceptio.
Defectiones.
Deliberatio.
Deprecationes.
Deſperabundi
Deſperatio.
Deus.
Dignitas.
Dignitates. 431.
Diligentia.
Diſciplina.
militaris.
Diſciplinæ *militaris corruptio.*
Diſcordia. 432.
Doloſi.
Diuites.
Diuitiæ.
Diuitiarum *vanitas.*
Duces *belli.*
imprudentes.
Ducis *æquitas.* 433.
Dux *belli.*

E.

ELectio *principis aut magiſtratus.*
Equites.
Eruditio.
Eruditionis *vſus.*
Excuſatio.
Exempla.
Exercitia *militaria.*
Exercitus.
bene compoſitus.
Exercituum *clades.* 434.
Exilium.

F.

FActiones.
Facultates *abſentium.*
Facundia.
Fama.

Famę *ſtudium.* 435.
Fames.
Faſcinatio.
Fatum.
Fauor.
Felicitas.
Feſtinatio. 436.
Fides *militum.*
Filij.
Fiſcus.
Flagitia.
Fœdera.
Forma *principis*
Fortes.
Fortitudo. 437.
Fortuna.
Fragilitas *humana.*
Fraus.
Frugalitas.
Futura.

G.

Gaudium.
Generoſi.
Generoſus. 438.
Gloria.
principum.
Gratiæ *conſeruatio.*
Gratificatio.
Gratitudo.
Gratiarum *actio.*

H.

Helluones. 439.
Hiſtoria.
Hiſtoriæ *vtilitas.*
Hominis *officium.*
ingenium.
Honor.
quibus deferendus.
Honores. 440.
Hoſpitalitas.
Hoſtis *occultus.*
Humilitas.

I.

Ignauia.
Imbelles.
Imperator *iuſtus.*
Imperij *cupido.*
forma. 441.
Imperiorum *conſeruatio.*
Imperium.
Imprudentia.
Inclinatio *principum.*
Indigna *agere.*
Infelicitas.
Ingenium.
Inglorius.
Inimicitiæ *vis.*
Inimicorum *contemptus.*
Iniuria.
Innocentia. 442.
iuuenilis.
Inſectatio.
Inſidiæ.
Inuidia.
Ira.
Iracundia. 443.
Iudex.
Iudicia *Dei.*
Iuriſdictio.
Iuſtitia.
Iuſtitiæ *amor.*
Iuſtitia *diuina.* 444.
Iuuenes.
ambitioſi.

L.

Labor.
Labores *dignitatum.*
Largitio.
Laus.
Leges. 445.
Liberalitas.
Liberi.
Liberi *principis.*
Libertas.

Libertatis *amor.*
Libidinoſi.
Licentia *militaris.* 446.
Literæ.
Lites.
Lucrum.
Luxus.
Luxus *cenſura.*

M.

Magiſtratus.
Maieſtas.
Magnitudo *animi.*
Mala *præterita.*
Manſuetudo. 447.
Medicina.
Meditatio.
Mendacium.
Merces *bene factorum.*
Meritorum *agnitio.*
Metus.
Miles *bonus.*
Miles *laudatus & illaudatus.*
Milites.
agreſtes, boni.
in bello ciuili quales ſint. 448.
iuuenes legendi.
mali.
mercenarij.
nudi.
nomine tenus.
ſtrenui.
Militum *delectus.*
ingenium.
Militia *laudata.*
Miniſtri *principum.* 449.
Miſeria *humana.*
Miſericordia.
Modeſtia.
Monarchia.
Mores.
Mors.
Morbus.
Mulier.
Mulieres *impudicæ.*
Mulierum *ingenium.*
vis.
Multitudo *in bello.*
Munificentia. 450
Mutatio *principum.*

N.

Natura.
hominum.
Naufragi.
Neceſſaria *principi.*
Neceſſitas.
Negotia *humana.*
Negligentia.
Neutrales.
Nobiles.
Nobilitas. 451.
Nox.

O.

Obligatio.
Obliuio *malorum.*
Obſequium.
aulicum.
Occaſio.
Ocium.
Odium.
intra conſiliarios principis.
Opera *diuturna.*
malorum.
Opes. 452.
Oracula.
Orationis *finis.*
Orator, *ſeu legatus.*
Ordo *in exercitu.*
Otij *fuga.*

P.

Patientia.
Patria.
Patriæ *amor.*
cultor. 453.
Patrimonia.
Pauor.
Paupertas.
Pax.

Peccatum.
Pecunia.
Pecuniæ.
Pedites.
Peregrinantium *miſeria.* 454.
Perfidi.
Pericula.
Philoſophia.
Pietas.
Plebs.
Populus.
Potentia.
Prædones. 455.
Præfecti.
Præmia.
Præmiorum *vis.*
Præterita *irreuocabilia.*
Preces.
Princeps.
bellator.
beneficus. 456.
benignus.
bonus.
clemens.
conſiliariis eget.
inimicis formidoloſus.
glorioſus.
inuictus. 457.
inuiſus.
liberalis.
manſuetus.
miſer.
modeſtus.
munificus.
optimus.
perfidus.
robuſtus.
ſapiens. 458.
Principis *auctoritas.*
diuitiæ.
exemplum.
Principis *eximÿ virtutes 75. aphoriſmis deſcriptæ* 458.459.&c.
Principatus *filiis conſecratus.* 462.
Principes *auari,*
miſeri,
omnibus delecti.
ſubditis chari.
Principum *authoritas.*
colloquia,
gratia.
ignominia.
inſania. 465.
malorum ingenium.
moneta.
Probitas.
Prodigalitas.
Prodigi.
Proditio.
Proditores.
Proſperitas.
Prouidentia.
Dei.
Prouinciæ.
Prudentes.
Prudentia. 464.
Pudicitia.
Pugna.
Pulchritudo.

R.

Ratio.
Ratiocinatio.
Receptus *militaris.* 465.
Reges.
Regius *animus.*
Regna.
Regnandi *modus.*
Regnum.
quid difficilius habeat.
beatum.
Regni *conſeruatio.*
Regum *authoritas.*
exitus.
Regum *inſolentia.* 466.
lectio.
maieſtas.
officium.
voluntates.
Rex *benignus,*
bonus,

Iuſtus

iuſtus.
magnanimus.
munificus.
ſapiens.
Rex *virtutibus regiis præditus, omnique laude cumulatus, luculenter deſcriptus.* 466.467.&c.
Regis *inſtitutio, ſeu de regis munere præcepta. 72. capitulis comprehenſa.* 474.475,&c.
Religio. 482.
Remuneratio.
Reſpublica *felix.*
483.
Reipublicæ *adminiſtratio tuta.*
fulcra.
Rerumpub. *labes.*
Rigor.
veterum.

S.

Sacrum.
Salus.
Sapiens.
Sapientia.
Segnes.
Scripturæ *S. lectio.*
Securitas.
Seditio.
Seditioſorum *ingenium.*
Senectus. 484.
Sepulturæ *cura.*
Sermo *liber.*
Seruitus.
Seueritas.
Silentium.
Simulatio.
Socij *inimici.*
Somnus.
placidus.
Spes.
Statura.
Studia. 485.
Suaſio.
Subditi.
amore in officio continendi.
Subditorum *officium.*
Succeſſus.
Superbia.
militaris.
Suſpicio.

T.

Temerarius.
Temperantia.
Terror.
Theſauri *regum.*
Timiditas. 486.
Tranquillitas *publica.*
Triſtitia.
Tributa.
Turpia.
Tyrannis.
Tyrannus.

V.

Vanitas *hominis.*
Velocitas.
Veneratio *regum.*
Veritas.
Vetuſtatis *laus.* 487.
Viciſſitudo *rerum.*
Victi.
Victoria.
Vindicta.
Vinum.
Vir *admiratione dignus.*
Vires *humanæ.*
Vires *imperij.*
Virtus.
ſcientiæ expers. 488.
Vita. *beata. humana. longa. principis.*
Vitia. Vocationes. Voluptates.
Voluptatum *vis.*
Voluntas *Dei.*
Vulgi *ingenium.*
Vultus. 489.
Vultus *alacritas.*
Zelotypia.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CANDIDO LECTORI.

INTER excudendum, errata nonnulla irrepſerunt quæ pro tuo in nos amore emendabis. Primarium illud, & ſæpius occurrens, eſt, *Ammon. Marcell.* pro quo repone *Ammian. Marcell.* De hiſtorico enim nominatiſſimo his locis ſæpe occurrentibus agitur. Vale, & faue.

PANDIMIGLIO
2 1 DIC. 1970
LEGATORIA - ROMA